




# ECCLESIA
# MILITANS
# REGNUM CHRISTI
## IN TERRIS
## IN SUIS FATIS REPRÆSENTATA



*A MARTINO GERBERTO,*


MONASTERII ET CONGREG. S. BLASII IN NIGRA SILVA ABBATE S. Q. R. I. P.

TOMUS I.





TYPIS EIUSDEM MONASTERII
MDCCLXXXIX.



Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat. Matth. XXIV. 15.

CAROLO. THEODORO
IN. S. SEDE. MOGVNTINA. ET
WORMATIENSI. ELECTO. SVCCESSORI
FRIDERICI. CAROLI
S. R. I. ELECTORIS. PRIMARII
HAC. EADEM. DIGNITATE. ANNIS
AB. HINC. CC. ORNATVS. FVIT
WOLFGANGVS
EX. EADEM. CVM
CAROLO. THEODORO
NOBILISSIMA. VANGIONVM
STIRPE. DE. DALBERG. VNDE
HERIBERTVS
OTTONIS. III. IMP. CANCEL
LARIVS. ARCHIEP. COLONIENSIS
SANCTORVM. ALBO
ADSCRIPTVS. EST. PROSAPIA
CAMERARIOR. DE. WORMATIA
SEDE. EPISCOPALI
ANNIS. ANTE. CCC
IOANNIS. DE. DALBERG
MAXIMI. SVO. AEVO. IN. SACRA
ET. PROFANA. REP. ORNAMENTI

LITERATORIS. ET. LITERA
TORVM. MAECENATIS. CELE
BRATISSIMI. PARIBVS

CAROLO

NOSTRO. RE. ET. NOMINE

THEODORO

IN. SPEM. MAXIMAM. PROXIMI
SEC. MERITIS. AC. STVDIIS
ISTHIS. ANIMATVS
TENVE. HOC. PRAESENS. OPVS
FVTVRO. SVO. EPISCOPO
IN. SEDE. CONSTANTIENSI

D. D. D.

DEVOTISSIMVS. CVM. SVIS
DIOECESANVS

MARTINVS. GERBERTVS

ABBAS. MONASTERII. ET
CONGREGATIONIS. S. BLASII
IN. NIGRA. SILVA.

PRÆ-

# PRÆFATIO.

G*loriosissimam Civitatem Dei, sive in hoc temporum cursu, cum inter impios peregrinatur ex fide vivens, sive in illa stabilitate sedis æternæ, quam nunc exspectat per patientiam, quoad usque iustitia convertatur in iudicium, deinceps adeptura per excellentiam, victoriâ ultimâ et pace perfecta*, quam nobis S. Augustinus (his verbis auspicatus) ob oculos ponit in præcellenti opere de CIVITATE DEI, animumque mihi adiecit, differendi de Ecclesia militante regno Christi in terris. Est hoc regnum illud theocraticum, ac civitas Dei, quam sibi in ipsa mundi creatione constituit in genere humano, regnum unigenito Filio suo ad gloriam suam, rerum omnium finem unicum. Præparata civitas illa in paradyso, indeque detrusis protoparentibus nostris, in populo Dei propagata fuit et conservata per fidem in Salvatorem generis humani Christum, promissum Messiam ex gente Israelitica, firmato in ea natione regno iuxta prophetiam patriarchæ Iacob Gen. XLIX. 10. *Non auferetur sceptrum de Iuda et dux de femore eius, donec veniat, qui mittendus est, et ipse erit exspectatio gentium:* ad quas nimirum misit Christus apostolos suos in universum mundum ad prædicandum evangelium omni creaturæ, unice ad gloriam suam condi-

tæ, finem ultimum rerum omnium prosequendum in Ecclesia militante regno Christi in terris, absorpturo veluti, quod ad hunc finem attinet, iuxta prophetiam Danielis reliqua mundi regna: totumque genus humanum ad finem suum ultimum gloriam Dei, intime cum felicitate nostra in regno Christi hic et in æternum coniunctam, revocaturo: a quo fine, qui deflectat in regno Christi theocratico, quisquis ille sit, civitate Dei excidat, atque extorris sit, quam ex S. Augustino descripsimus: describemusque hoc opere regnum Christi in terris in universo mundo constitutum, instructumque, vicaria illius potestate, *Qui dicit regi, apostata, qui vocat duces impios; qui non accipit personas principum; nec cognovit tyrannum, cum disceptaret contra pauperem.* Iob. XXXIV. 18. Pertinent hæc ad alteram illam civitatem terrenam de qua lib. I. c. 1. et 2. S. Augustinus, „ cum (ait) dominari appetit, etsi populi serviant, ipsa ei „ dominandi libido dominatur.... Ex hac „ nempe existunt inimici, adversus quos defendenda est Dei civitas: quorum tamen „ multi correcto impietatis errore, cives in „ ea fiunt satis idonei „.

Occasionem S. Augustinus, hortante Marcellino comite, scribendi arripuit ex calumniis gentilium, qui calamitates publicas christianismo tribuebant, ut palam fit ex epistola 136. Marcellini, et 138. T. II. p. 400. - 410. responsoria S. Augustini; nobis vero ob oculos

los

los verſari debent, in eccleſia militante, regno Chriſti in terris conſtitutis, ſalutaremque metum incutere, pericula illa in propoſito ad deſtinatum finem curſu, ad tranſitum ex hac in alteram vitam, ab Eccleſia militante in triumphantem in noviſſimo dierum, de quo nos Chriſtus et eius exemplo uno ore apoſtoli, SS. Patres et omnis retro ætas, tam conſtanter et ardenter ad vigilandum hortantur, ut ſemper ſimus parati, huc etiam pleriſque pertinentibus parabolis evangelicis.

Rem cæteris evangeliſtis brevius complexus eſt, poſtquam ſigna diei illius omnibus incogniti pandiſſet S. Marcus XIII. 33. etc. *Videte, vigilate, et orate; neſcitis enim, quando tempus ſit. Sicut homo, qui peregre profectus reliquit domum ſuam, et dedit ſervis ſuis poteſtatem cuiusque operis, et ianitori præcepit, ut vigilet. Vigilate ergo (neſcitis enim, quando Dominus veniat: ſero, an media nocte an galli cantu, an mane) ne cum venerit repente, inveniat vos vigilantes. Quod autem vobis dico, omnibus dico:* VIGILATE. Ne videlicet eos ſolum, qui aderant, hoc attinere videretur ob inſtans gentis Iudaicæ urbisque Hieroſolymitanæ excidendæ fatum, cum tunc inſtaurandi potius Iſraelitici regni ſpe tenerentur Iudæi.

Declarat rem parabola, quam modo audivimus, Marcum breviter attigiſſe de homine peregre profecto, quemque Lucas XIX. 11. vocat hominem nobilem, Chriſtum Filium cœleſtis Patris indigitans, de quo parabolæ

 occa-

occasionem narrans S. Lucas, *eoquod esset*, inquit, *prope Ierusalem: et quia existimarent, quod confestim regnum Dei manifestaretur. Dixit ergo: Homo quidam nobilis abiit in regionem longinguam, accipere sibi regnum er reverti*: nempe *princeps regum terræ* (Apoc. I. 5.) *qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo, et fecit nos regnum, et sacerdotes Deo et Patri suo.* Cuius regni se consortem mox S. Ioannes declarans, *Ego*, ait, *Ioannes frater vester, et particeps in tribulatione, et regno, et patientia in Christo Iesu.* Est hæc ECCLESIA MILITANS REGNUM CHRISTI IN TERRIS in præsentis vitæ tribulatione et patientia Christi passionum particeps: veluti tunc S. Ioannes fuit pro fide Christi, postquam e ferventis olei dolio immunis exiisset, in Pathmos relegatus; fuerunt vero Apoc. IV. 4. iam tunc in cœlo *super thronos viginti quatuor seniores sedentes*, qui Apoc. V. 9. procidentes coram agno, cantant canticum novum dicentes: *Quoniam occisus es, et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, et lingua, et populo, et natione: et fecisti nos Deo nostro regnum, et sacerdotes: et regnabimus super terram. Redemisti nos Deo*, canunt in libertatem nimirum filiorum vindicati, ac cœlestis cum Christo vitæ cohæredes.

Palam hinc fit arctissima civitatis Dei, militantis Ecclesiæ in terris cum civitate Dei triumphante Ecclesia in cœlis coniunctio, quam idem dilectus Christi discipulus Apoc. XX. 2.

aper-

apertius declaravit, videns *animas decollatorum* (apud S. Cyprianum legitur *de exhortatione martyrii* n. 12. Ed. Oxon. p. 127. *occisorum*) *propter nomen Iesu et sermonem Dei*, id est, martyrum. *Et cum*, pergit S. Cyprianus, *primo loco posuisset occisos, addidit, dicens*: Et quicunque imaginem bestiæ non adoraverunt, nec acceperunt inscriptionem in fronte, aut in manu: *quos universos a se in eodem loco simul visos coniungit, et dicit*: et vixerunt, et regnarunt cum Christo. *Vivere omnes, dicit, et regnare cum Christo non tantum, qui occisi fuerint, sed et quicumque in fidei suæ firmitate, et Dei timore perstantes imaginem bestiæ non adoraverint, neque ad funesta eius, et sacrilega edicta consenserint.*

Dicuntur vero l. c. Apoc. vixisse et regnasse cum Christo *mille annis*: quod utique, explosis Chiliastarum somniis, de civitate Dei in hoc temporum cursu intelligendum est, quam consequetur illa, qua, in vita æterna, beati cum Christo regnant in cœlis, aliquando etiam cum suis corporibus post resurrectionem mortuorum; a qua resurrectione paulo post distinguit S. Ioannes resurrectionem primam, animarum scilicet, ut suo loco explicabimus, de qua v. 6. *Beatus*, inquit, *et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem: sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis.* Tempore quidem indefinito usque ad ea ante consummationem seculi tem-

 pora,

pora, quibus solvendus mox dicitur satan, de quo prius dicit Ioannes V. 1. et 2. vidisse se *angelum descendentem de cœlo, habentem clavem abyssi, et catenam magnam in manu sua. Et apprehendit draconem, serpentem antiquum, qui est diabolus, et satanas, et ligavit eum per mille annos.* Nempe, „ ut (sunt verba S. Augustini l. XX. de civ. Dei c. 7. n. 3.) „ iam non seducat gentes, ex quibus constat „ Ecclesia, quas antea seductas tenebat, antequam esset Ecclesia. Nec enim dictum est, „ ut non seduceret aliquem; *sed ut non seduceret*, inquit, *gentes*, in quibus Ecclesiam procul dubio voluit intelligi „. Et postea c. 8. n. 1. „ Alligatio diaboli est non permitti exercere „ totam tentationem, quam potest vel vi vel „ dolo ad seducendos homines in partem suam „ cogendo violenter, fraudulenterque fallendo. Quod si permitteretur in tam longo tempore, et tanta infirmitate multorum, „ plurimos tales, quales Deus id perpeti non „ vult, et fideles deiiceret, et ne crederent „ impediret: quod ne faceret, alligatus est. „ Sic etiam diabolus princeps huius mundi eiectus foras dicitur, ut non pro sua libidine, nec nisi veluti vibratis telis, quæ D. Paulus Ephes. VI. 16. vocat *tela nequissimi ignea*, nos aggredi ac incessere possit. *Propterea* idem iam monuerat 13. *Accipite armaturam Dei, ut possitis resistere in die malo, et in omnibus perfecti stare. State ergo succincti lumbos vestros in veritate, et induti loricam iustitiæ, et calceati pedes in præparatione Evangelii pacis: in*

*in omnibus sumentes scutum fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere: et galeam salutis assumite, et gladium spiritus, quod est verbum Dei.*

Hæc sunt arma, quibus instructa contra visibiles et invisibiles hostes invicta decertat Ecclesia militans, regnum Christi in terris: *Oportet enim illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius.* I. Cor. XV. 25. Postrema hæc verba desumta sunt ex psalmo CIX. quem de se dictum Christus Iudæis demonstravit Matth. XXII. existimantibus Christum solum hominem ex semine David esse. Id quod quidem de generatione Christi temporali mox etiam in laudato psalmo his verbis explicatur: *Virgam virtutis emittet Dominus ex Sion; dominare in medio inimicorum tuorum;* ut tamen statim iterum divina Christi origo et nativitas ab æterno ex Patre declaretur: *Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus Sanctorum, ex utero ante luciferum genui te.* Est hoc quod Hebræis ex eodem psalmo CIX. idem apostolus Hebr. I. 13. ob oculos ponit: *Ad quem autem angelorum dixit aliquando: sede a dextris meis donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum?* Et postea de Christo sacerdote agens, *qui unam pro peccatis offerens hostiam in sempiternum sedet in dextra Dei* iuxta psalmum eundem: *De cætero*, subdit, *exspectans, donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius.* Est hoc sacerdotium, secundum ordinem Melchisedech, de quo psalmus noster:

ſter: *Iuravit Dominus et non pœnitebit eum: Tu es ſacerdos in æternum, ſecundum ordinem Melchiſedech. Dominus a dextris tuis confregit in die iræ ſuæ reges. Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquaſſabit capita in terra multorum.* Quæ etiam ſuo loco explicatiora dabimus ex pſalmo II. quo Eccleſiæ militantis regni Chriſti in terris triumphi canuntur a ſuis primordiis, quando *fremuerunt gentes, et populi meditati ſunt inania. Aſtiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adverſus Dominum, et adverſus Chriſtum eius*

Præcipua quæ Eccleſiæ militanti ſunt decertanda certamina in terris, donec conſocietur Eccleſiæ triumphanti in cœlis, ſeptem in Apocalypſi S. Ioannis reſignantur ſigillis, totidemque denunciantur tubis, quas totidem ſequuntur phialæ iræ Dei ac vindictæ divinæ effuſæ in eos, qui inſurgentes in Eccleſiam, armaturam Dei contra hoſtes ſuos aſſumendi cauſam dederunt Eccleſiæ: quæ ad fortiter pugnandum vincendumque de victoria certa ac ſecura animatur ſeptem epiſtolis, quæ prioribus Apocalypſis capitibus leguntur ſcriptæ Chriſti nomine ad ſeptem eccleſias Aſiæ; unde Eccleſia incipiens per apoſtolos a Ieruſalem effloruit, partisque ab hoſtibus, quibus undique premebatur, victoriis, regni ſui per orbem terrarum fines undique porrexit, conſtabilitque. Ipſa vero verba, quibus angeli, Eccleſiarum præpoſiti, ad pugnam certa victoriæ fiducia a Chriſto in illis epiſtolis excitantur,

tur, omnes et ſingulas Eccleſias demonſtrant attinere: *Qui habet aurem audiat, quid Spiritus dicat Eccleſiis.* Apoc. II. 7. id quod per ſingulas repetitur epiſtolas.

Continentur porro his epiſtolis omnis generis exempla vigilantiæ aut deſidiæ paſtorum quæ laudantur aut vituperantur; profectus aut defectus Eccleſiarum, quæ commendantur aut redarguuntur: ſive ſpectentur Eccleſiæ cum ſuis angelis ſeu epiſcopis, qui fuerunt eo tempore, quo ſcripſit S. Ioannes, ad quod ævum ſunt, qui perperam (nonnulli etiam exilium S. Ioannis in inſulam Patmos ad Claudii imp. revocantes) in Apocalypſi deſcribi fata Iudæorum volunt, excidiumque Hieroſolymitanæ urbis; alii ad urbis Romanæ devaſtationem ſec. V. reſtringunt ſeptem ſigilla, tubas, et phialas; alii hæc extendunt, diribentque per epochas a prima Eccleſiæ ætate usque ad conſummationem ſeculi. Nec obeſt, quin quisque ex Apocalypſi ſibi colligat ſive generatim ſive ſingillatim per ſtatas epochas, quæ ſunt ad ſuum profectum aut Eccleſiæ, prout mox in exordio deprædicatur: Apoc. I. 3. *Beatus qui legit, et audit verba prophetiæ huius, et ſervat ea, quæ in ea ſcripta ſunt, tempus enim prope eſt.* Salubriter hoc imprimis ad ſuum terrorem facerent, qui in Eccleſiam iniurii ſunt, dum cernunt ſingulis tubis perſecutionum pediſequam eſſe phialam ſuam divinæ vindictæ in perſecutores. Paſtores Eccleſiæ ac fideles monita cumprimis attinet

net

nent ac comminationes in epiſtolis ad ſeptem contentæ Eccleſias, quas, ut diximus, ſunt, qui ad ſingulas Eccleſiæ ætates referant iuxta ſeptem ſigilla, tubas, et phialas myſterio numeri ſeptenarii: quo modo etiam Apoc. V. 6. Agnum pro nobis occiſum *habentem cornua ſeptem* divinæ virtutis *et oculos ſeptem* perpetuæ circa Eccleſiam ſuam providentiæ S. Ioannes repræſentat.

Sic, iuxtā ac nos in hoc opere deſcriptionem hiſtoricam Eccleſiæ militantis, regni Chriſti in terris exhibemus, pia monita ſibi dicta accipere poſſunt angeli ſeu paſtores eccleſiarum ſenſu quem vocant, accomodatitio in ſeptem epiſtolis illis (dum eſt pietas ad omnia utilis, et diligentibus Deum omnia cooperentur in bonum iuxta apoſtolum) ſic vincenti, exemplo angeli Epheſi, eccleſiæ viſibiles quoſcunque et inviſibiles hoſtes in prima epiſtola promittitur edere de ligno vitæ, quod eſt in paradiſo Dei, quem in Adamo primo deperditum nobis reſtituit Adamus ſecundus, devictoque diaboli regno ſuum inſtituit in Eccleſia militante in terris, et triumphante in cœlis. In epiſtola II. cautus redditur angelus Eccleſiæ, (monitus, ne timeat, quæ paſſurus eſt) a *ſynagoga ſatanæ*, uti in tertia *ſede ſatanæ*, Iudæis nimirum et hæreticis Eccleſiæ hoſtibus, quorum anteſignani erant tunc Nicolaitæ. Additur ſemper, quod quemvis exſtimulet, victoriæ præmium. Sic *qui* iuxta epiſtolam ſecundam *vicerit, non lædetur a morte ſecunda.* In tertia epi-

ſtola

ſtola promittit Chriſtus *vincenti manna abſconditum et calculum candidum, et in calculo nomen novum, quod nemo ſcit, niſi, qui accipit.* Nomen novum ſcilicet in regno Chriſti, qui eſt lapis ille, qui Dan. II. 34. *abſciſſus eſt de monte ſine manibus: et percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis et fictilibus, et comminuit eos:* quartum nimirum regnum coloſſi illius Nabuchodonoſoris, quæ eſt monarchia Romana: *Lapis autem, qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt mons magnus, et implevit univerſam terram:* Ib. 35. Eſt hic mons, ut per decurſum huius operis patebit, Eccleſia militans, regnum Chriſti in terris: de quo epiſt. IV. *Qui vicerit, et cuſtodierit usque in finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes, et reget eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringentur.* Id quod experti ſunt omnes inde ab origine Eccleſiæ hoſtes, inſidias ad exitium ſtruentes primum Iudæi, ac machinas ſuas interius in ipſis viſceribus adhibentes hæretici, exterius in viſcera graſſantes gentiles, et quicunque alii Eccleſiæ perſecutores, incaſſum omnia: dum mox exciſa urbe Hieroſolyma Iudæi in diſperſionem eunt, fruſtra ad hodiernum usque diem reſtaurationem rerum præſtolantes: deſtruitur deinde regnum idololatricum cum imperio Romano gentili: diſpereunt Chriſto inimica per orbem nomina, pereunt tyranni Eccleſiæ hoſtes: dumque identidem contaminata hæreſibus florentiſſima eccleſia Orientalis ſchiſma facit, perit. Accidit enim, ut chriſtianis inter ſe digladiantibus de præcipuis fidei

dei myſteriis Mahumet inde occaſionem arriperet, ea funditus evertendi cum ipſo christiano nomine, atque Eccleſiam per Orientem latiſſime patentem peſſumdaret peſtilens ſecta cum ipſo imperio, quod hodieque tenet gens Scythica illa Turcarum Gog et Magog, de quibus poſt Ezechiel. XXXVIII. et XXXIX. S. Ioannes Apoc. XX. 7. quid timendum ſit Eccleſiæ militanti regno Chriſti in terris expoſuit, poſteaquam revelatus fuerit, *iniquus ille, quem Dominus Ieſus interficiet ſpiritu oris ſui, et deſtruet illuſtratione adventus ſui.*

De Antichriſto hic agit apoſtolus, cuius anteſignanum Neronem his verbis indigitat proxime antecedentibus: *Nam myſterium iam operatur iniquitatis: tantum, ut, qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat.* Vel hinc atrociſſima illa retunditur criminatio eorum, qui non verentur Chriſti in terris vicarium Romanum pontificem antichriſtum dicere, D. Petri ſucceſſorem: quem utique ipſum (horret ſcribere calamus) apoſtolorum principem, ſuper quem Chriſtus ædificavit Eccleſiam ſuam, attineret, dum dicit apoſtolus: *Ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat*, quod de Romani imperii principatu intellexit continua Eccleſiæ traditione omnis retro ætas: dum poſt gentiles paſſim etiam principes chriſtiani ferebant tutelam et patrocinium emergentibus tunc undique ex inferis hæreſibus, quibus fides de divinitate Chriſti, myſteriumque Incarnationis impetebatur, dicente S. Ioanne epiſt.

II.

II. c. IV. 3. *Omnis ſpiritus, qui ſolvit Ieſum ex Deo non eſt, et hic eſt antichriſtus, de quo audiſtis, quoniam venit, et nunc iam in mundo eſt*, prout modo ex S. Paulo audivimus.

Eccleſiæ autem ſchiſmaticæ per Orientem diſperſæ convenit, quod angelo eccleſiæ Sardis Apoc. III. 1. ſcribitur: *Scio opera tua, quia nomen habes, quod vivas, et mortuus es.* Unde merito timeant eccleſiarum angeli, illud ſibi, quod additur, dictum accipientes: *Eſto vigilans, et confirma cætera, quæ moritura erant. Non enim invenio opera tua plena coram Deo meo. In mente ergo habe, qualiter acceperis, et audieris, et ſerva, et pœnitentiam age, ſi ergo non vigilaveris veniam ad te tanquam fur, et neſcies, qua hora veniam ad te.*

Dum Orientalis eccleſia paulatim ruit cum imperio, effloreſcit Eccleſia interim, et dilatatur per Europam: dumque ſic credi poterat, evangelium per univerſum mundum fuiſſe prædicatum, ecce ſe novus aperit Americæ orbis: id quod congruit ex parte cum eo, quod eſt angelo Philadelphiæ ſcriptum ep. VI. *Hæc dicit ſanctus, et verus, qui habet clavem David: qui aperit, et nemo claudit: claudit et nemo aperit. Scio opera tua. Ecce dedi coram te oſtium apertum, quod nemo poteſt claudere: quia modicam habes virtutem, et ſervaſti verbum meum, et non negaſti nomen meum. Ecce dabo de ſynagoga ſatanæ, qui dicunt, ſe Iudæos eſſe, et non ſunt, ſed mentiuntur: Ecce faciam illos, ut veniant, et adorent ante pedes tuos: et ſcient, quia*

*ego dilexi te.* Possunt hæc ad futuram aliquando Iudæorum referri conversionem in novissimis illis periculosissimis temporibus, de quibus sibi merito quisque timeat in tantis seductionum periculis, laxatis undique licentiæ sentiendi habenis, ingravescente in dies malo in ipso etiam sinu Ecclesiæ languescente obsequio fidei ad irreligionem usque atque apostasiam illam, de qua Christus: *Filius hominis*, ait, Luc. XVIII. 8. *veniens putas inveniet fidem in terris?* Præsentissimo periculo, ut, dum Ecclesiæ militantis, regni Christi in terris, nervi ac potestas a Christo collata depressa succiditur, sinu illo deiiciamur, ac excidamus petra, super quam inconcussa usque ad consummationem seculi stabit Ecclesia, in communione illa summorum Ecclesiæ pastorum, qui sunt ecclesiarum angeli cum successoribus D. Petri in sede Romana, quibus nempe illud dictum convenit: Apoc. III. 10. *Quoniam servasti verbum patientiæ meæ, et ego servabo te ab hora tentationis, quæ ventura est in orbem universum tentare habitantes in terra. Ecce venio cito: tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam: Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius: et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Ierusalem, quæ descendit de cœlo a Deo meo, et nomen meum novum.* Sed quem non terreant columnæ illæ, quæ identidem corruerunt, collapsis dudum integris orbis partibus Asia et Africa, ac magna

gna

gna iam Europæ parte? Quis angelorum Ecclesiæ, qui ſunt columnæ illæ in templo Dei, ſibi non timeat illud, quod angelo Laodiciæ Apoc. III. 11. ſcribitur: *Quia neque frigidus es, neque calidus: ſed quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo. Quia dicis: quia dives ſum, et locupletatus, et nullius egeo: et neſcis, quia tu es miſer, et miſerabilis, et pauper, et cæcus et nudus. Suadeo tibi, emere a me aurum ignitum probatum, ut locuples fias, et veſtimentis albis induaris, et non appareat confuſio nuditatis tuæ, et collyrio inunge oculos tuos, ut videas. Ego, quos amo, arguo, et caſtigo. Æmulare ergo, et pœnitentiam age. Ecce! ſto ad oſtium, et pulſo, ſi quis audierit vocem meam, et aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illum, et cœnabo cum illo, et ipſe mecum. Qui vicerit, dabo ei, ſedere mecum in throno meo: ſicut et ego vici, et ſedi cum patre meo in throno eius.* QUI HABET AUREM, AUDIAT, QUID SPIRITUS DICAT ECCLESIIS!

# SYLLABUS CAPITUM.

## TOM. I.



CA-

dein-


CA-

## Syllabus Capitum.





ECCLE-



# ECCLESIA MILITANS
## REGNUM CHRISTI IN TERRIS.

### CAPUT I.

### *De fatis Ecclesiæ militantis, apocalypticis imprimis ac regno millenario.*

Nunquam equidem defuerunt, qui Apocalypsin S. Ioannis præ oculis habentes, varia variis temporibus fata sunt ominati Ecclesiæ, aut eius hostibus a crepundiis, ut ita dicam, eiusdem Ecclesiæ; moxque pluribus edisseram, quæ proximum priorum Ecclesiæ seculorum Chiliasmum attinent, quem dira illius fata primis Patribus expresserant, quique, Ecclesia statu presso eluctata, evanuit: dum per Evangelium idololatria exterminatur, efflorescitque regnum Christi in terris, everso nimirum gentilismo, ac constituta per orbem Christi Ecclesia, quod est argumentum Apocalypsis S. Ioannis iuxta prophetiam Dan. II. 34. *Donec abscissus est lapis de monte, & percussit statuam in pedibus eius ferreis & fictilibus*, monarchia nimirum quarta Romana obtinente; *Donec* (ut suo loco explicabimus) a) *venit antiquus dierum, & iudicium dedit sanctis Excelsi, & tempus*

a) Dan. VII. 22.

*advenit, & regnum obtinuerunt sancti*, non solum æternum in cœlis, sed etiam hic in terris: quod est *Ecclesia militans, regnum Christi in terris.*

Hoc dum, inundantibus postea Saracenis orbem christianum, attentionem effugiebat: identidem inde a medio fuerunt ævo, qui nova spe ceu millenarii regni Christi in terris illis, quibus primum a Christo *Evangelium regni* prædicatum fuerat, restaurandi, fideles lactarent, animarentque ad Cruciatas, quas vocabant bella, mota a christianis ad recuperandam terram sanctam & alias provincias, quas Mahumedana secta, ad religionem armis propagandam nata, christiano orbi iam extorserat, ac porro videbatur detractura, nisi posterioribus his potissimum sæculis murum aheneum sese opposuissent Imperatores, Rudolphi I. progenies, qui quemadmodum diu turbatam concordiam Sacerdotium inter & Imperium, ut suo loco videbimus, redintegravit, conservavitque cum suis successoribus: ita eius seri posteri concussam undique apud nos etiam & dilaceratam Ecclesiam militantem *regnum Christi in terris* pro viribus sustentarunt.

---

## CAPUT II.

*Veterum Hæreticorum ac etiam Catholicorum hac de re divinationes.*

Fuit in Ecclesia ab eo tempore, quo summum apicem splendoris externi, dominata per orbem,

bem, assecuta fuisse visa est, gens invida non una, multiplicata successu temporis, & ampliata antesignanis Albigensibus, Waldensibus, Wicleffitis, Hussitis, & eorum sectatoribus, Ecclesiæ catholicæ interitum minantibus, atque apostasiam improperantibus.

Ex nostris vicissim non deerant, qui (ut Ioachimum abb. silentio prætercam, cui supposita sunt, quæ circumferuntur, vaticinia) prospera ominabantur ad veterum Chiliastorum mentem: veluti Io. Viterbiensis præcisius ac signanter annum 1481. designabat, Sixto IV. P. *super Apocal.* pollicitus victoriam a Turcis, omniumque ecclesiarum obedientiam sub Romano Pontifice, atque insignem Ecclesiæ formam mille annis duraturam. Auctor libri, cui titulus: *Onus Ecclesiæ*, in eandem sententiam c. 62. triplicem distinguit Christi adventum: primum in carne, quando homo factus mundo apparuit; alterum statuit in virtute & efficacia spirituali ad interficiendum Antichristum, regnumque Christi in terris instaurandum, quod stabit usque ad tertium ipsius adventum in finali iudicio. Scripsit etiam, ut alios taceam, Nicolaus de Cusa card. coniecturam eodem sec. XV. de novissimis diebus, victoriam de Antichristo post annum 1700. ante an. 1734. collocans: post illud tempus autem ascensionem Ecclesiæ futuram esse Christo sponso adveniente ad iudicium, sed neminem sciturum adventum. Alios complures abb. Calmetus in dissert. *de Antichristo* T. VIII. *comment. in S. Script.* recenset, qui Antichristo & consummationi seculi certum determinarunt tem-

 pus,

pus, quod abhinc prope abest: veluti Petrus Alliacensis annum proximum 1789. statuit: longius abest Picus Mirandulanus, qui annum 1994. præstituit. Alii etiam annos constituerunt, qui dudum præteriere, sec. iam XVI. imprimis complendi. Sic fanatici quidam in Germania annum 1532. Franc. Meletius annum 1530. vel 1540. Ioannes Parisiensis annum 1560. ne quid de Arnoldo de Villa Nova dicam, qui adventui Antichristi fixerat annum 1326.

## Caput III.

### *Protestantium improperia.*

Qui antesignano Luthero tantopere paratragœdiati sunt de Papæ perinde ac Turcæ imminente ruina, post anabaptistas Monasterienses, eadem spe recuperandæ libertatis christianæ ac instaurandi regni Christi (creato etiam rege Ioanne Leidensi, atque grassantibus ubique per Germaniam rebellibus rusticis) ausi sunt etiam tempus & annum figere: veluti, anabaptistico quodam rebellionis spiritu, tempore Lutheri in Saxonia Michael Stiffel, & postea Petrus Molinæus in Gallia, uti videre est apud Bossuetum *a*), præsertim de Molinæi nepote Petro Iurieu, qui, duce imprimis celebri apud Anglos Ios. Mede, ubique in Apoc. sibi Papam effingente, singularem commentarium edidit ad novum stabiliendum chiliasmum,

a) Avertissement aux Protestans T. III. opp. p. 576. seqq. Accomplissement des Propheties.

mum, destructo Antichristo, ut calumniantur, Papæ imperio, ex sua sententia an. 1710. vel 1715. destruendo, ut tamen regnum millenarium elapso iamiam feliciter an. 1785. auspicium habere debuerit. Regno papali non minus annis 1260. tribuunt; sic breve scilicet duorum & dimidii anni tempus Antichristi ampliando: quibus si 30. anni addantur ad consociandos in unam Ecclesiam Christianos, & 45. ad Iudæos convertendos, prodeunt anni 1335. computandi ab an. 450. regni papalis auspicio; in quo tamen ipso auspicio determinando alii mirum in modum variant, ut apud laudatum Bossuetum legere est.

Uti in Gallia superiore seculo occasione motuum Hugonoticorum varii huiusmodi prophetæ prodierunt, ita in Germania nostra tempore præsertim belli tricennalis. Talem Io. Crocius in Antiwigelio notat, qui initio eiusdem belli regem, seu anticæsarem Ferdinando II. Imp. (quem porro Io. Plausuarius Hussita Antichristum putavit) opposuit, ad abolendum penitus Roman. Imperium. Alium nobis novissimus auctor *a*) anonymus historiæ Chiliasmi sistit, Paulum Felgenhauer, qui primi iudicii tempus an. 1618. & secundi an. 1651. quo electi ad nuptias Agni invitentur, statuit: anonymum item, qui anno 1655. annos mundi 6000. finem habuisse, somniavit ad inchoandum Sabbatismum Regni millenarii. Petr. Serarius item quidam annum 1664. conversioni Iudæorum destinaverat, ministerio Amstelodami ob chiliastica figmenta, quæ auditoribus proposuit, depositus.

*a*) T. III. P. I. p. 66. &c.

Apud nos ad finem seculi præteriti Petersen, Spenner, Lange, Comenius controversiam hanc apud Protestantes commoverunt inter Doctores, quos citatus anonymus nominat, ut Anglos Quakkeros *a*) sileam, qui mania hac vaticinandi detenti, passim quoque seculo præterito brevi adventurum Regnum in terris somniabant *b*) ad quos etiam inspirati illi pertinent, qui postquam in Gallia maximas turbas excitaverunt Elias Marian, Nicolaus Facio, Ioannes Allut, & Carolus Portales, Germaniam peragrati, eandem maniam passim inspiraverunt. Qui quidem in hoc conspiraverant cum Chiliastis cæteris, ut Ecclesiæ catholico-Romanæ eiusque capiti R. P. diris devoto, mala omnia ac interitum passim eiusmodi pseudoprophetæ sint ominati, atque ad novas cruciatas contra Romanam Ecclesiam haud minus, quam contra Mahumedanos animarint, canente classicum iam memorato.

*a*) Ib. p. 8. *b*) T. III. P. II.

---

## Caput IV.

### *Nostræ ætatis Chiliastæ.*

Quod vero bene habet, epochas quidem constituunt non raro fanatici isti, sed annis, quos præfixerunt, iam præterlapsis, uti apud laudatum *a*) anonymum videre est exempla in recentioris ætatis etiam scriptoribus, e. g. Prædicante Berolinensi Seiz, qui anno 1720. vaticinari

incipiens,

*a*) P. I. p. 121.

incipiens, cum ad peremtorium iam imminentem annum suo computo stringeretur, anno 1735. inducias pactus est. Ex computo Io. Schilteri *de fatis Ecclesiarum per Ioannem divinitus revelatarum* §. 32. seqq. Danielis etiam hebdomadis in subsidium vocatis, consummatio, quam posteriorem statuit, circa annum 1756 facienda fuisset. Sic aliæ quoque aliorum epochæ præterierunt vergente iam ad finem hoc seculo: perinde etiam *a*) anonymi illius computus, qui quidem consummationem seculi ad annum 1830. vel 34. prorogat, Romani imperii nihilominus fatale tempus intra annos 1770. & 74. fixit. Chimonius vero an. 1777. tempori, pœnitentiæ spirituali Babyloni seu mysticæ Iezabelæ concesso, finem ponit. Bengelii systema Apocalypticum, quo iam Protestantium plerique ipsimet mirantur, potuisse dementari homines emunctæ naris, nil moramur: perinde ac pastorem illum vicinum beneficiarium, qui an. 1769. edito schediasmate nobis diem dixit. Maiores nobis inducias nuperrime G. Malius tribuit, ab anno 1783. tres adhuc omnino generationes statuens, quorum singulæ annorum septuaginta sint.

Cuius sui computi epocham si loco suo constituisset, ad tempus nimirum conscriptæ a S. Ioanne Apocalypsis (qui quæ prædixit, fieri oportere cito, edixit, idque non semel repetit) palam invenisset post tres generationes eiusmodi a Christo adolescente Seculo IV. statu suo presso eluctatam Ecclesiam militantem regnum Christi in terris: quod

*a*) Ibid. p. 137.

Alia recentiorum Chyliastarum systemata laudatus anonymus Turicensis *a)* in historia critica Chiliasmi multa & varia recenset. Eorum alii ex vetustissima christianorum iudaizantium sententia urbem Hierosolymitanam, mirifice exornatam, ampliatamque instaurandam existimant potentissimo cum imperio, quale sibi Iudæi a suo Messia sperabant, in quo ipsi Iudæi, ad Christum conversi, rerum sint potituri (nec desunt, qui hoc regnum æternum fore ominentur) atque etiam theocratiam, qualis apud Israelitas obtinuit, in regno illo millenario obtenturam. Alii regale quoddam sacerdotium locum habiturum in eodem regno millenario putant, coniuncta regia cum sacerdotali potestate, ita ut illa huic, non hæc illi sit subiicienda cum plenissima utriusque sacri & politici status auctoritate (ut apud anonymum *b)* legere est) in decidendis etiam quibusvis religionis rebus, politiæ sacræ & fidei infallibili iudicio.

Postremam hanc nos a Christo apostolis datam potestatem in eorum successoribus reveremur perennem in ecclesia militante regno Christi in terris, experientia, in tanta hostium eiusdem ecclesiæ & adversariorum fidei colluvie, inde ab exordio religionis christianæ edocti, hac una auctoritate irrefragabili firmam ac inconcussam stetisse stareque rem Romano-catholicam apostolicam: nec aliter pro conditione humana stabile aliquid esse posse & inviolabile, certo tenemus.

C A-

*a)* T. III. P. I. *b)* p. 132. seqq.

## Caput V.

### *Chiliastæ primorum Ecclesiæ seculorum.*

Graviorum est novorum Chiliastarum, post tot ecclesiæ secula, error, quam veterum illorum primæ Ecclesiæ ætatis, quando inolita illa Iudæorum de regno Messiæ terreno persuasio non tam facile aboleri potuit; quique non solum veteris legis ac prophetarum de Christi regno vaticinia, verum etiam evangelica dicta ac parabolas Christi de regno suo præsentis ecclesiæ atque etiam Apocalypsin S Ioannis præ oculis habebant: & ex apographis librum IV. Esdræ, ut nihil de Rabbinis dicam, atque Apocalypsi Cerinthi, in qua is teste Eusebio post resurrectionem carnis demum terrenum regnum statuit Hierosolymis in carnalibus cupiditatibus & voluptatum illecebris, nuptiis &c. transigendum, circumcisionem etiam, victimas & Sabbata in deliciis summis reditura. Sunt etiam, qui Platonis de magno anno commentum materiam subministrasse suspicentur: dum vult post triginta sex demum annorum millia innovandum mundum; aureumque seculum futurum.

Passim in Prophetas commentans S. Hieronymus crassos iudaizantium christianorum errores chiliasticos notat in Osee cap. II. *a)* de circumcisione, & postea in cap. III. *b)* de rerum affluentia, de Hierusalem, victimarum sanguine, filiis, ac nepotibus, & deliciis incredibilibus, de portis gemmarum

a) T. III. p. 1250. *b*) Ib. p. 1254. c) Ibid. p. 1364.

marum varietate distinctis in Ioelis cap. III. *c*) & mox de Gog & Magog sævissimis gentibus, & iterum eodem loco, de Sionis *a*) & Hierosolymæ per inhabitantem Messiam sanctificatione: *Hæc* inquit, *Iudæi, & nostri, ut diximus quando putant Christum habitaturum in Sion, & in Ierusalem aurea atque gemmata, sanctorum populos congregandos: ut qui in isto seculo oppressi sunt ab universis gentibus in hoc eodem cunctis imperent gentibus*. Igitur cum Christo in terris carnale hoc post resurrectionem regnum futurum somniabant, sic accipiendo ea, quæ Christus de regno militantis Ecclesiæ dicit, & S. Ioannes Apoc. XX. expresse futura prænuntiat ante adventum Christi ad iudicium, seu, ut postea videbimus, in resurrectione prima, nunc usque ad resurrectionem carnis, quando fides nos docet, venturum esse Christum, iudicare vivos & mortuos, & seculum per ignem, moxque vitam æternam secuturam in cœlis: exploso duplici adventu, quem Chiliastæ, ut demonstravit supra citatus Bossuetus, contra omnem Scripturæ fidem statuere debent, docentes teste Philiastro, *cum venerit Christus de cœlo, mille anni illi erunt iterum nobis carnaliter ad vivendum, generandum, sicut fit nunc in hoc seculo quotidie*, Ecclesia nimirum Christi militante in terris.

*a*) Pag. 373. *b*) De hæres. c. 31.

C A-

## Caput VI.

*Primorum Patrum interpretatio in nostram sententiam de Ecclesia militante regno Christi in terris.*

Probe, quod iam notavimus, observandum est, doctrinam de regno Christi millenario, quæ tempore persecutionum primis Ecclesiæ seculis obtinuit, statu Ecclesiæ florente, cito disparuisse Sec. IV. Erat communis fere persuasio, finem huius mundi propinquum esse coniunctum cum excidio Romæ imperiique Romani. Ex hinc elucet veritas de regno Christi Ecclesiæ militantis statu suo presso eluctatæ, sed obfuscabatur veritas hæc iudaicis de regno Messiæ opinionibus, ut iam crassos Cerinthi errores notavimus. A quibus quidem abhorentes, Papiam vero S. Ioannis discipulum secuti, mille annos illos, in quibus Christum regnaturum in terris Apoc. XX. dicit (cum, ut nos nunc, præ oculis non haberent primi sub Ecclesia pressa Patres ecclesiam ipsam militantem regnum Christi in terris) ex huius Papiæ fide sunt interpretati quidam solummodo, ut SS. martyres Iustinus & Irenæus præcipui huius sententiæ patroni fatentur: ille præprimis, qui in dialogo cum Tryphone hunc n. 80. *a*) dubitantem inducit, an ex animi sententia ita sentiret; quod quidem in responsione asserit, se & multos alios sentire, fatetur vero, multos rursus, eosque ex illo christianorum genere, quod piam & puram sequitur sententiam, id non agnoscere. Provocat post

Isaiam

*a*) p. 177.

Isaiam & Psalmistam ad S. Ioannis Apocalypsin, *a) qui in revelatione ipsi facta, mille annos Ierosolymis traducturos prædixit eos, qui Christo nostro crediderint ac postea generalem, & ut ita dicam, æternam unanimiter simul omnium reformationem, & iudicium futurum b).* Iam antea, ut ab editoribus S. Iustini San-Maurensibus observatum est, secundum gloriosum statuit adventum, *cum alii in iudicium & condemnationem ignis perpetuo cruciandi mittentur, alii vero perpessionis & corruptionis & doloris expertem statum atque immortalitatem consequentur.* Neque vero medium agnoscit adventum inter primum illum ad redimendum genus humanum, & secundum ad iudicandum vivos & mortuos & seculum per ignem. Unde quidem suapte sequitur, regnum illud Christi millenarium ad intermedium illud tempus primum inter & secundum adventum, militantis adeoque Ecclesiæ, sed florentis ac regnum in orbe terrarum obtinentis pertinere. Luculentum sane huius rei testimonium in eodem dialogo cum Tryphone Iudæo habetur n. 110. postquam in præcedenti locum Michææ IV. *c)* de conversione gentium, quo Chiliastæ maxime abutuntur, attulisset, *Ex omnibus scripturis*, sunt S. Martyris verba: *demonstratum est, duos Christi adventus esse nuntiatos; alterum quidem, in quo perpessioni obnoxius, & inglorius, & ignominia affectus, & crucifixus prædicatur; alterum vero, in quo cum gloria e cœlis aderit, quando & defectionis homo grandia etiam adversus Altissimum in terris loquens nefanda audebit in nos*

*a)* p. 179. *b)* Præfat. P. II. p. LVI. *c)* p. 203.

*nos christianos, qui postquam ex lege & doctrina Ierosolymis egressa rationem colendi Dei per apostolos Iesu cognovimus, ad Deum Iacob & Deum Israel confugimus, & qui bello & mutuis cædibus & improbitate omni cumulati eramus in toto terrarum orbe, instrumenta quisque bellica enses in vomeres, hastas in agrestia arma mutavimus, aramus pietatem, iustitiam, humanitatem, fidem, spem illam, quæ est ex Patre per eum, qui crucifixus est.* Eundem sensum mysticum S. Irenæus (dum posterioribus quinque libri V. contra hæreses capp. qui passim tamen in MSſ. atque etiam prioribus editionibus desiderantur, Papiam sequitur) lib. IV. c. 34. secutus notatur, perinde ac Tertullianus in libro adversus Iudæos c. 3. & alii circa *Sanctam civitatem Ierusalem novam descendentem de cœlo a Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo.* Quod de Ecclesia Christi in terris accepimus regnante; eique novæ Ierusalem aliquando etiam synagogam adiungendam speramus, non crasso illo Chiliastarum errore, ut vidimus. *Ne existimetis*, a) S. Iustinus Tryphonem Iudæum alloquitur in dialago, *Esaiam aut cæteros Prophetas dicere sacrificia sanguinis aut libationum altari imponi, sed vera & spiritualia, laudes & gratiarum actiones.* Quæ sunt consentanea Ecclesiæ illi sanctorum in terris resurrectione prima b), *in quibus secunda mors non habet potestatem; sed erunt sacerdotes Dei, & Christi, & regnabunt cum illo mille annis*, dum auream & gemmatam in terris Hierusalem fingunt Chiliastæ, Tertullianus etiam, nec tamen satis sibi constans, ut videtur ex sequenti loco c): *De restitu-*

a) N. 118. p. 211. b) Apoc. XX. 6.
c) Adversus Marcionem lib. III. p. 411.

*stitutione vero Iudaeae, quam & ipsi iudaei, ita ut describitur, sperant, locorum & regionum nominibus inducti, quomodo allegorica interpretatio in Christum, & in Ecclesiam, & habitum & fructum eius spiritaliter competat, & longum est persequi, & in alio opere digestum, quod inscribimus, de spe Fidelium, & in praesenti vel eo otiosum, quia non de terrena, sed de coelesti promissione sit quaestio. Nam & confitemur in terra nobis regnum repromissum; sed ante coelum, sed alio statu; utpote post resurrectionem in mille annos, in civitate divini operis Hierusalem coelo delata, quam & apostolus matrem nostram sursum designat; & politeuma nostrum, id est mancipatum in coelis esse pronuntians, alicui utique coelesti civitati eum deputat. Hanc & Ezechiel novit, & apostolus Ioannes vidit, & qui apud fidem nostram est, novae prophetiae sermo testatur, ut etiam effigiem civitatis ante repraesentationem eius conspectui futuram in signum praedicarit.* Agmen Chiliastarum dici potest Lactantius Sec. IV. clausisse a) tunc, quando Ecclesia militans regnum Christi in terris statu presso, sub imperatoribus ethnicis, eluctata est. Neque enim ad veterem illum Chiliasmum pertinet regnum Christi, quod a regno Dei passim distinguit S. Hilarius, ut in praef. operum §. 6. editores San-Maurenses demonstrant. Multo minus huc locus S. Ambrosii in Psal. I. pertinet, in quo duas resurrectiones distinguit n. 54. b) luculento potius ignis purgatorii documento, dum S. Ioannes beatum dicit, qui habet partem in prima resurrectione. *Isti enim*, sunt verba S. Ambrosii, *sine*

a) Lib. VII. institut. c. 14. &c. b) T. I. p. 763.

*sine iudicio veniunt ad gratiam: qui autem non veniunt ad primam resurrectionem, sed ad secundam reservantur, isti urentur, donec impleant tempora inter primam et secundam resurrectionem: aut si non impleverint, diutius in supplicio permanebunt. Ideo ergo rogemus, ut in prima resurrectione partem habere mereamur.* Qui nimirum regenerati sumus *in spem vivam per resurrectionem Iesu Christi ex mortuis: in hæreditatem incorruptibilem et incontaminatam et immarcessibilem conservatam in cœlis in vobis.* I. Petri I. 3. 4. *Quam*, ut in hunc locum commentatur Didymus Alexandrinus, a) *dum dicit mansuram, perpetuitatem eius aperit: & dum probat meliorem, divinitatem repositæ hæreditatis ostendit. Si ergo in cœlis fidelibus hæc servatur hæreditas, frivola quædam et tepida proferunt aliqui, putantes eam se percipere in terrena Hierusalem; mille annis existimant esse deliciarum præmia proprietate recepturos. Qui etiam interrogandi sunt, quomodo adstruant delicias corporales; cum dicatur, hanc hæreditatem nec corrumpi posse, nec marcessere, maxime cum ipsi dicant, hæc posse finiri completo anno millesimo. His copulanda sunt illa verba, quibus dicatur, quo in regno cælorum sit hæreditas constituta, et nequaquam corruat, eoquod sit intelligibilis, quando sensibilia cognoscuntur. Illa namque Spiritus sanctus dignissimis manifestat.* Equidem Papias et eius sequaces, quos citavimus, Chiliasmum hunc a crassis et carnalibus Cerinthiorum hæreticorum idæis defœcarunt. Pro-

a) T. VI. Bibl. PP. edit. Venetæ p. 288.

miscue vero S. Hieronymus loquitur de Chiliastis in cap. 19. Ieremiæ, nec penitus damnare audet: *a) Quamquam*, inquit, *sibi Iudæi aream atque gemmatam Ierusalem restituendam putent, rursumque victimas et sacrificia, et coniugia sanctorum, et regnum in terra Domini Salvatoris, quæ licet non sequamur, tamen damnare non possumus: quia multi ecclesiasticorum virorum et martyres ista dixerunt*; sed ut vidimus ab iis, quæ Iudaismum sapiunt defæcata.

Hoc si porro fiat de Hierusalem, ut veteri nova, nempe Ecclesia ac regnum Christi in terris substituatur, prout post tempora illa persecutionum, in quibus martyres illi vixerunt, effloruit: quid aliud, nisi militantis Ecclesiæ adumbrationem habemus? quousque scilicet ligatus est satanas, rotundo illo, ut vocare solemus, annorum mille numero, prout familiare est in Scripturis propheticis præcipue, ac imprimis Apocalypsi. Neque præcise unquam aliquid statuerunt Patres illi ac martyres Chiliastæ Iustinus et Irænæus sive de fine periodi illius, sive de exordio; tantum communis illa persuasio de Antichristo ex Romanis imperatoribus, desolatione abominationis stante in loco sancto, proximaque ruina Romæ Romanique imperii eos necessitate constrinxit, regnum Christi in terris post hæc facta statuere: sicuti revera contigit res, fueruntque ex imperatoribus Antichristi multi Ecclesiam Dei persequentes; sed verus ac unus ille homo peccati, *b)* filius perditionis ex ipso fors Ecclesiæ gremio refer-

*a)* T. III. p. 620. *b)* II. Thes. II. 3.

reservatus est ultimis ante consummationem mundi temporibus: qui, iuxta Apostolum, *adversatur, et extollitur supra omne, quod dicitur Dei, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se, tanquam sit Deus.* Hæc futura proxime ante adventum secundum Christi, sequentia declarant: *Et tunc revelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet Spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui eum.*

---

## Caput VII.

### *Opinio de propinquo fine mundi.*

Apostolo de extremis orbis temporibus ante consummationem mundi, atque adeo de Antichristo sermonem esse, dubium non relinquunt sequentia verba: *Et tunc revelabitur ille* iniquus, *quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui eum.* Et licet ibi Thessalonicenses errorem dedoceat, quasi iam instaret dies Domini, novissima tamen tempora imo horam tunc denunciabant omnes, quorum epistolas habemus, Apostoli, et post illos etiam S. Ignatius; nec ut mox videbimus, abludit S. Barnabas. Et S. Iustinus M. Tryphoni Iudæo *a)* respondens Danielem obiicienti, qui Messiæ adventum gloriosum, mundi monarchias scilicet contrituri obiicit, dum duplicem distinguit Adventum, quem utrumque etiam David in psalmo prænuntiavit: *ex quibus*, inquit, *Christum*



*a)* Dialog. cum Tryph. n. 32. p. 129.

*stum intelligetis a sancto prophetico spiritu Dominum etiam vocari, et a Patre omnium Domino e terris evocari, et ad ipsius dextram collocari, donec Pater ponat inimicos scabellum pedum eius. Quod quidem iam inde fit ex quo in cœlum ascendit redivivus ex mortuis D. N. I. Ch. currentibus ad finem temporibus, iamque eo pro foribus adstante, qui impia et nefanda in Altissimum locuturus est.* Ut iam alibi in *stachyologia De sublimi in Evangelio Christi* ex Patribus rem declaravi ad eam Christi intentionem, ut incertos nos et suspensos de suo terribili Adventu contineret.

Facile tunc sub ethnicis imperatoribus diras persecutiones, tormenta, et mortes perpessi fideles, calamitates et pericula novissimorum temporum in animum sibi inducebant; Nerones redivivos, Caios &c. Antichristos ob oculos posuerunt: veluti Iudas Syrus, Eusebio testante, Severum imp. in christianos *a)* furentem coram habens, dum in Danielem commentatur, proximum sibi finxit Antichristum, *quia*, ut de eo loquitur S. Hieronymus in catal. Script. *magnitudo persecutionis præsentem mundi minabatur occasum*, ut iam Pamelius ad similem Tertulliani locum *de Antichristo iam instante, et in sanguinem, non pecunias biante Christianorum* annotavit ad cap. 13. *de fuga in persecutione.* Vicissim vero gentiles publicarum tunc calamitatum causam in christianos iactabant, quod est S. Cypriani contra Demetrianum argumentum, ubi ei senescentem iam

a) Lib. VI. hist. c. 6.

iam mundum ob oculos ponit argumento ad hominem; *a*) ad Tibaritanos vero scribens, eos *scire* vult, *et pro certo tenere, occasum seculi, atque Antichristi tempus appropinquasse*; et ad Fortunatianum *b*) *in fine atque consummatione mundi Antichristi tempus appropinquare nunc cœpisse.* Alia S. martyris præcisiora adhuc postea occurrent. De S. Hyppolyti M. supputatione, quæ disserta quam maxime habetur in eiusdem Danielis interpretatione, quæ nuper primum Romæ in lucem prodiit, mox videbimus; parum item ab eius computatione abesse Iulium Hilarionem *c*) in lib. *de mundi duratione*, quem vergente sec. quarto scripsit, palam est. De Appollinari Laodiceno S. Hieronymus in cap. 9. Danielis testatur eum post annos 434. ab Claudii imp. tempore Eliæ, proximeque Antichristi adventum determinasse; alii statuerunt Christi adventum ad an. 365. In novissima Philastrii editione, *d*) in Bibl. PP. Veneta legitur, qui in omnibus editis deesse notatur, hæresis 79. eorum *quæ consummationem seculi secundum temporum definitionem a Deo Christo Salvatore fuisse statutam asserunt. Hincque certum esse numerum consummationis suspicantur, et non plus minus opinantur, cum prophetæ undique nuntiaverint circa 500. annum fieri consummationem seculi, et sic Dominum de cœlis iterum advenire.* S. Augustinus *e*) eundem errorem notavit; alium item eorum, qui annos 400. vel 1000. ab ascensione Domini usque ad secundum eiusdem adventum numerabant.

B 3 Ab

*a*) Epist. 66. *b*) Epist. 53. *c*) T. VIII. Bibl. PP. p. 238 *d*) T. VII. p. 499. *e*) De civit. Dei lib. XVIII. c. 55

Ab hoc parum alieni sancti PP. qui eluctati tempora persecutionum imperatores christianos, sed hæreticis patrocinantes adversus se experiebantur, aliasque calamitates præ oculis habebant, perinde ac martyres illi, quos audivimus, loquebantur. S. Hilarius contra Auxentium Arianum, a) *Quid autem* ait, *illud sit, quod ignorandum ultra non sit, breviter exponam. Secundum placitam Deo plenitudinem coarctata sunt tempora. Circumscripta enim ratio eorum cælestibus libris docetur: ac necesse est, in ipsam nos ætatem Antichristi incidisse* &c. S. Cyrillus Hieros. Arianis Antichristianis, Christum nempe verum Deum negantibus, Sabellianos, quos perinde attinet, quod S. Ioannes dicit: b) *hic est Antichristus, qui negat Patrem, et filium*, iungens: *Nunc vero*, inquit, *defectio est: defecerunt enim homines a recta fide, et alii quidem Filio paternitatem prædicant, alii vero Christum ex non extantibus ad esse productum dicere audent. Et prius quidem conspicui erant hæretici; nunc autem occultis hæreticis repleta est Ecclesia... Hæc igitur defectio est, et exspectandus iam inimicus, et iam ex parte præcursores suos mittere occepit, ut ipse ad prædam paratus subsequatur.*

Haud abludit S. Basilius Epist. 71: nec uno loco S. Chrysostomus et S. Ambrosius, ut passim alii prædicationem Evangelii per orbem, quam præcessuram secundo adventui suo Christus prædixit, in argumentum adducunt: ac S. I. Chrisostomus quidem hom. 21 in epist. ad Hebræos *dixit*, ait, *cum*

a) n. 5. p. 1265. b) I. Io. II. 22. Cath. 15. n. 9. p. 228.

*a) cum prædicatum fuerit Evangelium omnibus gentibus, tunc finem esse venturum. Ecce ad finem iam pervenimus; fuit enim prædicatum maiori parti orbis terræ. De cætero ergo instat finis.* Certius adhuc passim designat alibi tempus, *b)* ut alias iam prodidimus de S. Ambrosio etiam, qui in Lucam: *Præcessit, c)* inquit, *in orbem terræ Evangelii prædicatio, cui iam Gothi, et Armenii crediderunt, et ideo mundi finem videmus.* Eadem *d)* apertius adhuc paulo ante de Barbarorum irruptionibus; quibus tunc conficiebatur Romanum imperium, quod signum inter plerosque alios, ut suo loco videbimus, S. Hieronymus in Ezech. c. 25. agnoscens, cum præsens tunc periculum obversabatur, dicit, se *dierum miserias noctium studio compensare. Pascitur*, subdit, *animus, et obliviscitur seculi calamitatum, quod in extremo fine iam positum congemiscit, et parturit, donec qui tenet, de medio fiat, et pedes statuæ quondam ferrei fragilitate digitorum fictilium conterantur.* S. I. Chrisostomo, ut iam in stachyologia de sublimi in Evangelio Christi notavimus, visæ sunt iam ad fores esse res ipsæ seu signa interituri mundi hom. XX. in Matth. n. 6. *Nec scimus*, addit, *num forte in hac generatione omnia nostra finem habitura sint, et dies ille tremendus sit adventurus* &c. Hom. XXXV. al. XXXIV. in Ioan. (T. VIII. p. 200.) determinatius adhuc videtur initia sec. V. quo toties diruta fuit Roma, innuere. S. Augustinus in epist. *d)* ad Hesychium Salonitanum



*a)* T. XII. p. 198. *b)* T. VII. p. 267. T. VIII. p. 200.
*c)* T. I. p. 1507. n. 10. p. 1506. *d)* T. XII. p. 198.

de hac re interrogatus, contrarium quidem adstruit, perinde ac lib. XX. de *civitate Dei a)* contra eos, qui nimium asserte ac præcise tempus determinare sunt ausi. Ab eorum ipse sententia, qui non minus quam mille annos ab ascensione Domini usque ad consummationem seculi statuunt, non penitus abhorret libro XX. in millenariorum sententiam inquirens. Auctor sermonis inter eius opera *de tempore Barbarico*, *b)* haud remotus ab ætate S. Augustini, tempore grassantis hæresis Arianæ præcise loquitur: *Advenit*, ait, *tempus illud, quod prædixit Dominus*: Putas, cum venerit filius hominis inveniet fidem in terra? &c. Eandem in rem hunc, aliaque Apostolicorum etiam virorum epistolarum et Apocalipseos loca Zachæus christianus in consultatione cum *c)* Apollonio Philosopho adolescente sec. V. postquam attulisset, ac pluribus expendisset, tandem concludens, *Percurre iam singula*, inquit, *atque ex his, quæ geruntur, aut gesta sunt, quid supersit, intellige: profecto id tantum deesse perspicies, quod novissimis aut iam adscribi posset, aut iungi.* Et postquam longa serie recensuisset suæ ætatis mala, *æstima quæso*, pergit, *utrum hoc fere diu esse seculum possit, quod eloqui humanus sermo vix audet. Utrumne hæc diabolo otiante sic sæviant; quæ licet merito nostris sint reputanda peccatis, illius tamen opere tecto peraguntur, qui coram continuo congressurus, ita supremorum urgetur angustiis, ut quod adimplendum Evangelia prædixerunt, agere orbis desertione iam cæperit.*

S. Gre-

a) Opp. T. VIII. p. 200. b) T. VI. append. p. 608.
b) IX. Bibl. PP. p. 246. &c.

S. Gregorius M. haud obscure proximum mundi occasum ex calamitatibus sui ævi arguit, fidelesque, quod fugientem labentemque adhuc sequantur, reprehendit. Tota in hoc argumento versatur L. I. homil. I. in Evang. et homil. IV. n. 2. *Ruinæ a) namque*, ait, *illius voces eius sunt. Qui enim tot attritus percussionibus a gloria sua cecidit, quasi iam nobis e proximo regnum aliud, quod sequitur, ostendit. Ipsis iam et a quibus amatur, amarus est. Ipsæ eius ruinæ prædicant, quod amandus non est.* Breviter S. Pontifex L. I. ep. 11. ad Clementiam patriciam, eam ad contemtum mundi hortatus, *cuius*, scribit, *ruina in ipsis iam causarum effectibus comprobatur. Sed huic nos solerti decet conversionis cautela subducere, ne sua nos secum pariter ruina circumplicet.* Et lib. II. homil. XXVIII. *Ecce iam mundus*, ait, *in seipso aruit, et adhuc in cordibus nostris floret. Ubique mors, ubique luctus, ubique desolatio: undique percutimur, undique amaritudinibus complemur; et tamen cæca mente carnalis concupiscentiæ ipsas eius amaritudines amamus, fugientemque sequimur, labenti inhæremus. Et quia labentem retinere non possumus, cum ipso labimur, quem cadentem tenemus. Aliquando mundus delectatione sibi nos tenuit: nunc tantis plagis plenus est, ut ipse iam mundus mittat nos ad Deum.* Andreas Cæsariensis in commentario super Apocalypsin eorum sententiæ accedit, qui adventum Christi secundum mille post primum annis statuunt: quæ maxime pervagata opinio completis mille annis Sec. XI. miros

a) T. I. p. 1436. &c. ib. p. 1446. &c.

miros effectus tunc habuit domi forisque, expeditionibus nimirum ad recuperandam terram sanctam: quarum insignis promotor S. Bernardus sec. XII. ex flagitiis etiam grassantibus mundi finem propinquum arguit. Etsi vero Paschalis II. in conc. Florent. an. 1105. damnaverit eos, qui Antichristum tunc natum dicerent: eodem tamen adhuc seculo Ioachimus abbas post sexaginta annos venturum putavit, quem aliosque, qui deinceps fixerunt orbis exterminium, apud Calmetum relatos invenies dissert. de Antichristo art. 5.

---

## Caput VIII.

### *De duratione mundi.*

Antiquissima est opinio, quam etiam Iudæi in in suo Talmude, ad convictionem propriam, Messiam iam venisse, adoptant et circumferunt, tenentque sex millium annorum mundum fore, postea destruendum: duo millia annorum inanimatis, id est, sine lege, duo millia legis, et duo millia Messiæ ut ex Galatino lib. IV. *de arcanis* c. 20. refert Hugo Menardus edit. noviss. Cotelerii curante Io. Clerico, in notis ad epistolam S. Barnabæ, qui ipse opinionem illam persequitur his verbis: *advertite filii, quid dicat:* consummavit in sex diebus: *id ait; omnia consummabit Dominus Deus in sex millibus annorum. Nam apud illum dies æquiparatur mille annis, ut ipsemet testatur: Ecce hodiernus dies tanquam mille anni. Itaque, filii, in sex diebus, hoc est, in sex anno-*

*annorum millibus consummabuntur universa.* Et requievit die septima. *Hoc ait: quando veniens eius Filius tempus iniqui abolebit, ac iudicabit impios, et mutabit solem ac lunam, stellasque: tunc pulchre requiescet die septima.* P. Hugoni Menardo videtur hæc innui doctrina cap. IV. epist. S. Pauli ad Hebræos: v. 3. &c. *Ingredimur enim in requiem qui credimus: quemadmodum dixit; quibus iuravi in ira mea, si introibunt in requiem meam; et quidem operibus ab institutione mundi perfectis. Dixit enim in quodam loco de die septima sic: Et requievit Deus die septima ab omnibus operibus suis.* Unde infra dicit: *Nam si eis Iesus requiem præstitisset, nunquam de alia loqueretur posthac die. Itaque relinquitur sabbatismus populo Dei.* Requies nempe regni cœlestis, quæ diei septimæ succedit, ut Menardus adnotat. *Quia tamen*, subdit, *hæc interpretatio videtur nova, nolim eam pertinaciter defendere.* Probe vero pensanda sunt, quæ mox allata a nobis ex epistola S. Barnabæ verba sequuntur, pertinentque ad regnum Christi cum sanctis in terris, non quale Chiliastæ statuunt, deliciis affluens et otiosum, sed operosum in sanctitate et iustitia coram Deo, qua late patet regnum idipsum Christi, florens per orbem Ecclesia, pacata, sanctificans in Christo. Sed S. Barnabam audiamus: *Denique ait:* sanctificabo eam in manibus mundis, et corde puro. *Si ergo quam diem Deus sanctificavit, aliquis non potest sanctam efficere, nisi sit per omnia mundus corde, erravimus. Vide igitur; tunc pulcre requiescens sanctificabit illam, quando nos pote-*

*rimus*

*rimus recepta iusta promissione, deleta iniquitate, novatis vero cunctis a Domino: poterimus, inquam, tunc eundem diem reddere, ipsi prius sancti effecti. Demum illis dicit:* Novilunia vestra, et Sabbata vestra non fero. *Cernite qua ratione loquatur: Non mihi accepta sunt præsentia Sabbata; sed illa, quæ feci: quando scilicet universis finem imponens, octavi diei faciam initium, hoc est initium alterius mundi. Idcirco et diem octavum in lætitia agimus; in quo et Iesus resurrexit a mortuis, et cum apparuisset, ascendit in cœlum. a)* Quæ ad hunc locum inter alia Cotelerius adnotat ex libro Sacramentorum seu Liturgia S. Gregorii, rem omnem dilucidant. Sunt autem hæc: *Quo sic in senarii numeri perfectione in hoc seculo vivatis; et in septenario inter beatorum Spirituum agmina requiescatis, quatenus in octavo resurrectione renovati, iubilæi remissione ditati ad gaudia sine fine mansura perveniatis.*

Congruit, cohæretque systema iuxta calculum Septuaginta interpretum, quem Iudæi hellenistæ, omnisque antiquitas ecclesiastica secuta est; quemque S. Hippolytus S. Irenæi discipulus sic explicat, ut Christum demum mundi quinquies millesimo quingentesimo anno natum existimet in libro de Antichristo (a Photio idcirco reprehensus) et interpretatione Danielis *b)* nuper Romæ in lucem protracta. S. Irenæus eodem modo loquitur de sex mille annis, quibus omnia consummanda sint, *c)* ut S Barnabas: cumque præcipuus sit regni millenarii assertor, explicationem de septenario et octena-

*a)* p. 47. *b)* p. 99. *c)* lib. V. contra hæreses. c. 28.

octenario ex S. Barnaba datam accipit, ut ille ad Sabbatum regni Christi in hac terra, hic ad vitam æternam in cœlis pertineat. Germanus Constantinopolitanus Hippolyto tribuit, *fore anno sexies millesimo quingentesimo eum adventum, qui futurus est*, ut ad interpretationem Danielis adnotatur. Germanum in mystica Theoria Hippolyto iungere Cyrillum et Chrysostomum: *Veteres enim*, additur, *sextum et septimum assumebant millenarium, ut rerum finis initio responderet, de quo legimus:* complevitque Deus die septimo opus suum. Sic S. Barnabas et S. Irenæus accipiendi sunt, quando dicunt omnia consummasse Dominum Deum in sex millibus annorum, ut luculenter rem modo memoratus S. Gregorius Nissænus expositione in psalm 6. explicat: *Cum enim*, ait, *Deus mundum, et omnia, quæ in eo sunt, sex diebus creasset, et septimo requievisset: sicque per revolutionem septimanarum omnia decurrant usque ad iudicii diem, finita ultima septimana orietur octavus dies in ævum mansurus, sine ulla dierum revolutione, sine ulla noctis et lucis vicissitudine.* Obscurius de Sabbato isto, ac complexe S. Hieronymus in epist. ad Cyprianum: *Ego*, inquit, *arbitror ex hoc loco, et ex epistola, quæ nomine Petri Apostoli inscribitur, mille annos pro una die solitos appellari: ut scilicet, quia mundus in sex diebus fabricatus est, sex millibus annorum tantum credatur subsistere, et postea venire septenarium numerum, et octenarium, in quo verus exercetur sabbatismus, et circumcisionis puritas redditur.* Videtur hic resurectionem carnis respi-

cere

*aliquos perdet, alii sub eius ditione remanebunt.* Tunc revelabitur ille impius, filius perditionis, qui elatus est adversus omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur. ita ut in templo Dei sedens ostendat *se tanquam ipse Deus. Hic erit proprius Antichristus. Huic potentissimus ille draco, cui decem cesserunt reges, tradet vim et potestatem suam, et mirabuntur universi mortales. Et erunt Antichristi tempora (quæ tempora mortalia sint necesse est) qualia cum Antiochus, sub regno suo unum populum in Apostasia facere conabatur; cui (quia tempus non fuit) non talia evenerunt, qualia tentabit efficere Antichristus. Dum venerit, ad perditionem infidelium veniet: cuius tempus grave et nefandum erit, quem solus* Dominus Christus interficiet spiritu oris sui, et evacuabit præsentia adventus sui. *Superato igitur et interfecto Antichristo, summa completa annorum sex millium, fiet resurrectio omnium sanctorum adhuc superstite mundo; decurrentibus etiam annis mille, in quibus draco ille antiquus diabolus et satanas ligatus in abysso, sequestratus erit, ne seducat quemquam, donec consummentur anni tres qui anni tres adnumerabuntur, qui sub signo Antichristi remanebunt, et hi omnes nubent et nubentur, et morientur; super hos et plagæ illæ descriptæ in Apocalypsi advenient, et partibus subinde cæditur hic mundus. Nam sanctis Dei, in resurrectione unus erit dies, et tantum erit prolongatus in lucem dies iste sanctorum, quantum impiis illius in mundo cum pœna viventibus mille numerabuntur anni. Iste est dies septimus, et sabbatus æternus verus, cuius imaginem tenet sabbatus ille temporalis in Moses lege conscriptus.*

Reme-

Rememoranda hic ſunt, quæ ſupra de veterum opinione diximus, finem mundi propinquum tunc exiſtimantium, quem nos poſt tot ſecula intelligimus mundum eſſe tenebrarum harum, cuius iudicium Boſſuetus in commentario ſuper Apocalypſin oſtendit ſeculo quinto factum ſecundum Hippolyti et Hilarionis computationem: qui ea videre ac noſſe non potuerunt, quæ nos vidimus (ut non ſemel animadvertit laudatus Boſſuetus) quod regnum illud in terris ſpectat Apoc. XX. *Si ageretur*, verba ſunt Boſſueti *a*) (de excidio Babylonis) *tantum de cœleſti gloria et regno, illud imperium ſempiternum diceretur, non autem ad mille annos. Cum ergo dicitur, beatas animas cum Chriſto regnaturas, profecto intelligendum eſt de illo regno, ſeu de gloria ſanctarum animarum in Eccleſia Chriſti uſque ad ſeculi finem, ante reſurrectionem ultimam.* Hoc ſuppoſito commodam interpretationem habet Chiliaſtarum illorum ſententia, qui carnaliter non ſapiebant.

Ex his Lactantius omnino calculum S. Hippolyti iuxta LXXII. ſecutus, *b*) *ſciant igitur* inquit, *philoſophi, qui ab exordio mundi ſeculorum millia enumerant, nondum ſextum milleſimum annum eſſe concluſum: quo numero expleto conſummationem fieri neceſſe eſt, et humanarum rerum ſtatum in melius reformari; cuius rei argumentum prius ennarrandum eſt, quo ratio eluceat. Mundum Deus, et hoc rerum naturæ admirabile opus (ſicut arcanis ſacræ Scripturæ continetur) ſex dierum ſpatio conſummavit, diemque ſeptimum, quo ab operibus*

*a*) T. III. opp. p. 789. *b*) lib. 7. c. 14.

*suis requieverat, sanxit. Hic autem est dies Sabbati, qui lingua Hebraeorum a numero nomen accepit, unde septenarius numerus legitimus ac plenus est..... Et rursus, quoniam perfectis operibus requievit die septimo, eumque benedixit, necesse est, ut in fine sexti millesimi anni malitia omnis aboleatur e terra, et regnet per annos mille iustitia, sitque tranquillitas et requies a laboribus, quos mundus iamdiu perfert.* Illi tunc, sec. III. finiente nimirum, *omnis exspectatio non amplius quam ducentorum visa est annorum.* Iam propius tempus fidelibus S. Athanasius designabat in caput 65. Isaiæ, *qui sex diebus, in quibus factus est mundus, transscensis et præteritis, festinant ad septimum diem, id est sabbatum, in quo vera est requies.* Quæ vero de sex annorum millibus dicta sunt iuxta LXXII. etiam a S. Ambrosio fuerunt animadversa, non adæquare præsentis seculi tempora: *Plures*, inquit, a) *quam sex millia computantur anni; et malumus sex dies per symbolum intelligere, quod sex diebus mundi opera sunt creata, ut per tempus opera, per opera mundum intelligamus. Et ideo mundi temporibus impletis, resurrectio futura monstratur: aut quia is, qui supra mundum adscenderit, et huius seculi momenta transscenderit, velut in sublimi locatus, futuræ resurrectionis fructum exspectabit æternum.* Videtur hic præ oculis habuisse communem illam propemodum veterum opinionem de sex millibus annorum, qua de re sæpius agit S. Augustinus eiusdem etiam aliquando, ut ex sermone 259. patet, sen-

a) lib. VII. in Luc. n. 6. T. I. p. 1412.

ſententiæ, quam lib. XX. c. 7. de civitate Dei *a*) retractans in Apoc. XX. de reſurrectione prima, regnoque Chriſti in terris mille annis, *Qui*, inquit, *propter hæc huius libri verba primam reſurrectionem futuram ſuſpicati ſunt corporalem, inter cætera maxime numero annorum mille permoti ſunt, tanquam oporteret in ſanctis eo modo veluti tanti temporis fieri ſabbatiſmum, vocatione ſcilicet ſancta poſt labores annorum ſex millium, ex quo creatus eſt homo, et magni illius peccati merito in huius mortalitatis ærumna de paradiſi felicitate dimiſſus eſt, ut quoniam ſcriptum eſt:* unus dies apud Dominum ſicut mille anni, et mille anni ſicut dies unus, *b*) *ſex annorum millibus tanquam ſex diebus impletis, ſequatur veluti ſeptimus in annis mille poſtremis, ad hoc ſcilicet ſabbathum celebrandum reſurgentibus ſanctis. Quæ opinio eſſet utcunque tolerabilis, ſi aliquæ deliciæ ſpiritales in illo ſabbatho adfuturæ ſanctis per Domini præſentiam crederentur. Nam etiam nos hoc opinati fuimus aliquando.* Affert deinceps modum ac rationem, quo res accommodate accipi poſſit, ſive in illo LXX. Int. calculo, ſive etiam in alio quocunque, ſenſuque illo, quo mille illi poſtremi anni computantur inde ab efflorescente Chriſti in terris regno Eccleſia quidem militante, ſed pacata degente in orbe chriſtiano ac regnante. „ Mil-
„ le autem anni, *inquit*, duobus modis poſſunt,
„ quantum mihi occurrit, intelligi: aut quia in ul-
„ timis annis mille iſta res agitur, id eſt, ſexto
„ annorum millenario tanquam ſexto die, cuius



*a*) T. VII. p. 580. *b*) I. Pet. III. 8.

„ nunc spacia posteriora volvuntur, secuturo dein-
„ de sabbato, quod non habet vesperam, requie
„ scilicet sanctorum, quæ non habet finem: ut
„ huius milliarii tanquam diei novissimam partem,
„ quæ remanebat usque ad terminum sæculi, mil-
„ le annos appellaverit; eo loquendi modo, quo
„ pars significatura toto: aut certe mille annos pro
„ annis omnibus huius seculi posuit, ut perfecto nu-
„ mero notaretur ipsa temporis plenitudo. „ Idem
S. Pater in expositione Psalmi sexti notat, qui
septimo annorum milliario iudicii diem futurum
putarint, successuram octavam tenuisse, quæ sit
æternæ felicitatis initium. Nihil hæc opinio com-
mune habet cum ea Chiliastarum, qui resurrectio-
nem primam corporum iustorum statuebant, prout
seculo X. Aretas Cretensis in cap. 20. Apoc.
millenariorum mentem explicat, ut 6000. annis
transactis iusti tantummodo sint resurrecturi, et
post 1000. iterum annos omnes omnino homines.
V. Beda comment: in Ps. LXXXIX. 10. „ sex
„ ætates, *ait*, huius seculi sunt: septima dormi-
„ entium, id est illorum, qui adhuc exspectant
„ communem resurrectionem: octava vero resur-
„ gentium: quando novissima mors destruetur,
„ et quando duplici stola vestiemur, scilicet in ani-
„ ma et corpore. „ Id quod commode sententiam
S. Barnabæ supra allatam de sabbato huius vitæ
explicat. *a)* Sic S. Petro Damiani sabbatum „ illud
„ est spacium, quod est a die, qua morimur,
„ usque ad resurrectionis diem, quo videlicet ad
„ tribunal æterni iudicis resumtis corporibus præ-
„ sen-

*a)* lib. VI epist. 33.

„ sentamur: dies vero dominicus illa post iudi- „ cium æternitas erit, quæ lucis et gloriæ ter- „ minum non habebit. In huius ergo defluentis „ temporis sabbato unusquisque nostrum suum „ corpus affligat, ut in illo postmodum suaviter „ requiescat. „ Igitur sanctissimus vir rigidissima, quam pro more seculi traduxit, vita, nequaquam existimavit sabbati requiem in præsenti seculo, regno Christi Ecclesia militante usque ad consummationem seculi, præsentis vitæ malis turbari.

---

## Caput IX.

### *Regnum Christi in terris usque ad consummationem seculi perennans.*

Sic recte se habet regnum illud millenarium Ecclesiæ Christi in terris, accipiturque ut modo ex S. Augustino a) audivimus; *pro annis omnibus huius seculi.* Atque postea de sanctis: *regnant*, inquit, *cum Christo etiam ipsi mille annis eisdem sine dubio, et eodem modo intelligendis, id est isto tempore prioris eius adventus. Excepto quippe illo regno, de quo in fine dicturus est:* Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum, *nisi alio aliquo modo longe quidem impari iam nunc regnarent cum illo sancti eius, quibus ait;* Ecce ego vobiscum sum usque in consummationem seculi, *profecto non etiam nunc diceretur Ecclesia regnum eius, regnumve cælorum. Nam utique isto tempore in regno Dei eruditur scriba ille,*



a) lib. XX. de civit. Dei c. 9. T. VII. p. 585.

*qui profert de thesauro suo nova et vetera*, *de quo supra locuti sumus. Et de Ecclesia collecturi sunt zizania messores illi*, *quae permisit cum tritico simul crescere usque ad messem* &c. Quae paulo ante ex eodem opere S. Patris de civitate Dei c. 7. in eandem sententiam attullimus, videntur ex S. Victorini ep. Petavionensis et M. circa finem sec. III. scholiis seu commentariis in Apocalypsin expressa: certe ad rem quae habet S. Gregorius M lib. XVIII. moralium in Iob. n. 67. „ *a*) Millenario etenim, *inquit*, numero non „ quantitatem temporis, sed universitatem, qua „ regnat Ecclesia, designavit. Antiquus autem „ serpens ligatus catena in abyssum mittitur: quia „ religatus a bonorum cordibus apud reproborum „ mentes reclusus, eis atrocius dominatur &c. Iam S. Victorinum audiamus in caput XX. Apo. commentantem: *b*) „ Illi anni in quibus alligatus est „ Satanas, isti sunt in adventu primo Christi usque „ ad terminum seculi, mille autem dicti, eo loquen- „ di modo, quo pars significatur a toto, sicut est „ illud: Verbi, quod mandavit in mille generatio- „ nes: cum non sint mille. Quod autem ait: *et mi-* „ *sit illum in abyssum*, hoc inquit, quia diabo- „ bolus exclusus est a credentium cordibus, caepit „ impios possidere, in quorum quotidie caecis cor- „ dibus tanquam in abyssi profundo inclusus est. Et „ clausit, *inquit*, et signavit super eum, ut non se- „ duceret gentes, donec finiantur mille anni. „ Clau- „ sit super eum, *dictum est*, id est, interdixit, at- „ que cohibuit, ne seducat pertinentes ad Chri- „ stum

*a*) T. I. p. 588. add. lib. IX c. 1. L. XXXII. c. 12. lib. XXXV. c. 20. *b*) T. IV. Bibl. PP. p. 63.

„ ſtum. Signavit autem, quia occultum eſt, qui „ pertineant ad partem diaboli, et qui ad Chriſti. „ Nam et qui videntur ſtare, neſcimus, ſi caſuri „ ſunt; et qui iacent, ſi ſurgant incertum eſt. „ Quod autem ait, ligatum et incluſum illum, „ ut non ſeducat gentes: gentes Eccleſiam ſigni- „ ficant, ex quibus ipſa conſtat, quas ſeductas „ ante tenebat, *donec finiantur*, inquit, *mille an-* „ *ni*, id eſt, quod reliquum eſt de ſexto die, ſci- „ licet ſexta ætate, quæ conſtat mille annis. „ Luculenta ſane hæc eſt regni Chriſti Eccleſiæ deſcriptio in adventu primo Chriſti velut ab infantia ſua creſcentis „ ad conſummationem ſanctorum „ in opus miniſterii, in ædificationem corporis „ Chriſti: donec omnes occurramus in unitatem „ fidei, et agnitionis filii Dei, in virum perfectum „ in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. *a)*

Prioribus quoque mundi ætatibus theocratia quædam obtinuit per epochas patriarcharum, et poſt legem ſub iudicibus uſque ad reges, quos Deus in furore ſuo dediſſe eſt conteſtatus: quosque cum peterent, iratus I. Reg. VIII. 7. *Non enim*, ad Samuelem dixit, *te abiecerunt*, *ſed me*, *ne regnem ſuper eos.* Nihilominus placato Deo, ſemper aliqua conſervata fuit theocratiæ ratio mediantibus prophetis præſertim et ſacerdotio levitico: penes quod etiam proximis ante Chriſtum ſeculis poſt reditum a captivitate Babylonica in ſuperſtite tribu Iuda regalis poteſtas permanſit.

Quemadmodum vero in adventu Meſſiæ Chriſti Domini factus eſt principatus ſuper humerum eius;

 ita

a) Eph. IV. 12. &c.

ita regnum Christi in terris nihil morantur pressuræ Ecclesiæ militantis: quæ prima ætate veluti puerascens ac imbellis paulatim adolevit; a quarto autem Ecclesiæ seculo in virilem ætatem succrevit, primo Christi milinario undique terrarum augmentis per orbis nationes accedentibus per temporum intervalla, non obstantibus internis sub principibus christianis hostibus hæreticis et schismaticis, aut etiam gentilismi reliquiis: quibus deinde Mahometani Saraceni accesserunt illa potissimum Arabiæ vicina in plaga, unde exorta religio christiana fuit a Ierusalem, qua recuperata completo primo milliario cum terra sancta Ecclesia redintegrata, visa est summum attigisse fastigium novis identidem coloniis aucta: dum ecce in oriente obfirmato, successu temporum, schismate, quod iam sec. V. sedis Apostolicæ æmulatione cœpit, post mille annos secul. XV. penitus cum imperio, illuc ante mille etiam annos translato, concidit.

Occidentale vero Imperium dum ab eodem tempore barbararum gentium irruptione paulatim corruit ad octavum usque seculum. Ex tunc Francorum reges, Romæ Italiæque tyrannis Gothorum primum, deinde Longobardorum regibus subditæ succurrentes, sedisque Romanæ centri unitatis ecclesiasticæ dignitatem restituentes, exaltantesque Christi in terris regnum, in præmium veluti retulerunt Imperii occidentalis insignia, Carolo M. primum anno seculari 800. a Leone III. in imperatorem coronato, uti deinceps post Francos imperii Romani corona ornavit aliarum etiam Germanicarum nationum capita, quarum medio illo

ævo

ævo præcipuæ sunt numeratæ præter Franciam Orientalem Saxonica, Bavarica, Alemannica, penes quam Alemannico-Austriacam aliquot iam seculis stetit imperii Romano Germanici prærogativa, tum Ecclesiæ etiam catholicæ est conservata dignitas, sacrumque regimen et regnum sanctorum cum Christo in terris: quod Orientis imperatores iconomachi eo ipso tempore destruere totis viribus sunt annisi, quando in Occidente, præsertim in Germania nostra S. Bonifacii et Sociorum Apostolorum Germaniæ opera est instauratum. In orbe vero catholico stat stabitque, quidquid contra portæ inferorum moliantur, regnum Christi in terris, orbeque terrarum senescente, seu etiam per temporum vicissitudines ac periodico quodam Chiliasmo commigrante, vera religio regnumque sanctorum perennat.

Id duraturum usque ad consummationem seculi affirmant antiqui et recentiores scriptores, qui ex professo in Apocalypsin sunt commentati, antesignano (ut vidimus) S. Victorino M. et Primasio post S. Augustinum. In Appendice operum S. Augustini legitur *a)* insignis in Apocalypsin expositio, quam cum Lovaniensibus theologis editores San-Maurenses in admonitione prævia habent pro annotationibus ex veterum commentationibus, Victorini præsertim, studiose collectis, et in homiliarum formam redactis, ubi hom. 18. in XX. Apoc. *b)* doctrina a nobis modo explicata de regno Christi in terris nequaquam ex sententia Chiliastarum ad mille annos restricto, sed

*a)* T. III. P. II. p. 159. *b)* p. 179.

buit, et si quis alius, utpote Henrici IV. nepos, quinti sororius, et Conradi III. frater uterinus, Friderici I. patruus, circumspicere funesta illa Imperio perinde ac Ecclesiæ tempora potuit, quæ tunc communi fere opinione sua atrocitate, ex collisione potissimum Sacerdotii et regni, orbis novissima credebantur Is in libris *de rebus gestis Friderici I. a)* historiam nobis Arnoldi seu Arnaldi de Brixia eorum antesignani, describit, qui cum Albigensibus, Waldensibus, Wicleffitis, Protestantibus altero Ecclesiæ Dei milliario, veluti senescente iam mundo, cominus et ex adverso regno Christi Ecclesiæ ac hierarchiæ sacræ sese opposuerunt, omnem machinam commoventes, et subvertere statum Ecclesiæ hierarchicum connisi, quoad id usque tempus salvum; cæteri quippe hæretici fidem tantum Ecclesiæ, non ipsam Ecclesiam sunt aggressi. Est hoc etiam ac præcipuum quidem periodi cuiusdam milliariæ specimen, de qua id singulari animadversione dignum est, quod alterum hoc milliarium sit complementum sexti ab orbe condito millenarii iuxta chronologiam textus Hebraici originalis S. Scripturæ, primum illud Ecclesiæ ab Hierosolymis (cuius urbis eversio imago est ruituri orbis ac consummationis seculi) accipientis auspicium, apostolis inde progressis per orbem ad constituendum regnum Christi in terris.

a) lib. II. c. 20.

CA-

## Caput X.

### *Ecclesia militans regnum Christi in terris communione in cœlo triumphantis.*

Memorat in sua historia Hegesippus antiquissimus scriptor, *a)* ex cognatis Christi quosdam, cum sub Domitiano imp. fidem christianam essent confessi, ad Traiani usque tempora vitam produxisse. *Adsunt*, inquit, *illi, et universæ Ecclesiæ præsident, utpote martyres, et agnati Christi.* Id quod perinde est, sive de degentibus in hac adhuc vita, sive de sanctis cum Christo regnantibus in cœlis dicatur. Credimus enim sanctorum in cœlis cum militante Christi Ecclesia in terris communionem. Non proprie satis S. Irenæus loqui videtur de regno illo Christi in terris, quod S. Ioannes notat Apoc. XX. 5. in resurrectione prima, diciturque *Beatus et Sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem; sed erunt Sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum eo mille annis.* Postquam vero S. Martyr posterioribus lib. V. contra hæreses capp. regnum Christi millenarium in terris exposuisset, sic caput ultimum concludit: *Diligenter ergo Ioannes prævidit primam iustorum resurrectionem. Hæc enim et Dominus docuit, mixtionem calicis novam in regno cum discipulis habiturum se pollicitus. Et Apostolus autem, liberam futuram creaturam a servitute corruptelæ in libertatem gloriæ filiorum Dei,* con-

a) lib. III. c. 32.

*confessus est. Et in omnibus iis, et per omnia idem Deus Pater ostenditur, qui plasmavit hominem et hæreditatem terræ promisit patribus, qui eduxit illam in resurrectione iustorum, et promissiones adimplet in filii sui regnum.*

Supponere hæc videntur corporalem quamdam resurrectionem primam: alioquin libenter in sententiam Erasmi Roterodami concesserim, qui in argumento huius lib. V. ex verbis S. martyris: *Post recipientes corpora, et perfecte resurgentes,* subindicari putat, aliquam animarum resurrectionem imperfectam ante corporum resurrectionem. S. Victorinus martyr in scholiis in Apoc. XX. duas distinguens resurrectiones, generatim loquitur *a*) de prima electorum huius vitæ resurrectione: *Prima*, ait *resurrectio nunc est animarum per fidem, quæ non permittit homines transire ad mortem secundam. De hac resurrectione dicit Apostolus:* Si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt sapite. Additur ex Apocal. *Beatus et Sanctus, qui habet in hac resurrectione partem; in istis secunda mors non habebit potestatem, sed erunt Sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis.* Corruptus mihi non videtur S. Victorini locus, qui in editis sequitur: *Mille annorum regnum non arbitror esse æternum.* Ubi Gallandus editor Bibl. PP. negativam delendam arbitratur, hoc autem prius de regno mille annorum Christi in terra ab illo dictis, a nobis paulo ante allatis, repugnaret. Id vero singulare videatur, quod de sacerdotibus Dei et Christi, quos passim hic Christi fideles intelli-

*a*) T. IV. Bibl. PP. p. 63.

telligunt interpretes, ſubdit: *Qui enim*, ait, *virginitatis integrum ſervaverit propoſitum, et decalogi præcepta fideliter impleverit, et feros mores vel impuras cogitationes intra cordis cubiculum iugulaverit, ne dominentur ei, iſte eſt verus ſacerdos Chriſti, et millenarium numerum perficiens integre creditur regnare cum Chriſto, et recte apud eum ligatus eſt diabolus.* Puto S. martyrem hic ſingulariter ad illud reſpicere Apoc. XIV. 4. *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, virgines enim ſunt, et ſequuntur agnum quocunque ierit;* qui dici poſſunt Sacerdotes proprii corporis ſui, ſe ipſos immaculatos in ſacrificium offerentes Deo. S. Iacobus Niſibenus ep. a) de regno ſpirituali chriſtianorum Sermone V. illud Apocalypſi S. Ioannis analogum verſans Dan. VII. 18. *Itaque*, inquit, *regnum ſeculorum hæreditat populus ſanctus, qui loco et vice primi populi electus eſt. Provocavit illos in eo, qui non eſt populus, et in gente ſtulta irritavit illos. Et liberavit populum ſuum ſanctum peculiarem. Nam omne quod fœderatum eſt cum Deo, exemptum eſt a tributis regum et principum. Quamvis aliquis idololatra, et ex gentibus ſervus ſit, eadem hora, qua accedit ad fœdus Dei, fit liber: contra illi permanent in ſervitute ſervientes inter gentes. At vero de ſanctis ſic ait:* Hæreditabunt regnum, quod ſub cœlo eſt; *ſi autem de illis hæc dicta ſunt; quare ſerviunt inter gentes? Quodſi reſponderint nondum factum, ſed fiet: Ecce Regnum quod accipit filius hominis, cœli et terræ regnum eſt. Iam ſcripti ſunt*

a) T. V. Bibl. PP. p. XLI.

*sunt filii regni, et acceperunt eius pignus in hoc mundo: atque ideo interea nequaquam se alicui subdere vult exercitus regis, qui venturus est, et regnum suum recepturus, sed servat depositum eius cum honore, ne, cum venerit, qui abrogat regna, veniat super illos cum ira.*

S. Ioanni in Apocalypsi amplitudinem etiam regni Christi in terris, quo hactenus gavisa est Ecclesia, statu presso eluctata, sub principibus christianis ob oculos versatam, atque in considerationem venire quis dubitet? Conditionem nimirum ac statum externum illustrem in personis ac rebus, pollentem facultatibus, et honorificum, ut qui hæc propter Christum in mundo dimiserit, centum recipiat in hoc seculo. *Quod exponens quodammodo*, sunt verba S. Augustini, *Apostolus, ait*, Quasi nihil habentes et omnia possidentes: *quia et ante iam dictum erat:* Fidelis hominis totus mundus divitiarum est. Prov. 17. Sed hæc indifferentia sunt et accessoria, quibus primum caruit Ecclesia efflorescens, videturque caritura novissimis temporibus. Patiuntur membra regni Christi iacturas in his rebus fortunæ perinde ac filii huius seculi, qui etiam sunt in hoc statu viæ in ipsa Ecclesia mixti bonis, ut ubique mala malique bonis: ipsaque Ecclesia cum malis undique conflictatur intus et foris, militans in terris. *De hoc ergo regno militiæ* (ut cum S. Augustino loquar, dum quæstionem instituit lib. XX. de civit. Dei cap. 9. a) *Quod sit regnum sanctorum cum Christo per mille annos, et in quo discernatur a regno æterno:*) *in quo adhuc cum hoste confligitur,* *et*

a) T. VII. p. 586.

*et aliquando repugnatur repugnantibus vitiis, aliquando cedentibus imperatur, donec veniatur ad illud pacatissimum regnum, ubi sine hoste regnabitur, et de hac prima resurrectione quæ nunc est, loquitur liber iste. Cum enim dixisset, alligari diabolum mille annis, et postea solvi brevi tempore, mox recapitulando quid in istis mille annis agat Ecclesia, vel agatur in ea,* Et vidi, *inquit,* sedes, et sedentes super eas, et iudicium datum est. *Non hoc putandum est de ultimo iudicio dici: sed sedes præpositorum, et ipsi præpositi intelligendi sunt, per quos Ecclesia nunc gubernatur; iudicium autem datum nullum melius accipiendum videtur, quam id quod dictum est;* Quæ ligaveritis in terra, ligata erunt et in cœlo, et quæ solveritis in terra, soluta erunt et in cœlo. *Unde Apostolus:* Quid enim mihi est, *inquit,* de his qui foris sunt iudicare? Nonne de his, qui intus sunt vos iudicatis? Et animæ, *inquit,* occisorum propter testimonium Iesu, et propter verbum Dei: *subauditur quod postea dicturus est, regnaverunt cum Iesu mille annis, animæ scilicet martyrum nondum sibi corporibus redditis. Neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ etiam nunc est regnum Christi. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi; nec aliquid prodesset ad eius in periculis baptismum currere, ne sine illo finiatur hæc vita, nec ad reconciliationem, si forte per pœnitentiam malamque conscientiam quisque ab eodem corpore separatus est. Cur enim fiunt ista, nisi quia fideles etiam defuncti, membra eius sunt. Quam-*

*vis ergo cum suis corporibus nondum, iam tamen eorum animæ regnant cum illo, dum isti mille anni decurrunt. Unde in hoc eodem libro et alibi legitur:* Beati mortui, qui in Domino moriuntur, amodo iam dicit spiritus, ut requiescant a laboribus: nam opera eorum sequuntur illos. *Regnat itaque cum Christo nunc primum Ecclesia in vivis et mortuis. Propterea enim, sicut dicit Apostolus,* mortuus est Christus, ut et vivorum et mortuorum dominetur. *Sed ideo tantum, modo martyrum animas commemoravit, quia ipsi præcipue regnant mortui, qui usque ad mortem pro veritate certaverunt. Sed a parte totum, etiam cæteros mortuos intelligimus pertinentes ad Ecclesiam, quod est regnum Christi.*

S. Augustinum sequuntur Primasius, Beda, Rupertus, alii; recentioresque interpretes omnes, ut P. Lud. Alcasar in h. l. notat, generatim supponunt, neminem sanctorum ex prima hac resurrectione excipiendum. Ipse hic operosissimus in Apocalypsin commentator, cum sub nomine eorum, qui non adoraverunt bestiam, confessores Christi intelligit, subdit tamen, se in huiusmodi numerum non solum eos referre, qui pro religione persecutionem fortiter tolerarunt, sed eos etiam, qui in viva catholicæ religionis fide perstiterunt; eoquod illi omnes mysticum unum corpus conficiant, et ad vivum Christi corpus pertineant. Et demum postquam modum huius regni sanctorum explicasset, sive adhuc in vivis degant, sive iam mortui essent: *Illud demum*, subdit, *adiungo, ad sanctorum etiam regnum pertinere,*

*nere, uti colantur in terris, ac suspiciantur ea ipsa publica religionis christianæ professione. Et quidem eos veneratur Ecclesia ( quidquid obstrepant et obloquantur hæretici ) delubris, votis, imaginibus, et honorifica eorum tam in missæ sacrificio, quam in cæteris divinis officiis commemoratione.* Et postea ad v. 6. *Et erunt sacerdotes* &c. sic commentatur. *Porro esse sacerdotes, et cum Christo regnare mille annis idem est, atque esse regnum Sacerdotale. Quod elogium, quamvis Ecclesiæ etiam tempore persecutionis conveniat, frequentia tamen et celebritas Missarum et divinorum Officiorum, auctoritas item imperii, qua in animarum salutem incumbitur, totum id illius temporis est proprium, quo et publica religionis exercitatio, et tranquillum Ecclesiæ Romanæ imperium viget. Atque id innuitur verbis illis:* Erunt Sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis. *In quibus verbis animabus martyrum refertur accepta omnis gloria et securitas Romanæ Ecclesiæ: sicut mortuo frumenti grano eleganter tribuitur fructus ex eo oriens. Atque ita de singulis martyrum animabus vere, sed mystice dicitur, eos esse, qui Sacerdotale munus ac regale exercent, quo Romana Ecclesia Deo imprimis decoratur. Quod ut verum sit, non opus est, fidelium singulos aut Sacerdotes, aut Ecclesiæ principes esse.* Revocat deinceps huc illud Apocal. I. 6. *Et fecit nos regnum et Sacerdotes* i. e. *Efficiens nos peculiare Dei regnum: et nos quasi Dei Sacerdotes divitiis regalibus et immunitate cumulans, quemadmodum in Apocalypsi indicatur.* Non dubitat respici ad illud Ex. XIX. 6. *Vos eri-*

... regnum Sacerdotale: ubi LXX. legunt ... regale, uti expressit etiam S. Petrus I. ...

... Viega in h. l. huc etiam accipit illud Isaiæ ... &c. *Vos autem Sacerdotes Dei vocabimini* &c. de Ecclesiæ regno in terris super gentes, et Franc. Ribera in cap. II. illud Ps. *Exultabunt sancti in gloria*, usque *ut faciant in eis iudicium conscriptum, gloria hæc est omnibus sanctis eius*, de potestate, quam Christus ut homo a Patre accepit, promittitque se dare vincentibus, ut eos iudicent, a quibus tentati, et iudicati sunt. Et in illud: *Et regnaverunt cum Christo mille annis*, interpretatur de animabus interfectorum propter nomen Christi, et reliquorum omnium, qui non acceperunt characterem bestiæ. *Et cæteri mortuorum*: Qui, ait, neque in Christo, neque ob Christum sunt mortui, reprobi scilicet, *Non vixerunt*, neque vita corporali neque spirituali vita, quia damnati. Alia ad rem collegimus *De sublimi in Evangelio Christi.*

Martyres potissimum nominat S. Ioannes in Apoc. (quos S. Dionysius Alex. apud Eusebium *a*) assessores Iesu Christi, ac socios regni, participes iudicii, et cum ipso iudices appellat) ut ad martyrium suscipiendum et regnum animaret, statim in principio septem ecclesiis scribens, generatimque locutus principem regum terræ Christum deprædicans, *qui dilexit nos et lavit nos a peccatis nostris in sanguine et fecit nos regnum et sacerdotes Deo et Patri suo.* Mox cap. II. 6. *Qui*

*a*) lib. 6. hist.

*Qui vicerit*, ait. *et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes. Et reget eas in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringet eas.* Et cap. VI. 10 inducuntur ipsi martyres, qui dum in hac vita patienter pro Christo sanguinem fuderunt, iam cum Deo in cœlesti gloria uniti, participes iustorum iudiciorum eius, ac ipsi iam iniustorum iudicum iusti iudices, clamant *voce magna dicentes: usquequo Domine (sanctus et verus) non iudicas, et non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra. Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ: et dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum, et fratres eorum, qui interficiendi sunt, sicut et illi.* Est hoc, quo S. Gregorius Naz. Iulianum Apostatam terret, iudicium: *a) Non tu victimas pro Christo cæsas, non magnos pugiles extimuisti, Ioannem Baptistam, Petrum, Paulum, Iacobum, Stephanum, Andream, Teclam, alios, qui et ante et post illos pro veritate, cum ferro, igni, belluisque ac tyrannis decertarunt.*

Christus Dominus cum ipso iudice iniquitatis comparationem instituens, de suis ad se clamantibus, *Deus autem*, inquit, *b) non faciet vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte, et patientiam habebit cum illis? Dico vobis, quia cito faciet vindictam illorum. Verumtamen Filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terris?* Est hoc fuitque semper in quibuscunque periculis militantis Ecclesiæ solatium, et robur, præsertim



a) Orat. III. b) Luc. XVIII. 7. &c.

etiam in futura tempora, ac pericula novissimorum temporum, quæ adhuc instant, quo animentur fideles ad constantiam et perseverentiam in vera Ecclesia regnoque Christi usque ad consummationem seculi perduraturo, ne portis inferi nunquam prævalituris adversus Ecclesiam cedant i e. Apoc. XXI. *Sanctam civitatem Ierusalem, qua est in quadro posita. Et portæ eius non claudentur per diem: Non posse autem*, ut scholia sua in Apoc. claudit S. Victorinus, a) *claudi portas, evidenter ostenditur nulla contradicentium tempestate Apostolorum doctrinam separari a rectitudine, etiam si fluctus gentium et hæreticorum vanæ superstitiones contra fidem eorum veram insurrexerint: superati, ut spumæ dissolventur, quia petra Christus est, a quo et per quem Ecclesia fundatur. Ideoque nullis fluctibus insanientium hominum superatur.* Sic intelligendi sunt, qui cum S. Martyre iuge sacrificium illis temporibus cessaturum putant: et quidem Lud. Alcasar in Apoc. XX. etiam in urbe Roma; quocum cultus quoque sanctorum coniunctus est. Quorum festa dum identidem minuuntur celebranda, committendum haud est, ut per hoc cultui sanctorum, præsertim sacrificio in eorum honorem, quod Romana decreta volunt, quidpiam decederet. Et si quidem religiosa fuit causa, movitque ratio ad minuendum numerum ob eorum profanationem, et mala illis præprimis diebus perpetrari solita, curandum fuisset, ut festa reliqua rite sanctificarentur, defectusque reliquorum compensaretur. Quod singulari libello egi:

a) T. IV. Bibl. PP. p. 64.

egi: *De minuendo numero, et augenda celebritate dierum festorum.*

---

## Caput XI.

### *Diabolus ligatus.*

Iam supra S. Victorini retulimus sententiam cum S. Gregorio M. concordem, S. Augustino item qui lib. XX. de civit. Dei c. VII. a) *de ligato mille annis diabolo, et in abyssum misso* n. 3. rem breviter complexus, *quia*, ait, *diabolus exclusus a credentium cordibus, capit impios possidere.* S. Victorinus loc. cit. sic paulo post prosequitur: b) *Qui vero vitiis et dogmatibus hæreticorum irretitus est, in eo solutus est diabolus. Sed quia completis mille annis dicit, eum solvi, et completo perfectorum sanctorum numero, in quibus corpore et corde virginitatis decus est, regni adveniendi abominandi adventu, multi ab eo amore terrenorum seducti supplantabuntur, et simul cum eo igneum ingredientur stagnum.* Hic iam iterum S. Victorinus M. solos illos, qui virginitatis integritate floruerunt, ad regnum Christi peculiare quoddam in terris admittit. Et mox iterum ad Apoc. XX. 8. &c. *Et ascenderunt super terræ latitudinem, et cinxerunt castra sanctorum, et dilectam civitatem etc. Hoc*, inquit, *iam ad iudicium novissimum pertinet; et post modicum tellus reddita est sancta, utique in qua dudum quieverant corpora virginea: cum immortali rege æter-*



a) T. VII. p. 582. b) p. 63.

*num suscipient regnum, qui non solum corpore virgines, sed et lingua et cogitatione pariter inviolabiliter se a nequitia tutaverunt, quos exsultaturos cum agno demonstrat permanere.*

Unum est quod adhuc ex S. Augustino contra eos notem, qui aut dudum iam defecisse Ecclesiam, aut novissimis temporibus soluto diabolo defecturam clamant. *Absit*, ait ille, a) *nunquam enim ab illo Ecclesia seducetur praedestinata et electa ante mundi constitutionem, de qua dictum est*: Novit Dominus qui sunt eius: *et tamen hic erit etiam illo tempore, quo solvendus est diabolus, sicut ex quo est instituta, hic fuit et erit omni tempore in suis utique, qui succedunt morientibus. Nam paullo post dicit, quod solutus diabolus seductas gentes toto orbe terrarum attrahet in bellum adversus eam, quorum hostium numerus erit, ut arena maris.* Et ascenderunt super terram &c. Apoc. XX. 8. &c. *Sed hoc iam ad iudicium novissimum pertinet, quod nunc propterea commemorandum putavi, ne quis existimet, eo ipso parvo tempore, quo solvetur diabolus, in hac terra Ecclesiam non futuram.* Quaestionem hic movet vulgarem S. Augustinus; *Dicet aliquis*, ait, b) *si alligatus est, quare adhuc tantum praevalet? verum est, fratres charissimi, quia multum praevalet, sed tepidis, et negligentibus, et Deum in veritate non timentibus dominatur. Alligatus est enim tanquam innexus canis catenis, et neminem potest mordere, nisi eum, qui se illi mortifera securitate coniunxerit. Iam videte fratres, quam stultus est homo*

a) De civit. Dei lib. XX. c. 8. T. VII. p. 583.
b) Serm. 197. de tempore.

*homo ille, quem canis in catenis positus mordet. Tu te illi per voluptates et cupiditates seculi noli coniungere, et ille ad te non præsumit accedere: latrare potest, mordere non potest, nisi volentem. Non enim cogendo, sed suadendo nocet: nec extorquet a nobis consensum, sed petit.*

Passim hic S. Greg. in Iob, veluti lib. IV. c. 8. et 12. Leviatham singulariter inducit, quem Blas. Viegas in h. l. citans dicit, posse Luciferum esse ligatum, et alios dæmones solutos. Et Franc. Ribera principem huius mundi Io. XII. et XIV. eiectum, ac ligatum Apoc. XX. eum putat, qui Evam seduxit: notatque, ideo nomen *diabolus* et *satan* non dici in plurali. Citat etiam S. Gregorium et Andream Cæsar. in hanc rem. *Hic igitur*, subdit, *dæmonum princeps, qui ante Christi mortem vehementius sæviebat, et quasi triumphabat, post Christi mortem missus est in abyssum, quod dæmones timebant.* Luc. VIII. Ludov. Alcasar contra sententiam S. August. satan ligatum esse tempore passionis, id factum putat idololatria ab urbe et imperio Romano expulsa. Greg. Lopesius in h. l. cap. 20. ab ipso S. Silvestro P. ligatum esse dicit.

---

## Caput XII.

### *Romani imperii fata cum Ecclesiæ novissimis coniuncta.*

Vix orta adolescere cœpit, dum iam erant, qui occasui propinquam existimarent Ecclesiam

christianam, quos dedoceri necesse fuit a D. Paulo II. ad Thessal. II. 2. ubi, *ut non*, rogat fratres, *cito moveamini a vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini.* Sed ipsa, quæ mox subdit de periculis novissimorum temporum atque de Antichristo verba, *quoniam nisi venerit discessio primum, et revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis* &c. variis coniecturis materiam subministrarunt, non alienam præcise a scopo Salvatoris, ut incerti de fine vitæ et consummatione seculi semper vigiles simul essemus, et ad iudicium parati. Quam proclive fuit proximum quemque ex persecutoribus Ecclesiæ in suspicionem venire, dicente Apostolo de homine illo peccati: *Nam mysterium iam operatur iniquitatis: tantum, ut qui tenet, nunc teneat, donec de medio fiat. Et tunc revelabitur ille iniquus.* Confundi solet in verbis Apostoli *homo peccati, filius perditionis, ille iniquus*, cum discessione *primum* ventura seu apostasia; ubi tamen in nonnullis exemplaribus, quibus S. Augustinus et Sedulius usi sunt, *refuga* habetur: quæ omnia defectionem seu apostasiam a fide significant, quam futuram ante secundum adventum suum prædicit Christus, et plerique interpretes teste Calmeto in h. l. eam discessionem hic agnoscunt.

S. Augustinus vero, et qui eum sequuntur interpretes, duplicem hic discessionem agnoscunt, apostasiam a fide et defectionem a Romano imperio, quæ cum iam seculo secundo visa sit au-

spi-

ſpicium habere, SS. Patribus locum dedit, iam propinquum ( ut ſupra vidimus, pluribus autem in libro *de Sublimi in Evangelio Christi* oſtendimus ) denunciandi finem mundi. Idem obſervare licet, ubi de quatuor monarchiis apud Danielem res eſt, quarum quarta Romana atque adeo ultima eſt, eritque. *Ergo dicamus*, ſunt verba S. Hieronymi in cap. VII. Dan. *quod omnes ſcriptores eccleſiaſtici tradiderunt: conſummatione mundi, quando regnum deſtruendum eſt Romanorum, decem futuros reges, qui orbem Romanum inter ſe dividant: et undecimum ſurrecturum eſſe regem parvulum, qui tres reges de decem ſuperaturus ſit* &c. Quod Antichriſtum interpretatur *cornu*, et *os loquens ingentia.* Et iterum in illa verba: *aſpiciebam propter vocem ſermonum grandium, quod cornu illud loquebatur: Dei iudicium*, inquit, *venit propter humiliandam ſuperbiam. Idcirco Romanum delebitur imperium: quia cornu illud loquebatur grandia.* Et vidi, quoniam interfecta eſſet beſtia, et periiſſet corpus illius. *In uno Romano imperio propter Antichriſtum blaſphemantem omnia ſimul regna delenda ſunt, et nequaquam terrenum imperium erit, ſed ſanctorum converſatio, et adventus Filii Dei triumphantis.* Hoc eſt, quod tunc timebatur. Tertullianus in Apologetico ad Romanos de more chriſtiano orandi pro regibus et principibus iuxta præceptum Apoſtoli locutus, præter commune periculum: *Eſt*, inquit, *et alia maior neceſſitas nobis orandi pro Imperatoribus, etiam pro omni ſtatu imperii, rebusque Romanis, quod vim maximam univerſo orbi im-*

*mi-*

*minentem, ipsamque clausuram seculi acerbitates horrendas comminantem Romani imperii commeatu scimus retardari. Itaque nolumus experiri.* Et paullo post: *Oramus pro Imperatoribus, pro ministris eorum, et potestatibus seculi, pro rerum quiete, pro mora finis.* Id quod in liturgia Alemannica explicavimus; quod vero præsens argumentum attinet, plura Tertulliani loca affert Fr. Balduinus in commentariis rerum ecclesiasticarum ad vexatum Optati Milevitani locum, quo dicit, non esse rempublicam in Ecclesia, sed Ecclesiam esse in republica, id est, *in imperio Romano*, ut nempe hoc collapso, factaque simul defectione seu apostasia mundus ipse ad interitum proximus sit. „ Propinquante igitur huius seculi termino, „ *ad rem verba facit Lactantius*, *a*) humanarum „ rerum statum commutari necesse est, et in de- „ terius nequitia invalescente prolabi; ut iam no- „ stra hæc tempora, quibus iniquitas et malitia „ usque ad summum gradum crevit, in illius tamen „ insanabilis mali comparatione, felicia, et pro- „ pe aurea possint iudicari. Indigitat hic maximam illam novissimorum temporum defectionem, de qua postea c. 25. inscripto: *de postremis temporibus et Roma*, rem propius attingit. „ Quan- „ do tamen, *inquit*, compleatur hæc summa, „ docent ii, qui de temporibus scripserunt, colli- „ gentes ea ex litteris sanctis, et ex variis histo- „ riis, quantus sit numerus annorum ab exor- „ dio mundi: qui licet varient, et aliquantum „ numeri eorum summa dissentiat, omnis tamen „ exspectatio non amplius, quam ducentorum vi- „ detur

*a*) lib. VII. Instit. div. c. 25.

„ detur annorum. Etiam res ipsa declarat, lap-
„ sum, ruinamque rerum brevi fore: nisi quod
„ incolumi urbe Roma nihil istius modi videtur
„ esse metuendum. At vero cum caput illud or-
„ bis occiderit, ῥύμη (vicus) esse cœperit, quod
„ Sibyllæ fore aiunt, quis dubitet venisse iam fi-
„ nem rebus humanis, orbique terrarum? Illa,
„ illa est civitas, quæ adhuc sustentat omnia;
„ precandusque nobis et adorandus est Deus cœ-
„ li, si tamen statuta eius et placita differri pos-
„ sunt, ne citius, quam putemus, tyrannus il-
„ le abominabilis veniat, qui tantum facinus mo-
„ liatur, ac lumen illud effodiat, cuius interitu
„ mundus ipse lapsurus est.

Id quod de ipso S. Paulo notarunt interpretes, eum non aperte propter ipsos, qui summas rerum tenebant, Romanos, fuisse locutum, id multo magis de aliis scriptoribus christianis sanctis Patribus animadvertere est. Cuius rei specimen in S. Iacobo Nisibeno habetur, dum sermonem V. *de Bello* inscriptum a) sic auspicatur: *Tenet me nunc, ac sollicitat cogitatio mysterii de turbulenta commotione, quæ prope est, ut his temporibus fiat per exercitus congregatos ad interitum. Tempora iam definita sunt a Deo.* S. Iacobus ea circa tempora scripsit, quando Constantius occiso fratre, parte imperii eius occupata late dominabatur, atque Arianam tutabatur hæresin orthodoxos persecutus in Oriente, dum in Persia persequeretur christianos Sapor, ut uno Parasceves die centum episcopi cum presbyteris, et clericis occideren-

a) T. V. Bibl. PP. p. XXX.

rentur. Nec cruenta deerant bella præter infestationes barbararum gentium inter imperatores et Saporem, qui provincias suo regno abstractas a Romanis repetebat obsessa iterato Nisibe urbe, quam S. Iacobus episcopus precibus tutabat. De his calamitosis temporibus sermonem faciens copiose de quatuor monarchiis loquitur, sed quartam Romanam nomine compellare non audet, regnum filiorum Esau nominans, fata eius, et ruinam persecutus. Sed ut res melius patefiat atque ob oculos ponatur, legendus est sermo ille S. Iacobi.

Sic vero stante Romani imperii qualicunque parte inter spem metumque vivebant; timorem autem magis magisque crescere oportuit, quo magis occasui appropinquare videbatur; opportune equidem ad præstitutum a Deo in militante Ecclesia finem, ut incerti vigilemus, et oremus inter præsentanea semper huius vitæ pericula, de quibus nos cautos etiam Apostolus in Thessalonicensibus reddere voluit, *ut locum*, sunt verba Attonis Vercellensis episc. in hunc Apostoli locum inter eius opera an. 1768. primum edita, a) *aut occasionem fallendi, quam se putat habere, non habeat impudentissimus satanas, tempus et signa adventus Domini designavit: quia non prius veniet Dominus, quam regni Romani defectio fiat, et appareat Antichristus, qui interficiet sanctos reddita Romanis libertate, sub suo tamen nomine. Sciens enim venturum Dominum ad se comprimendum, nomen eius sibi usurpabit, ut et regnum eius* ve-

a) P. II. 128.

*verum videatur, et trahat secum, qui simul cum eo pereant: ut in sede Domini, in sede sedeat Christi: ut ipsum Deum se adserat, non filium Dei, unde in Evangelio ad Iudæos Dominus ait:* Ego veni in nomine Patris mei, et non me recepistis; si alius venerit in nomine suo, illum recipietis. Quæ quidem Christi verba sic videntur interpretanda, ut quem Christus alium venturum prædicit, nomine suo proprio id facturus sit, non Dei nomine: veluti ipse mox Atto mysterium iniquitatis in Nerone et antesignanis aliis Antichristi nobis sistit, qui *quamdiu steterit regnum Romanum, non sit appariturus*, ut alii etiam posteriores adhuc scriptores passim asserunt, moxque iterum Apostoli auctoritate confirmat Ven. Episcopus: *Post defectum*, ait, *regni Romani adpariturum Antichristum dicit, sicut memoratum est. Novissimo enim tempore diabolus scit, imminere sibi interitum, deficiente autem regno Romano, et ille de cælis mittetur deorsum proiectus in terram, sicut dictum est in Apocalpysi; subornabit sibi, in quo, et per quem signa quædam virtutis permissu iusti Dei faciens, se commendet, ut adoretur, quasi sit Deus.*

Iterum hic monendum, Apostolum adorationis cultum in loco, quem hic præ oculis habet Atto, non præcise dicere, sibi arrogare Antichristum, *qui adversatur*, inquit, *et extollitur super omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens seipsum, quasi sit Deus.* Id quod multi atque ex recentioribus etiam Hugo Grotius; iique potissimum, qui S. Paulum de

ever-

eversione proxima urbis Hierosolymitanæ interpretantur, de Caio Caligula accipiunt, qui in Hierosolymitano templo simulacrum suum collocari iussit. Adso Attoni coævus, ex monacho Luxoviensi abbas Dervensis in libello *de Antichristo* in novissima operum B. Alcuini editione suo auctori restituto, sanctos hic vel deos gentilium intelligit, vel adhuc significantius de regni Romanorum defectione S. Paulum interpretatur, nempe, *Antichristum non antea in mundum esse venturum, nisi venerit discessio primum, id est nisi omnia regna mundi discesserint a Romano imperio, cui prius subdita erant. Hoc autem*, pergit, *tempus nondum venit, quia licet videamus Romanorum regnum in maxima parte iam destructum, tamen quamdiu reges Francorum duraverint, qui Romanum imperium tenere debent, dignitas Romani imperii ex toto non peribit, quia stabit in regibus suis.*

Hæc ex scriptoribus medii ævi nunc primum inclarescentibus afferre, visum est operæ pretium: quibus unum et alterum ex recentioribus iungamus. Ac primum quidem Hispanum, ne suspectum sit testimonium imperio Romano Germanico inquilinum. P. Blasius Viegas *Romanum imperium*, scribit, *adhuc perdurat in Germania; nomenque atque successio imperatorum Romanorum. Nam cum defecit in Occidente Romanum imperium, permansit in Oriente; et iterum, quoniam imperium evertendum erat a Turcis, non sine divina providentia erectum est imperium in Occidente per Carolum M. regem Francorum: qui a Leo-*

*ne*

*ne III. fuit Romæ electus, et declaratus Romanus imperator, cui deinceps usque ad hodiernum diem successerunt imperatores in Germania. Enimvero ad utrumque imperium, Orientale nimirum et Occidentale adumbrandum, statua illa Nabuchodonosori ostensa Dan. II. in typum Romani imperii, quod Orientem et Occidentem sua amplitudine coercuit, duabus tibiis utebatur: ad idemque significandum in orbis descriptionibus magna aquila cum duplici capite depingitur, quæ insigne est Romani imperii: ut orbem universum bipartito Romano imperio Orientali videlicet et Occidentali subiectum intelligatur. Nec vero quidquam obest, quod hodie Roma imperatori Romano non pareat, id enim ad imperium Romanum non pertinet: siquidem Arcadius et Theodosius iunior, et reliqui usque ad Iustinianum imperatores Romani fuerant, nec tamen Romanæ urbi imperabant.* Hæc Blasius Viegas comment. in Apoc. p. 718. August. Calmetus in commentariis paullo ante citatis D. Thomam, et alios recentiores etiam interpretes, quos plurimos in eamdem sententiam iuxta explicationem *a)* S. Augustini allatam citat, ipse sic loquitur: „ Dici nequit, Romanum imperium iam interiisse, viget adhuc in imperio Germanico, licet „ maxime imminutum atque infirmatum. Catholica et Romana Ecclesia, licet tantam pertulerit „ iacturam ex secessione plurimorum filiorum suorum, eadem semper est: fides eadem, eadem „ morum disciplina, eadem Biblia, eadem capita: verbo viget adhuc, atque ad mundi us-

*a)* T. VIII. p. 459.

„ que finem vigebit. Verum aperte liquet, quod
„ iam nunc mysterium iniquitatis operatur, quem-
„ admodum infra V. 7. S. Paulus ait: et hinc
„ quidem Romani imperii decrementum, inde
„ vero tot populorum discessio, qui antea catho-
„ licæ Ecclesiæ membra erant, notæ sunt aper-
„ tissimæ, quod terribilis ille iudicii dies gradu
„ propero adventat. Adventat autem, quin sen-
„ tiatur, et certissime furis instar veniet, ubi mi-
„ nus exspectabitur. *Sicut fur in nocte ita ve-
niet.* I. Thess. V. 2. . . . . „ Totalis populorum a Ro-
„ mano imperio defectio, improborumque Christi
„ fidelium ab Ecclesia secessio, essentialia signa sunt,
„ quæ Antichristi adventum præcedent. „ Hæc Calmetus, quem meis adhuc oculis vidi adolescens, anteriori huius seculi scripsit parte, quid si reviviscere posteriori hac magis magisque irreligiosa huius seculi parte? quod dum luminosum dici amat, timeo de Christi monito: *vide ne lumen, quod in te est, tenebræ sint.* Potest vero, ut haud semel accidit, obtenebrata hac orbis parte, lux fidei relucescere in altera.

---

## CAPUT XIII.

### *Meretrix Apocalyptica, Roma gentilis.*

Sed Romam redeamus, Romam veterem illam idololatricam. Est hæc meretrix illa magna, quam vivis adeo coloribus adumbrat S. Ioannes in sua Apocalypsi, in hoc potissimam partem occupata. *Cum enim ea vox, meretricis nimirum*

*ma-*

*magnæ:* ut verbis utar Benigni Bossuet, qui eam suis in Apocalypsin commentationibus, quæ potissimam T. III. novissimæ San. Maur. edit. partem *a)* conficiunt, et certissime demonstravit, et ad vivum reseravit, et graphice descripsit, *ex scripturarum usu designat idolorum cultum; nam non solum suos, sed etiam omnium victarum gentium adoptabat deos tanquam amatores fœdos. Nihil autem erat turpius, quam illud Romanæ dominationis arcanum: ut ad commendandam sui imperii maiestatem adorandos obtruderet impio cultu imperatores suos, quibus et gentes omnes et fœderati reges templa consecrabant, unde illud:* cum qua fornicati sunt reges terræ. *Et iterum:* Babylon magna mater fornicationum, et abominationum terræ: *quod antiqua regnatrice Babylone peior, idola sua omnibus populis et arte et illecebris, et cruciatibus inculcaret. Ex quibus etiam illud:* Vidi mulierem ebriam sanguine sanctorum, et de sanguine martyrum Iesu, *cuius nulla unquam civitas sitientior fuit.* Hæc Bossuetus in demonstrationibus *de excidio Babylonis apud S. Ioanem*, ubi ex professo iterum id assertum ivit, quod iam in commentario super Apocalypsin invicte probavit præcipuum hoc Apocalypseos caput, sese in præfatione modeste excusans, vel veteres potius, qui ante complementum rerum prædictarum, ea tam clare et aperte præ oculis habere non potuerunt, aut exponere, ut illi qui iam completa et historiæ commendata intuentur. Et siquidem etiam S. Paulus, ut supra diximus, reverentia quadam suprematum potestatum detentus se in



*a)* p. 778.

verbis paucis illis quidem de eodem argumento, ut videmus, continuit, id multo magis veteribus illis scriptoribus sanctis Patribus faciendum in hac materia fuit, nec dum, ut ita dicam, eviscerata, variisque imaginibus stiloque prophetico involuta, ne quid temerarie, aut etiam acerbius de imperii illius fatis ac imperatorum Romæ, sanguine christiano manantis, dixisse viderentur, illis præsertim temporibus persecutionum sub imperatoribus gentilibus ob christianam, vel etiam sub christianis hæreticorum causas agentibus, ob catholicam fidem, dum interim a barbaris nationibus Roma illa premitur, ac tandem oppressa succubuit, ut S. Ioannes aperte prædixit in sua Apocalypsi. Post hæc autem omnia Sanctos in cœlo Deum de hoc iudicio glorificantes inducit, et canentes *Alleluia. Salus, et Gloria, et virtus Deo nostro est: quia vera et iusta iudicia sunt eius, qui iudicavit de meretrice magna, quæ corrupit terram in prostitutione sua, et vindicavit sanguinem servorum suorum de manibus eius.*

Supra audivimus clamantes: *Vindica sanguinem nostrum*, SS. Martyres sub throno Dei, iudices nempe in regno Dei et Christi; dum nos rei et peccatores adhuc in terra a longe stantes cum publicano non nisi propitium nobis Deum imploramus, ac ignari iudiciorum Dei (quod fecerunt adhuc in hac vita martyres quoque exemplo S. Stephani protomartyris) etiam pro persecutoribus orare debemus, et deplorare mala generis humani, prout exemplum habemus porro post Romæ vastationem in S. Hieronymo. Etsi ipse etiam Ro-

mæ

mæ prius ibi male habitus fuerit, et diffamatus, sic tamen se consternatum in prologo explanationis in Ieremiam prophetam ad nuncium illum contestatur, ut nihil aliud *diebus ac noctibus, nisi de salute omnium a)* cogitaret: *dum*, addit, *inter spem et desperationem sollicitus pendeo, aliorumque malis me crucio. Postquam vero clarissimum terrarum omnium lumen extinctum est, imo Romani imperii truncatum caput, et ut verius dicam, in una urbe totus orbis interiit, obmutui, et humiliatus sum* &c. *b)* Et exordio lib. III. Ezech. *Quis crederet*, exclamat, *ut totius orbis extructa victoriis Roma corrueret, ut ipsa suis populis et mater fieret, et sepulcrum? ut tota orientis, Ægypti, Africæ littora olim dominatricis urbis, servorum et ancillarum numero complerentur* &c. *c)* Sed postea in cap. VII. Danielis: *Dei iudicium*, scribit, *venit super humiliandam superbiam. Idcirco Romanum delebitur imperium: quia cornu illud loquebatur grandia.* Et vidi, quoniam interfecta esset bestia, et periisset corpus eius. *In uno Romano imperio propter Antichristum blasphemantem omnia simul regna delenda sunt: et nequaquam terrenum imperium erit, sed sanctorum conversatio, et adventus filii Dei triumphantis.* Habemus hic bestiam; alibi etiam ante ruinam Babylonem *d)* notat in cap. XXIV. Isaiæ: *Atteretur*, inquit, *civitas vanitatis Babylon, quæ sedet in septem montibus purpurata, cuius supplicia in Apocalypsi Ioannis legimus.* Add. eiusdem S. Patris Præfat.

 in

a) T. III. p. 697. *b)* p. 746. *c)* Ib. p. 1102.
*d)* lib. VIII. p. 209.

in libr. Didymi de Spiritu S. et passim in epistola 30. 44 47. 52.

Meretricem etiam Apocalypticam Romam a veteribus statutam esse, testem habemus Andream, et Aretham epp. Cæsarienses comment. in Apoc. Cum enim sententiam alteri minime adversantem, et passim etiam ab aliis assertam, mundum immundum esse hanc meretricem statuissent, *Quidam vero alii*, sequitur c. 53. *præsentem revelationem discutientes, meretricem interpretati sunt veterem Romam aut universale regnum, quod ad secundum usque Domini adventum protenditur.* Utraque sententia paulo post iungitur: *Matrem vero fornicationum vocans rursus, quamcunque volueris, sive veterem Romam, sive novam, sive tempus vitæ Antichristi, a vero aberrare non poteris: eoquod singulæ imperium susceperunt aliarum civitatum, et unaquæque satiata est sanguine sanctorum martyrum.* Nova Roma Constantinopolis mox cap. sequenti indicatur. Auctor expositionis in Apoc. XVII. inter opera S. Ambrosii, postquam rem ex sententia etiam S. Hieronymi explicasset, *a*) decem cornua, quibus Romanum imperium destructum est, nominat. „ Partem nam-„ que, *inquit*, Asiæ Persæ primum abstulerunt: „ postea vero Saraceni abstulerunt: Vandali Afri-„ cam sibi vindicaverunt, Gothi Hispaniam, Lon-„ gobardi Italiam, Burgundiones Galliam, Franci „ Germaniam, Hunni Panoniam: Alani autem et „ Suevi multa loca depopulati sunt, quæ eorum „ subiiciebant ditioni. *In illa verba*: Et decem „ cor-

*a*) T. II. append p. 5. 64.

„ cornua, quæ vidisti in bestia, hi odient fornicariam: Fornicariam, *ait*, Romam vocat, quæ pro defensione falsorum deorum Deum creatorem suum persequebatur. Decem itaque cornua odio habuerunt fornicariam, quando gentes quæ per decem cornua designatæ sunt, ad destruendum Romanum imperium arma sumpserunt. *Et mox de eisdem cornibus:* Deus dedit in corda eorum, id est, permisit, ut faciant, quod illi beneplacitum est, et quod prædictum est a prophetis eius, et Apostolis, qui prædixerunt, quod potestas Romani imperii ab eis gentibus esset destruenda. *Tunc sibi obiicit*, Sed dicet aliquis: Quomodo per mulierem meretricem Romani designantur, cum illis temporibus, quando hæ gentes diversas clades generi humano intulerunt, Romani christiani extiterint? Ad quod nos respondemus, quia per mulierem meretricem non electi, qui ex eadem gente fuerunt, intelliguntur, quique mundi gloriam pro amore gloriæ cœlestis contemserunt, sed reprobi, sive pagani, sive christiani fuerint. Illorum ergo potestas ab illis gentibus destructa est, qui impia dominatione genus humanum erpmebant.

## Caput XIV.

### *Babylon septicollis Roma.*

Hæc igitur est meretrix, ac Babylon in illa I. Pet. V. filia Babylonis dicta prophetis et SS.

Patribus, cuius fata et interitum S. Ioannes in Apocalypsi describit, de qua Tertullianus iisdem omnino verbis, et in lib. contra Iudæos c. 9. et lib. III. contra Marcionem, *sic et Babylon etiam*, inquit a) *apud Ioannem nostrum Romanæ urbis figura est, proinde et magnæ, et regno superbæ, et sanctorum debellatricis*. Et S. Hieronymus in cap. XLVIII. Is. de ruina Babylonis, testatur ex aliorum etiam sententia, non ipsam Babylonem, sed Romanam intelligi urbem, *quæ*, inquit, *in Apocalypsi Ioannis et in epistola Petri Babylon specialiter appellatur, et cuncta, quæ nunc ad Babylonem dicuntur, illius ruinæ convenire testantur*. Id ipsum ominantem postea S. Hieronymum paulo ante audivimus, passimque legere est, eadem præsertim in Danielis VII. disserentem. Convenientissime autem memorato Is. XLVIII. loco a S. Augustino libr. XVIII. de civit. Dei c. 22. dicitur b) velut altera Babylon, et, *velut prioris filia Babylonis appellatur civitas Roma*, de qua iam supra c. 2. idem S. Doctor, *Babylonia quasi prima Roma*, ait, *Roma quasi secunda Babylonia*. Quam utriusque civitatis comparationem explicatius edisserit Orosius S. Augustini discipulus in sua historia c) non uno tantum in loco, atque ex ipsis etiam Protestantibus Bullingerus Zwinglii discipulus, Grotius item, et Hamondus in Apocalypsin rem satis demonstrarunt, ut iam est a B. Bossuet annotatum in præfatione commentarii in Apocalypsin, ubi hoc ipsum imprimis agit P. II. quæ est de prædictionibus d) Apocalypsis, cap. III. et dein-

a) p. 139. et 404. &c. b) T. VII. p. 504. c) lib. II. 3. VII. 2. d) T. III. app. p. 312.

deinceps usque ad cap. XIX. in quo triumphum de casu Babylonis ac meretricis magnæ sancti in cœlis canunt: quod Bossuetus de victoria barbararum gentium excidioque Romæ urbis per Alaricum præsertim interpretatur, ut infra suo loco videbimus.

Sequitur p. 505. recapitulatio a cap. IV. usque ad XX. ubi potissimum explicat tria *væ*, quæ Apocalypsin ad caput usque XX. partiuntur, eiusque omnes partes inter se vinctas tenent, ut alibi notat. Primum occurrit cap VIII. 13. secundum cap. XI. &c. tertium cap. XVIII. 10. 16. 19 idque ultimum, ubi nempe Romæ casus describi vult: ita ut primi initium a Severo, finem in Valerio statuat: unde secundum exorsum progreditur ad Maxentii aliorumque persecutorum interitum, quando idololatria destructa, regnum Ecclesiæ constabilitum est; tertium vero complectatur quævis a resuscitata idololatria per Iulianum apostatam attentata usque ad finem seu punitionem. Ita autem Bossueto hac clave omnia plana sunt visa, *a)* ut historiam quis sibi præ oculis habere ac legere videri queat. Sequuntur in nova editione *de Excidio Babylonis apud S. Ioannem demonstrationes.* Quarum *b)* prima id agit, ut ostendat Babyloni Ioannis nullum esse inditum Romanæ, seu cuiuscunque aliæ christianæ Ecclesiæ characterem; qua de re mox; nunc id propositum est, quod secunda demonstratione conficit Bossuetus de urbe Roma, qualem modo ex Tertulliano audivimus, magnam, regno superbam, et sanctorum debellatricem, militantis nimirum

E 5

*a)* T. III. p. 701. *b)* p. 706.

rum Ecclesiæ. Sic autem procedit *a*) Bossueti demonstratio: „ Quam urbem S. Ioannes cum suo
„ imperio interituram prævidit, cuius fata cecinit,
„ cui horrendum illud atque omnibus historiis
„ pervulgatum protendit exitium; ea profecto
„ urbs est, cuius et ipse et christiani omnes vim
„ atrociter sævientem sustinebant; ea autem urbs
„ est Roma, tunc gentium domina, sub qua et
„ ipse Ioannes passus est, ac post alia supplicia
„ pro testimonio Iesu ad Patmos insulam, ut idem
„ ipse memorat, deportatus. Ergo urbs ea,
„ cuius fata cecinit, cuius interitum nuntiavit,
„ erat ipsa tum domina gentium Roma. Omnia
„ hic clara sunt: primum enim oportebat, ut
„ quam urbem sancti crudeliter imperantem sentiebant, eius immane et ineluctabile exitium
„ Deo ipso auctore perdiscerent. Is enim omni-
„ no erat prophetarum usus.

Laudat Bossuetus in præfatione sui commentarii Greg. Lopesii coment. qui in præfat. edit. Rom. an. 1756 dicitur Bernardino Membrive, iussu regis Hispan. spatio octo dierum perfecisse commentarium, homo litterarum expers, ut approbator Rom. Ioh. Catalanus perhibet. Hic tamen notitia non vulgari persecutiones Ecclesiæ a decem Impp. persequitur post scriptam Apoc. inde a Traiano centum post Christum annis: quæ Ioannes habet a cap. 6. usque ad 19. quo sancti triumphum canunt *alleluia* de Babylonis Romanæque superstitionis ruina, quæ cap. 18. denuntiatur, postquam cap. 17. aperte manifestata est meretrix

ac

a) p. 734.

ac bestia septem capitum, seu collium, quæ septem montes sunt, super quos mulier sedet Apoc. XVII. 9. et V. 18. „ Mulier, quam vidisti est „ civitas magna, quæ habet regnum super reges „ terræ. *Quæ in verba commentatus Bossuet*, La „ destinée, *scribit*, en est donc marquée tres di„ stinctement dans ce chapitre &c. Pour moi, „ en lisant celle ( prophetie ) de S. Iean, je vois „ le caractere de toutes les autres predictions pro„ phetiques: je m' y sens conduire insensiblement du „ plus obscur au plus clair: des idées les plus ge„ nerales et les plus confuses aux plus nettes et „ aux plus distinctes. C'est ainsi qu'on trouve „ les verites decouvertes peu a peu, et de plus „ en plus dans Isaie, dans Ieremie, dans Daniel. „ S. Iean par la même voie, mais d'une maniere, „ je l'oserai dire, encore plus nette, plus precis „ et plus ordonée est conduit au grand evene„ ment, qu'il devoit annoncer; sur tout depuis „ le chapitre XI. ou il commence à y entrer, on „ va de lumiere en lumiere. Là paroissent les „ persecutions, les victoires, les chatimens, et „ toutes ces choses avec les grands traits, qui les „ rendent reconnoissables. Ces grands traits, „ sont des faites importans, des faites uniques „ telles que ceux que nous avons remarqués dans „ toute la suite des ces predictions; et les caracte„ res marqués se decouvrent a mesure qu'on avan„ ce. Quand on vient par tous ces progres au „ chapitre XVII. on croit voir les cieux ouverts „ et tout le secret de la destinée de Rome révélé; „ et en ramassant ensemble tous les traits et toute

„ la

„ la suite, ce n'est plus une prophetie, mais une
„ histoire &c.

---

## Caput XV.

### *Profana, non ecclesiastica Roma in Apocalypsi notata.*

Hoc vero passim agit Bossuet mox in præfatione commentarii in Apoc. n. 9. &c. studiose, tum passim in commentario, et quæ eum sequuntur in novissima Paris. edit. *Avertissement aux Protestans*, et *Recapitulation sur Apocalypse* et mox memorata demonstratione *de excidio Babylonis*, ut ostendat Babyloni Apocalypticæ nullum omnino affigi christianæ Ecclesiæ characterem, sed apertis verbis Romam profanam ac civile Romanum imperium præseferre, quod vel ipsi adversarii diffiteri non possunt, qualem recentissimum notavi Io. Dav. Michaelis in *introductione vernacula in divinas scripturas novi testamenti.* a) Sed qua fronte hic talis sese coniungat iis, qui superiore seculo Lutheri in Ecclesiam Dei blasphemiam recoxerunt, ut quidquid in Apocalypsi de Babylone, bestia, meretrice, Antichristo etiam idque imprimis quidem, diceretur, Romanæ Ecclesiæ inaudita calumnia adscriberent, totum systema Apocalypticum susque deque vertentes ac tempora; maxime postremam illam ante consummationem seculi Antichristi persecutionem, quæ futura est, cum illa confundentes, quæ dudum præteriit be-

a) p. 1328.

bestiæ et meretricis in Babylone Romana debellatrice sanctorum, non attento regno Christi in terris mille annis seu toto illo tempore, quod intercedit inter interitum Babylonis, bestiæ et meretricis, quove ligatus est Satan, post mille demum, qualescunque illi sint, solvendus annos.

Postquam ultra seculum puduisset Protestantes impudentiæ illius, classicum iterum cecinit superiore sæculo Petrus Iurius, reges et populos animans ad persequendam bestiam ac Babylonem, cuius propinquus esset interitus, Romanæ scilicet Ecclesiæ ac Romani pontificis Antichristi, uti iam supra novorum Chiliastarum varia ac inter se pugnantia retulimus systemata. Nec maior est concordia circa epocham Antichristici regni, maior vero impudentia ac calumniandi libido, cum Iurius post Ioh. Medum non vereatur a sanctissimo pontifice Leone I. auspicium sumere: quem omnis reverita est Ecclesia, tam insigni totius synodi Chalcedonensis præconio ornatum, omniumque temporum testimonio celebratum. Perinde est, quod alii S. Gregorium M. caput huius regni Antichristici statunt, alii alios eorum ante complura iam secula successores, per quæ durasse hoc necesse fuit asseverare regnum (id quod iam S. Iustinus M. in dial. cum Tryphone n. 32. p. 129. redarguit in Iudæis Danielem interpretantibus) durareque, quod breve futurum paucorum annorum aperte Ioannes in Apocalypsi prodit, designatque Antichristum unam personam ac hominem, isti vero seriem pontificum, a mille etiam et amplius annis hodieque pulcre stantem, et usque ad

con-

consummationem sæculi perseveraturam iuxta factam Apostolis promissionem: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*, quæ tam insigniter in perenni successione D. Petri, i. e. in eius sede, Romana Ecclesia, dum cæteræ Ecclesiæ omnes Apostolicæ cum Orientali ecclesia conciderunt, apparet: quippe quæ semper immota perstitit sedes inter fata illa, quæ in Apocalypsi prædicta manserunt bestiam ac meretricem Babylonem Romam, persequentem in suis mœniis ac visceribus imperii per orbem Ecclesiam militantem quidem, atque cum hostibus internis etiam ac externis conflictantem, sed invictam ac perennantem; dum contra Roma illa, quæ se æternam iactabat, corruit, imperiumque collapsum ac dissipatum est, Ecclesiæ per orbem, et in urbe, quidquid eius residuum mansit, constabilito regno.

Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundi, quiquid non obtinet armis,
Religione tenet. S. Prosper in Heroic.

*Quamvis enim*, Romam alloquitur S. Leo Serm. I. in Nat. Apost. Petri et Pauli, *multis aucta victoriis, ius imperii tui terra marique protuleris, minus tamen est, quod tibi bellicus labor subdidit, quam quod pax christiana subiecit.*

---

## Caput XVI.

*Regnum Christi iuxta prophetiam Danielis II. et VII.*

Clavis sunt, quæ hactenus diximus, ad Danielis prophetiam, quo teste Hieronymo in prœmio

mio ad eandem prophetiam, nullus apertior dixit de Christo, qui ipsemet eidem prophetæ Math. XXIV. 15. testimonium reddit; sanctusque Ioannes in Apocalypsi eundem præ oculis habuit; eius vero discipulus S. Barnabas in priori illa suæ epistolæ parte, quæ ex solo vetere interprete latino habetur, quod ad rem potissimum est, sic expressit: a) *Consummata enim tentatio, sicut scriptum est, sicut Daniel dixit, appropinquavit. Propter hoc enim Dominus interdicit tempori et diei, ut acceleret dilectus illius hæreditatem suam. Dicit sic propheta:* Regna in terris decem regnabunt, et resurget retro pusillus. *De regnis similiter. De hoc ipso dicit iterum Daniel:* Et vidi quartam bestiam nequam, et fortem, et sæviorem cæteris bestiis marinis, et apparuerunt illi decem cornua: et ascendit aliud cornu breve in medio illorum: et deiecit cornua tria de maioribus cornibus. Totum contextum hunc Dan. VII. S. Iustinus M. in dialogo cum Tryphone in medium affert, b) ubi explicatio simul addita est de regno et potestate, quæ data est populo sancto altissimi. S. Irenæus simul respicit ad visionem Nabuchodonosor de iisdem quatuor regnis Danielis II. explicatam, in qua repræsentatur, Christus *ceu lapis a monte abscissus sine manibus, et percutiens*, sunt S. Irenæi verba, c) *temporalia regna, et ventilans ea, et ipse replens universam terram. Rursum hic idem videtur quasi Filius hominis in nubibus cœli veniens, et appropinquans ad veterem dierum, et sumens ab eo universam potestatem, et gloriam, et regnum.*

Et

a) Apud Coteler. PP. AA. T. I. p. 58. b) n. 31.
c) lib. IV. c. 20. p. 256.

Et infra lib. V. cap. 26. a) *Si ergo Deus magnus significavit per Danielem futura, et per filium confirmavit, et Christus est lapis, qui praecisus est sine manibus, qui destruet temporalia regna, et aeternum inducet, quae est iustorum resurrectio.* Resuscitavit, *ait*, Deus cœli regnum, quod in aeternum nunquam corrumpetur; *confutati resipiscant, qui Demiurgum respuunt.*

Tertullianus prophetiæ Danielis II. b) Isaiam iungit prædicantem, *quod in novissimis diebus manifestus futurus esset mons Domini, et Domus Dei super vertices montium*, et exaltabitur, *inquit*, super colles, venient super illum omnes gentes, et ambulabunt multi, et dicent: venite ascendamus in montem Domini, et in domum Dei Iacob, *non in Esau prioris filii, sed in Iacob sequentis, id est, populi nostri, cuius mons Christus est sine manibus concidentium præcisus, implens omnem terram, apud Danielem ostensus.* Videtur hic Tertullianus ad Iudæorum loquendi modum attendere, qui gentem suam Israeliticam ex patriarcha Iacob distinguentes, Romanos progeniem Edom seu Esau compellant, ut iam supra etiam S. Iacobum Nisibenum de quatuor monarchiis disserentem audivimus, quas alibi Tertullianus generatim tangit, Christum nobis sistens primum lapidem offensionis in primo adventu, nempe a Iudæis reprobatum lapidem angularem, qui factus est in caput anguli: *Iam*, sunt eadem prorsus, ut alias passim et in lib. contra Iudæos c. 14. et lib. III. c) adversus Marcionem c. 7. Tertul-

a) Ib. p. 324. b) Adversus Iudæos c. 3. p. 186.
c) p. 200. &c. p. 400.

tulliani verba, *non lapis offensionis, nec petra scandali, sed lapis summus angularis post reprobationem assumtus, et sublimatus in consummationem templi Ecclesiæ scilicet: et petra sane illa apud Danielem de monte præcisa, quæ imaginem secularium regnorum comminuet, et conteret.* Et postea lib. IV. c. 35. *a)* illa evangelii verba: *regnum Dei intra vos est,* versans, *ne argumentetur,* ait, *audacia hæretica de regno creatoris, de quo consulebatur, non de suo respondisse eis Dominum, sequentia obsistunt. Dicens enim filium hominis ante multa pati, et reprobari oportere, ante adventum suum, in quo et regnum substantialiter revelabitur, suum ostendit regnum, de quo responderat, quod passiones et reprobationes ipsius exspectabat. Reprobari autem habens, et postea agnosci, et assumi, et extolli etiam ipsum Verbum,* reprobari, *inde decerpsit ubi in lapidis ænigmate utraque revelatio eius apud David canebatur, prima recusabilis, secunda honorabilis:* Lapis, *inquit,* quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est hoc. *Vanum enim, si credidimus Deum de contumelia aut gloria scilicet alicuius prædicasse, ut non etiam portenderet, quem et in lapidis, et in petræ, et in montis figura portenderet.* Iterum hic ad supra memoratas Isaiæ et Danielis prophetias respicit de monte domus Domini, ac lapide, qui *de monte abscissus est, sine manibus et comminuit testam &c.* *b)* quod nempe quartum est regnorum monarchia Romana, de quibus altera est sub figura quatuor

*a)* p. 452. *b)* Dan. II. 45.

bestiarum visio Dan. VII. 17. *Hæ quatuor bestiæ magnæ, quatuor sunt regna, quæ consurgent de terra. Suscipient autem regnum sancti Dei Altissimi: et obtinebunt regnum usque in seculum, et seculum seculorum.* Ubi distinguere quidem licet regnum Christi in terris militantis Ecclesiæ ac triumphantis, ut verba illa *usque in seculum* pertineant ad præsentis temporis Ecclesiæ regnum, illa *et in seculum seculorum* ad Ecclesiam regnantem seu triumphantem æternum in cœlis. Perinde est de iis, quæ mox sequuntur apud Danielem, dum propheta *a*) voluit diligentius discere de bestia quarta, *et de decem cornibus, quæ habebat in capite, et de alio, quod ortum fuerat, ante quod ceciderant tria cornua, et de cornu illo, quod habebat oculos, et os loquens grandia, et maius erat cœteris. Aspiciebam et ecce cornu illud faciebat bellum adversus sanctos, et prævalebat eis. Donec venit antiquus dierum, et iudicium dedit sanctis Excelsi, et tempus advenit, et regnum obtinuerunt sancti.*

Mira hic est sanctorum Patrum consensio, quos supra vidimus magno numero prope instantem diem Domini statuere, atque hæc potissimum de ultimo certamine cum Antichristo interpretari *cornu illo, quod habebat oculos et os loquens grandia.* Quod nequaquam a scopo illo aberrat, quo antiquus dierum iudicium dedit sanctis Excelsi, et tempus advenit, quo Ecclesia militans paulatim statu suo presso eluctata regnum suum cum sanctis extulit in terra, et *regnum obtinuerunt sancti.*

Et

a) Dan. VII. 19.

Et infra versu 26. *Et iudicium sedebit, ut auferatur potentia, et conteratur, et dispereat usque in finem. Regnum autem et potestas, et magnitudo regni, quæ est subter omne cælum, detur populo sanctorum Altissimi: cuius regnum, regnum sempiternum est, et omnes reges servient ei, et obedient.* Quæ posteriora verba regnum Ecclesiæ militantis in terra designant, uti antecedentia verba regnum sempiternum in cœlis, quod utrumque regnum sanctorum Altissimi est in Christo, et cum Christo, sæpe in evangelio regnum in terris designatum legitur, regnumque etiam cœlorum dicitur, atque eiusdem Ecclesiæ militantis regimen constituitur, et tribunal regni, ut mox videbimus. Quod vero S. Ioannes Apoc. XX. 4. sic expressit: *Et vidi sedes, et sederunt super eas, et iudicium datum est illi: et animas decollatorum propter testimonium Iesu, et propter verbum Dei, et qui non adoraverunt bestiam, neque imaginem illius, nec acceperunt characterem illius in frontibus, aut in manibus suis, et vixerunt et regnaverunt cum Christo mille annis.* Ubi, ut paulo post suo loco rem explicabimus, aperte iudicium hoc distinguitur ab extremo illo, quo ipse Christus venturus est iudicare vivos et mortuos, resurgentes cum corporibus suis. Nec alii sunt mille anni hi, quam illi de quibus mox: *Cæteri mortui non vixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima. Beatus et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem: sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis. Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas* &c.

Hoc igitur eſt regnum Chriſti in terris, Eccleſia militans, quod nos tanto iam tempore præ oculis habentes, cernimus, quæ antiquis SS. Patribus tam pervia, plana, et perſpicua eſſe non potuerunt. Iam ſupra audivimus S. Hippolytum M. cuius interpretatio in Danielem nuperrime primum edita ex cod. Rom. ut eſt ab editore p. 98. annotatum, palam facit, tam librum eiusdem S. Martyris *de Antichriſto*, quam etiam *de conſummatione ſeculi* interpolatum quidem, eiusdem tamen eſſe auctoris, cum in ſingulis his tribus libris eadem habeatur explicatio ſomnii de quatuor monarchiis, recte quidem in ſua ultimata completione ad Antichriſtum relata, poſt quam Chriſtus e cœlo veniens iudicium mundo eſt illaturus. Sed quæ ſequuntur in interpretatione Danielis de beſtia quarta, quæ *quingentis annis regnatura ſit*, poſt Chriſtum natum nempe, congruit tempori illi, quo monarchia Romana ipſaque Roma *debellatrix ſanctorum* iuxta Tertullianum, ut iam diximus, ac deinceps ſuo loco porro explicabimus, corruit ſecul. V. ut tamen eius reliquiæ ſervatæ in Oriente imperio Conſtantinopolitano et poſtea ex parte reſtaurato in Occidente imperio, regno Chriſti dignitatem maieſtatemque contulerint iuxta illud Iſaiæ: *et erunt reges nutritii tui* &c. Hactenus experti ſumus quod de lapide Chriſto Ieſu prædictum eſt Danielis II. 35. *Qui percuſſerat ſtatuam: factus eſt mons magnus, et implevit univerſam terram.* Vidimus id iam ante mille, et quod excedit annos, et adhuc decurrit ævum, donec perdurat præſens ſeculum, tempus-

que

que dominationis terrenæ ac regnorum, quos lapis ille comminuit in eorum quarti singillatim reliquiis: *In iis vero*, inquit a) S. Iacobus Nisibenus, *quæ postea ibidem subiiciuntur, nempe, quod una simul conterebantur et comminuebantur, ferrum et æs et argentum et aurum præmonstratur regnum Christi, qui humiliat regnum quartum ac proinde totam statuam brevi tempore comminuit.... At lapis, qui percutiebat statuam, et comminuebat, et a quo implebatur omnis terra, est regnum Christi regis, qui facit ut transeat regnum illud, et ipse regat in secula seculorum.* Sive igitur textus sic generatim accipitur, sive speciatim de fatis illis regni terreni, et incrementis regni Christi in terris, cuius decursus numero, ut vocamus, rotundo, mille annorum Apoc. XX. describitur (utrinque autem variæ epochæ inde a primis Ecclesiæ temporibus determinantur a SS. Patribus, et S. Scripturæ interpretibus) recte decurrit authentica S. Scripturæ per traditionem ecclesiasticam interpretatio: nec obest de tempore mille annorum regni Christi in terris opinionum diversitas; imo non potuit non ita contingere, quandoquidem sic occultam voluit esse novissimam horam, ut de ea incerti essemus, prout suspensos omni tempore reddebant fideles ipsæ illæ Monarchiæ quartæ vicissitudines. Unde Theodoretus in Danielis II. eos redarguit, qui imperium illud b) periisse contendebant in priore Christi adventu. *Regnum igitur*, inquit, *Romanorum, quod illo obtinente viguit, usque adhuc per-*



a) T. V. Bibl. PP. p. XXXVIII. b) T. II. p. 569.

*mansit. Igitur si Domini prior nativitas Romanorum haud evertit imperium, relinquitur sane, ut secundum illius intelligamus adventum. Nam lapis, qui prius excisus est sine manibus, quique evasit in montem magnum, et orbem terrarum cooperuit, hic in secundo adventu percutiet imaginem super pedes fictiles, hoc est, in ipso fine ferrei regni, quod factum fuerit imbecille, adveniet, et omnia regna demoliens cuidam tradet oblivioni, sempiternumque suum regnum dignis communicabit.*

S. Cyrillus Hierosolymitanus necdum tot dira Romæ debellatricis sanctorum fata vidit, qualia præ oculis habuit Theodoretus, ea nihilominus cum cæteris fere SS. PP., quos supra audivimus, prospexisse censendus est, ac palam edixisse in homilia quadam, quam citat catechesi XII. *de Christo incarnato* n. 18. *a)* ad illa Ps. II. 9. verba: *Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringes eos.* Ubi iuxta textum græcum legit: *pasces eos in virga ferrea. Dixi iam prius*, ait, *quod virga ferrea manifeste vocatur Romanum imperium, de quo id quod reliquum est, ex Daniele commemoremus. Enarrans enim et interpretans Nabuchodonosori imaginem statuæ, omnem quoque illi edisserit de statua visionem, lapidemque sine manibus de monte excisum, nimirum humana opera non productum, universo orbi dominaturum edicit, et apertissime loquitur in hunc modum:* Et in diebus regnorum illorum excitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et re-

*a)* p. 172.

regnum illius alteri populo non *relinquetur.* Quod autem dicit Propheta: *in diebus regnorum illorum*, de Romano quod postremum reliqua absorpsit, intelligendum est, quo summo in flore sub Augusto constituto natus est Christus lapis ille, factus in montem magnum.

Est hic If. II. 2. &c. Os. IV. 1. &c. *præparatus mons domus Domini in vertice montium, et elevabitur super colles, et confluent ad eum omnes gentes. Exibunt populi multi, et dicent: Venite ascendamus ad montem Domini et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas, et ambulabimus in semitis eius: quia de Sion exibit lex, et verbum Domini de Ierusalem. Et iudicabit gentes, et arguet populos multos.* Idem est Ps. LXVI. 17. &c. *Mons Dei mons pinguis. Mons coagulatus mons pinguis. Ut quid suspicamini montes coagulatos? Mons in quo beneplacitum est Deo habitare in eo: etenim Dominus habitabit in finem.* Psalmum hunc ad Christum referimus duce D. Paulo, qui ex eo Eph. IV. 8. de Christi ascensione accipit versum 19. alia paululum, sensu haud mutato, interpretatione: passimque differunt versiones Græcæ et latinæ huius psalmi a textu Hebraico etiam intt. LXX. quæ cum facta sit ante Christum, non pauca tamen explicatiora reddit in textu originali (maximis difficultatibus obsepta) in iis, quæ ad Christum eiusque Ecclesiam militantem triumphantemque de hostibus suis ad constituendum regnum Christi in terris, spectant quod in veteri testamento adumbratum in exitu Israel de Ægypto ac victoriis ad occupandam ab Israelitis

terram promissam, rogataque lege in monte Sinai, partim etiam deportata in montem Sion arca Domini; dum vicissim eum SS. Patres de Christi adventu, resurrectione et ascensione Christi, prædicatione evangelii ac conversione gentilium interpretantur. Quæ si simul omnia spectentur, discernanturque typus et antitypus, atque utrique quod suum est attribuatur, accommodeturque, disparebunt ut plurimum maximæ illæ difficultates, quæ posteriore ætate auctæ haud raro sunt ab hypercriticis illis non paucis, quos uni litteræ pertinacius inhærentes perplexiusque, mirum non est mente perturbatos spiritum non reperisse.

Sunt tamen ex recentioribus etiam interpretibus, qui Psalmo huic etiam ab explicata a nobis Danielis prophetia facem accendunt, ex illis quoque, qui montem illum Ecclesiam catholicam totum orbem replentem abnegarunt, percutientem deiicientemque statuam illam regnorum, quæ Daniel. cap. VII. per quatuor bestias designat: psalmista vero uno veluti verbo utramque imaginem statuæ et bestiarum totamque rem ob oculos ponit: *Increpa*, ait, *feras arundinis*, hoc est statuæ seu colossi 4 regnorum Dan. II. quæ Dan. VII. tanquam totidem feræ seu bestiæ repræsentantur: *Increpa*, percute feras arundinis instar, prout Ahias propheta de regno Israel dicit: *percutiet Dominus Deus Israel, sicut moveri solet arundo in aqua.* Sic percutit Christus suo adventu feras, arundinis bestias, seu regna illa terræ ceu arundinem, in statua ac bestiis quatuor designata, *in pedi-*

a) III. Reg. XIV. 15.

*pedibus eius ferreis et fictilibus, et comminuit eos* quartam nimirum monarchiam seu bestiam, terribilem, atque mirabilem et fortem nimis, totis viribus sese evangelio Christi opponentem, fitque, ut psalmista a) exoptans *Exsurgat Deus*, infit, *et dissipentur inimici eius, et fugiant qui oderunt eum a facie eius* &c. *Dominus*, nempe ut prævidens quod futurum erat vaticinatur psalmista, v. 12. *dabit virtutem evangelizantibus virtute multa. Rex virtutum dilecti dilecti*, quos interpretantur reges, qui Christo nomen dantes, *speciei domus seu pulcritudinis domus* ut S. Hilarius legit, ad decorem Ecclesiæ, *divisere spolia: dum*, nempe, *discernit cælestis reges super eam*, fideles scilicet, ab infidelibus, *nive dealbabuntur in Selmon mons Dei, mons pinguis* &c. ut supra. Etsi vero infra ea ad egressum triumphalem ex Ægypto v. 26. in terram promissam pertineant: *Viderunt ingressus tuos Deus, regis mei, qui est in sancto. Prævenerunt principes coniuncti psallentibus, in medio iuvencularum tympanistriarum*, veluti in typo, ad antetypum tamen referenda sunt, quæ mox sequuntur: *In ecclesiis benedicite Domino de fontibus Israel*; unde nimirum per Christum, qui fecit utraque unum, venit, ut in ecclesiis benedicere Domino possimus. *Ibi*, sequitur, *Beniamin adolescentulus in mentis excessu.* Quod de D. Pauli conversione interpretantur. Qua de re quidquid sit, certe is non solum doctor gentium fuit, verum etiam regum gentium, quod Christus a) arguit, b) quos dominentur cum tyrannide. κατακυριεύουσιν αὐτῶν, κατεξουσιάζουσιν αὐτῶν. Quales fuerunt in qua-



a) Pf. LXVII. 1. b) Matth. XX. 25.

quatuor illis monarchiis invicem sese conficientibus una concidente post alteram: expertæ illud Isaiæ: XXXIII. 1. *Væ qui prædaris, nonne et ipse prædaberis? et qui spernis, nonne et ipse sperneris? cum consumaveris deprædationem, deprædaberis: cum fatigatus desieris contemnere, contemneris.* Expertæ, inquam, hoc sunt feræ illæ arundinis, a) *congregatio taurorum in vaccis populorum*, quibus nimirum vaccarum instar lac usque ad sanguinem exprimebant, secundum id Salomonis b) *Qui autem fortiter premit ubera ad eliciendum lac, exprimit butyrum: et qui vehementer emungit, elicit sanguinem: et qui provocat iras, producit discordias.* Quæ omnia mox Roboam Salomonis filius expertus est.

Imprimis vero monarchiæ illæ lapide Christo de monte exciso sic sunt comminutæ; non equidem quod omnis potestas ac principatus sit destructus, sed in ordinem redactus, damnata a Christo regum gentium tyrannide, exemplo designato in suis discipulis quibus dixit: *Quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister.* D. Paulus c) de præstanda principibus obedientia tractans principem Dei ministrum perinde etiam vocat, *tibi in bonum*, inquit, subditum allocutus: *si autem*, addit, *malum feceris time: non enim sine causa gladium portat. Dei enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit. Ideo necessitate subditi estote, non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam. Ideo enim et tributa præstatis: minister enim Dei est, in hoc ipsum servientes.* Id ob oculos ponens ipsis

a) Ps. VXVII. 31. b) Prov. XXX. 33. c) Rom. XIII. 1.

ipsis regibus Sapiens a) *Audite ergo*, inquit, *reges, et intelligite, discite iudices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudinem, et placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est a Domino potestas vobis, et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur. Quoniam cum essetis ministri regni illius; non recte iudicastis, nec custodistis legem iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende, et cito apparebit vobis: quoniam iudicium durissimum his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cuiusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cuiusquam: quoniam pusillum, et magnum ipse fecit, et æqualiter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio. Ad vos ergo reges sunt hi sermones mei, ut discatis sapientiam, et non excidatis.* Accidit hoc, ut diximus, feris illis arundinis statuæ Nabuchodonosoris, quatuor illis monarchiis sub imagine bestiarum apud Danielem, ferarum instar grassantibus, perinde intus crudeles in suos, quam foris in hostes, hinc Psalmista b) sermonem prosecutus: *Dissipa gentes, quæ bella volunt. Venient legati ex Ægypto: Æthiopia præveniet manus eius Deo.* Quod de primitiis militantis Ecclesiæ regni Christi in terris interpretantur in illis terris, quibus deinceps reliqua regna in Romano imperio et ultra per orbem in Christum accepta fide accesserunt, quæ singula deinceps hortatur psalmista: *Regna terræ can-*

a) Sap. VI. 2. b) Ps. LXVII. 31.

*cantate Deo, psallite Domino: psallite Deo. Qui ascendit super cœlum cœli ad orientem. Ecce dabit voci suæ vocem virtutis. Date gloriam Deo super Israel, magnificentia eius, et virtus eius in nubibus. Mirabilis Deus in sanctis suis. Deus Israel ipse dabit virtutem, et fortitudinem plebi suæ: Benedictus Deus.* Cum primum Deus populum Israeliticum a servitute Ægyptiaca ereptum in terra promissa sibi peculiarem elegisset, eius regimini prospiciens, *si*, inquit, a) *difficile et ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram, et iudicum intra portas tuas videris verba variari: surge et ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad sacerdotes levitici generis, et ad iudicem, qui fuerit illo tempore: quæresque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicii veritatem. Et facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, et docuerint te, iuxta legem eius, sequerisque sententiam eorum. Nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram. Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Deo tuo, et decreto iudicis, moriatur homo ille, et auferes malum de Israel: cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia. Cum ingressus fueris in terram, quam Dominus Deus dabit tibi, et possederis eam, habitaverisque in illa, et dixeris: Constituam super me regem, sicut habent omnes per circuitum nationes: eum constitues quem Dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum.* Dum postea, Deo incon-

a) Deut. XVII. 8.

inconsulto, qui hanc in populo suo statuerat theocratiam, *a)* a Samuele peterent constitui sibi regem, indignatus Dominus, *Non te*, ait ad Samuelem, *abiecerunt, sed me, ne regnem super eos.* In memoriam hoc revocans, exprobansque identidem Israelitis ingratis Deum suum relinquentibus et in pristinas relapsis abominationes: *ubi est*, inquit Os. XIII. 10. *rex tuus? Maxime nunc salvet te in omnibus urbibus tuis: et iudices tui, de quibus dixisti: Da mihi regem et principes. Dabo tibi regem in furore meo, et auferam in indignatione mea.* Quale nimirum illæ feræ arundinis in statua Nabuchodonosori visa subierunt fatum regna, per bestias, ut sæpe alias in sacra scriptura, designata. Iam vero audiamus quales Deus in theocratia instituerit reges l. c. Deut. XVII. 18. *Postquam autem sederit in solio regni sui, describet sibi deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar a sacerdotibus leviticæ tribus, et habebit secum, legetque illud omnibus diebus vitæ suæ, ut discat timere Dominum Deum suum, et custodire verba et cæremonias eius, quæ in lege præcepta sunt. Nec elevetur cor eius in superbiam, super fratres suos, neque declinet in partem dexteram vel sinistram, ut longo tempore regnet ipse, et filii eius super Israel.* At vero dum elapso ordine hoc et successione regum, ablatoque sceptro de Iuda venit Dominus in Sion, advenitque tempus illud, quod eminus prospiciens psalmista, *Tu exurgens*, exclamat, *misereberis Sion, quia tempus miserendi eius, quia venit tempus. Quoniam placuerunt ser-*

*vis*

a) I. Reg. VIII.

*vis tuis lapides eius, et terræ eius miserebuntur. Et timebunt gentes nomem tuum Domine et omnes reges terræ gloriam eius.* Dum ipse in adventu suo Christus regnum sibi in terris instituit civitatemque illam, de qua Apoc. XXI. 23. dicitur: *civitas non eget sole, neque luna, ut luceant in ea: nam claritas Dei illuminavit eam, et lucerna eius est agnus. Et ambulabunt gentes in lumine eius: et reges terræ afferent gloriam suam et honorem in illam.* Lux illa lux Evangelii est in civitate Dei in monte sancto eius, qui deiecta statua superbi regiminis ferisque rapacibus *implevit universam terram: in conveniendo populos in unum, et reges, ut serviant Domino. Deus in loco sancto suo, Deus qui inhabitare facit unius moris in domo*, Ecclesia Christi de cuius magisterio S. Augustinus, *tu*, inquit, lib. 1. de moribus Eccl. c. 30. *cives civibus, gentes gentibus, et prorsus homines, primorum parentum recordatione, non societate tantum, sed quadam etiam fraternitate coniungis. Doces reges prospicere populis, mones populos se subiicere regibus. Quibus honor debeatur, quibus affectus, quibus reverentia, quibus timor, quibus consolatio, quibus admonitio, quibus cohortatio, quibus et disciplina, quibus obiurgatio, quibus supplicium sedulo doces: ostendens, quemadmodum et nos omnibus omnia, et omnibus charitas et nulli debeatur iniuria.* Nec unquam dirissimis persecutionum quoque temporibus christiani defuerunt officio erga gentiles etiam principes et magistratus: quod post alios sæpius cumprimis Tertullianus contestatur, postquam iam undique sanguine Christiano in-

un-

fundavit imperium Romanum, nec tormentis nec mortibus fatigati, *Nos*, inquit Apol. c. 30. ille, *iudicium Dei suspicimus in Imperatoribus, qui gentibus illos praefecit. Id in eis scimus esse, quod Deus voluit.* Scilicet edocti a Christo reddere *quae sunt caesaris caesari*, *et quae sunt Dei Deo.* Sic S. Augustinus de Iuliano Apostata locutus: *Milites*, inquit Enarr. in Ps. 123. n. 7. *Christiani servierunt Imperatori infideli, ubi veniebatur ad causam Christi, non agnoscebant nisi illum, qui in coelo erat.* Interim Roma, dum haec aguntur, quarta Danielis bestia feraque arundinis in Nabuchodonosoris colosso comminuitur, consumens depraedationem et ipsa depraedata iuxta Isaiam. Etenim *remota iustitia*, sunt verba S. Augustini, lib. IV. de civ. Dei. 4. *quid sunt regna nisi magna latrocinia? quia et ipsa latrocinia quid sunt nisi parva regna?* Affert post alia ad rem S. Pater illud piratae responsum Alexandro M. datum interroganti: *quid ei videretur, ut mare haberet infestum? Ille libera contumacia, quod tibi, inquit, ut orbem terrarum: sed quia id exiguo navigio facio, latro vocor, quia tu magna classe, Imperator.*

---

## CAPUT XVII.

### *Evangelii de regno Christi doctrina.*

Apud S. Cyrillum Hierosol. sequitur l. c. argumentum de Verbi divini Incarnatione ex Ps. II. qui de evangelio Christi citatur in Act. Apo-

stol.

stol. c. IV. *Rursus*, inquit, *quaeris et aliud temporis testimonium:* Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. *Et post pauca:* Pasces eos in virga ferrea. Est nempe totus ille psalmus compositus adversus frementes gentes et populos, regesque terrae, et principes convenientes in unum adversus Dominum et adversus Christum eius; *Dirumpamus vincula eorum, et proiiciamus a nobis iugum ipsorum*, iugum scilicet Evangelii, Ecclesiae militantis, regni Christi in terris: *Ego autem constitutus sum rex ab eo super Sion montem sanctum eius, praedicans praeceptum eius. Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam et possessionem tuam terminos terrae. Reges eos in virga ferrea* &c. Perinde ac psalmo CIX. quem Christus ipse de se interpretatur Matt. XXII. dicitur: *Virgam virtutis tuae emittet Dominus ex Sion, dominare in medio inimicorum tuorum.* Quod tam insigniter factum conspicimus in constituendo regno Christi Ecclesia ringentibus licet, et frementibus gentibus et populis meditantibus inania, in vanum cedentibus omnibus consiliis, moliminibus, et machinationibus omnium gentium et populorum Universi: *Astiterunt reges terrae, et principes convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius.*

Hunc Iudaei tam avide exspectarunt regem suum Messiam accepta promissione, non auferendum sceptrum de Iuda, donec is veniret. Sic iam Christus Rex ab angelo Mariae virgini denunciatur: a) *Hic erit magnus et filius Altissimi vocabi-*

a) Luc. I. 32.

*bitur, et dabit illi dominus Deus sedem David Patris sui, et regnabit in Domo Iacob in æternum, et regni eius non erit finis.* Sic magi nato Domino venientes Hierosolymam quærunt: *a) ubi est, qui natus est rex Iudæorum?* Sic Nathanae Christo testimonium reddit: *b) Tu es filius Dei: tu es Rex Israel.* Sic interrogatus a Pharisæis: *c) Quando venit regnum Dei? Respondens eis dixit: Non venit regnum Dei cum observatione: neque dicent, ecce hic aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est.* Hæc quia non capiebant, quæ dixit Christus, ablatum est ab eis regnum Dei. At vero turbæ discipulorum clamant: *d) Benedictus, qui venit rex in nomine Domini*, dum Christus Ierosolymam ingreditur iuxta prophetam a Math. XXI. v 5. relatum: *Ecce Rex tuus venit tibi mansuetus, sedens super asinam.* Erat hoc accusationis caput apud Pilatum: *e) Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare Cæsari, et dicentem se esse Christum regem.*

Ipsum Christi seu uncti nomen in veteri testamento regibus proprium erat κατ' ἐξοχὴν Messiæ maximo ex stirpe David regi æterno attributum. Pilatus autem interrogavit eum dicens: *Tu es rex Iudæorum? at ille respondens ait: tu dicis.* Quæ est affirmantis seu interroganti consentientis responsio. Quod aperte Christus iterato interrogatus respondit Pilato: *f) Tu dicis quia rex sum ego.* Iudæi vero Pilato quærenti Iesum dimittere, dum dicunt: *si hunc dimittis, non es amicus Cæ-*



a) Math. II. 2. b) Io. II. 49. c) Luc. XVI. 20.
d) Luc. XIX. 38. e) Math. XXII. 2.
f) Io. XVIII. 37.

*ſaris: omnis enim, qui ſe regem facit, contradicit Cæſari;* Et iterum iam pro tribunali ſedenti, ac dicenti: *Ecce Rex veſter*; Et, *regem veſtrum crucifigam?* a) reſpondentes: *non habemus regem, niſi Cæſarem*, contra ſe ipſos teſtimonium dicunt, declarantque impletam eſſe prophetiam, dum fatentur, ſe regem non habere, niſi Cæſarem. Ut ſe extricaret Pilatus, dicit eis: b) *accipite eum vos, et crucifigite: Reſponderunt ei Iudæi: Nos legem habemus, et ſecundum legem debet mori.*

Adhuc hæret Pilatus, et *magis timuit. Et ingreſſus eſt prætorium iterum, et dixit ad Ieſum: Unde es tu? Ieſus autem reſponſum non dedit ei.* Ac ſi ſilentio ſuo incompetentem iudicem perhorreſceret; Pilatus vero, qui antea mirabatur vehementer, quod Chriſtus ad accuſationes Iudæorum non reſponderet, *mihi*, ait, *non loqueris? Neſcis, quia poteſtatem habeo crucifigere te, et poteſtatem habeo dimittere te.* Quæ vero eſt hæc poteſtas, niſi illa, de qua Chriſtus cum caperetur: *Hæc eſt*, ait, *hora veſtra, et poteſtas tenebrarum*; qua deinceps, ut hic Pilatus contra Chriſtum, abuſi ſunt potentes huius ſæculi contra corpus Chriſti Eccleſiam in ſuis membris, illis præſertim, quibus regendam poſt ſe Eccleſiam usque ad conſummationem ſæculi commiſit Chriſtus, ut ſe ſuo exemplo, ſi quando iniqua inferretur violentia, ſolarentur, erigerentque, perinde in illis, ac in ſe, Chriſto id permittente, non legitimam agnoſcente poteſtatem: prout intelligenda ſunt Chriſti verba: *Non haberes poteſtatem in me, niſi tibi* da-

a) Io. XIX. b) Ioan. XIX. 6. v. 8. &c.

*datum esset desuper : propterea qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Et exinde* peccatum perhorrescens, quod ei ultimato Christi pietas ob oculos ponit, *a) quærebat Pilatus dimittere eum: Iudæi autem clamabant dicentes: si hunc dimittis non es amicus Cæsaris.*

Sic quidem Pilatum timore incusso inducunt, ut condemnaret Christum, ut tamen adhuc Christum tanquam regem proponeret: *Ecce rex vester*, vociferantibus illis iterum: *Crucifige eum. Regem vestrum*, respondet, *crucifigam?* Et sic tandem Iesum tradidit eis, ut crucifigeretur, causa tamen simul inscripta: IESUS NAZARENUS REX IUDÆORUM: nec induci potuit Pilatus, ut mutaret titulum, palam a Christo confessione accepta, se esse regem, respondens quæsitus, an rex esset: *Tu dicis, quia rex sum ego.*

Cum iam esset affixus cruci, milites, qui antea *exuentes eum, chlamydem coccineam circumdederunt ei: et plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, et arundinem in dextera eius, et genu flexo ante eum, illudebant ei dicentes: ave rex Iudæorum!* Matth. 27, 28. iam etiam pendenti in cruce illudunt *accedentes, et acetum offerentes ei, et dicentes: Si tu es rex Iudæorum, salvum te fac.* Luc. 23, 36. Similiter et principes sacerdotum illudentes cum scribis et senioribus dicebant: *Christus rex Israel descendat nunc de cruce, ut videamus, et credamus. Et qui cum eo crucifixi erant, convitiabantur ei b).* Alter tamen



a) Io. XIX. 12. v. 14. v. 15. b) Matth. 27, 41. Marc. 15, 31.

men ex eis conversus, increpans postea socium, dicebat ad Iesum: *Domine! memento mei, cum veneris in regnum tuum.* Quod vero insignius esse potuit exemplum Christi pro discipulis, nobisque christianis omnibus? Quale præstantius argumentum regni Christi militantis Ecclesiæ in terris, in hoc mundo? Ecce! medias inter cruces, mortes, tormenta et persecutiones regnum hoc Christi, Ecclesia militans, dilatatur per orbem; consistit in orbe catholico: consistet usque ad seculi consummationem, spectantibus Iudæis, sua de restituendo per Messiam regno Israel delusis opinione; qua adhuc detentos legimus ipsos Christi discipulos, mox ante ascensionem suam in cœlos interrogantes Christum: *Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel?* Act. I. 6. Regnum nimirum, quale tunc maxime sub iugo Romano præstolabantur Iudæi: volebantque aliquando, saturati in deserto panibus, Iesum facere regem Io. 6, 15. qualis etiam proclamabatur adhuc a *turba multa, quæ venerat ad diem festum paschæ* Io. 12, 15. *Benedictus, qui venit in nomine Domini, rex Israel!* qua ex turba haud dubie fuerunt, qui paucis post diebus clamabant, ut crucifigeretur, infirmitate passionis eius in transversum acti: stulti et tardi, solumque in promisso Messia, rege Israel, filio David, attendentes ea, quæ de eius regni gloria sunt prædicta in prophetis, non vero ea, quæ oportuit pati Christum, et ita intrare in gloriam suam: Luc. 24. nec miraculis eius convicti, quibus se promissum regem Messiam demonstrabat, ad instaurandum regnum suum destructo

re-

regno diaboli, quo se fortiorem toties in vita ostendebat, eos expellendo, maxime in morte regnum eius evertendo. Sed cum esset sua mors Iudæis scandalum, proficere illis non poterat, tantopere instantibus, ut crucifigeretur, atque contra seipsos sententiam dicentibus clamore isto: *Sanguis eius super nos, et super filios nostros!* Matth. 27, 25. Atque hoc ipso exciderunt regno, quod non nisi terrenum, in hac vita perennaturum, sperabant, Israeliticum ex semine Abrahæ, in quo benedicendæ erant gentes omnes *quasi in uno*, ut ad Gal. VII. Paulus loquitur, *et semini tuo, qui est Christus.* Et Gal. IV. *Non, qui filii carnis, hi filii Dei: sed qui filii sunt promissionis, æstimantur in semine;* secus enim nec Abrahæ ac aliis ante et post ipsum profuisset promissio, nec post Christum illis, qui ad eius regnum pertinuissent, nisi in hac mortali vita. cuiusmodi sunt regna huius mundi, identidem post mortem successione propaganda: dum de suo dicit Christus Pilato; *regnum meum non est de hoc mundo.*

Affirmat regnum suum esse *in* hoc mundo, sed negat, esse *de* hoc mundo: ut scilicet non invicem adversantia loqueretur, qui de se, suoque regno dicebat: *regnum Dei intra vos est;* prædicabatque in terris *Evangelium regni.* Verum ubi Iudæi crucifixo Domino actum de eius regno existimabant clamantes: *Si rex Israel est, descendat* &c. ibi regnum Christi instaurabatur, post resurrectionem apostolis Iudæis primum Iesum crucifixum principem et Salvatorem annuntiantibus, iisque incredulis per universum mundum iuxta

promissionem; filiis promissionis factam *in* hoc mundo de regno, quod non esset, quale sperabant Iudæi, *de* hoc mundo: quemadmodum etiam Christus de apostolis, ad suum in universo mundo constituendum regnum relictis in mundo, dicit, eos non esse de mundo.

Sed et dum apostoli ambitione seculi, vulgarique Iudæorum opinione de regno Messiæ terreno ac monarchico, cetera absorbente mundi regna detenti, non semel inter se contenderent, quis eorum videretur esse maior; *Reges gentium*, inquit a) *dominantur eorum, et qui potestatem habent super eos, benefici vocantur: vos autem non sic, sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor, et qui praecessor est, sicut ministrator.* Ubi, palam est, primatum et subordinationem non excludi, sed excessum illius fastuosi et præpotentis dominatus, quo reges gentium amant premere subditos, et supprimere populos, quod manifeste declarat vox κατακυριεύουσιν αὐτῶν, qua usus est Christus. Rem succincte declarat S. Chrysostom. in cap. XX. Matth. hom. 36. „ Principes mun-
„ di (inquit) ita se gerunt, ut dominentur mi-
„ noribus, et eos servituti subiiciant, ut spolient,
„ et ad mortem usque eis utantur ad suam utili-
„ tatem et gloriam. Principes autem Ecclesiæ
„ fiunt, ut serviant minoribus suis, et ministrent
„ eis, quæcunque acceperunt a Christo, ut suas
„ utilitates negligant, et illorum procurent; ut,
„ si opus fuerit, neque mori recusent pro salu-
„ te inferiorum suorum „ Ipse vero Deus Samue-

li I.

a) Luc. XXII. 25.

li I. Reg. 8, 9. præcepit, ut Israelitis male sibi regem expetentibus ob oculos poneret *ius regis, qui regnaturus est super eos.* Quod explicatur deinceps ius regis non solum eiusmodi excessivum, quod de Ecclesia sua excludit Christus, verum etiam secus, ac Deus in lege Mosis præscripsit, modum (quem vix optimi regum Iudaicorum servarunt) ad amussim Deuter. XVII. 16. *Cumque fuerit constitutus, non multiplicabit sibi equos, non reducet populum in Ægyptum, equitatus numero sublevatus* &c. Quanto igitur magis fastum hunc et prædominatum ab Ecclesia sua exclusum voluit magister humilitatis? Nam *Quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? Nonne qui recumbit? Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo; et sedeatis super thronos, iudicantes duodecim tribus Israel.* Luc. 22, 29. Hanc Christus apostolis sponsionem dat proxime ante passionem suam et mortem, quam in se ipso erat devicturus in cruce, in statu exinanitionis: resurgens autem a mortuis in statu exaltationis regnum suum instituturus per apostolos in universo mundo. Est hoc, quod Christus respondet apostolis quærentibus, si in tempore hoc esset restituturus regnum Israel: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus S. in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem, et in omni Iudæa et Samaria, et usque ad ultimum terræ.* Id quod ad regnum Christi in terris adtinet, de

quo Christus sæpe alias in suis sermonibus et parabolis, e. g. zizaniorum, in qua dicit, colligenda esse *de regno eius omnia scandala:* quod utique de regno Christi in terris accipiendum; uti ibidem Matth. 13. in parabola de seminante, fermento: thesauro abscondito; et Luc. 19, 14. in parabola de homine quodam nobili abeunte in terram longinquam, accipere sibi regnum, et reverti, dicitur: *Cives autem eius oderant eum, et legationem miserunt post illum, dicentes: Nolumus, hunc regnare super nos;* ut factum vidimus. Subdit evangelista post parabolam: *Et his dictis præcedebat ascendens Ierosolymam*, ad passionem nempe, mortemque suam.

Abiturus autem iamiam ad Patrem (Matth. c. ult. v. 18.) Iesus locutus est apostolis dicens: *Data est mihi omnis potestas in cœlo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus S. docentes eos, servare omnia, quæcunque mandavi vobis. Et ecce, ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.*

Iudæi sibi imaginabantur, Messiæ quidem dandam omnem potestatem, sed in terra solum constituto regno; Christus autem profitetur, datam sibi esse omnem potestatem in cœlo et in terra: heic constituto sibi regno Ecclesia militante, suo per vitam, passionem et mortem exemplo; illic æternum triumphante in cœlis.

Regnum hoc est illud cælorum, a quo increduli eiecti sunt *filii regni*, Iudæi Matth. 8, 12.

dum

dum frustra apud eos *circuibat Iesus omnes civitates et castella, docens in sinagogis eorum et prædicans evangelium regni*, Matth. 9, 35. ut audirent quidem *verbum regni*, ibid. 13, 19. sed nollent intelligere. Hinc eis denuntiat Christus 21, 14. *quia auferetur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facienti fructus eius.* Est hoc, quod apud eundem evangelistam c. 24, 14. dicitur: *Et prædicabitur hoc evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio.* Christus non se missum testatur Matth. 15, 29. *nisi ad oves, quæ perierant, domus Israel;* apostolis etiam, dum primum eos electos misit, præcepit: *In viam gentium ne abieritis, et in civitates Samaritanorum ne intraveritis, sed potius ite ad oves, quæ perierant, domus Israel.* Matth. 10, 5. Non, quod ad universum genus humanum haud pertineret Christi regnum ac redemtio; sed quod, ut D. Paulus Iudæos alloquitur Act. 13, 46. *Vobis oportebat primum loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, et indignos vos iudicatis æternæ vitæ, ecce convertimur ad gentes. Sic enim præcepit nobis Dominus:* Posui te in lucem gentium, ut sis in salutem usque ad extremum terræ. *Audientes autem gentes gavisæ sunt, et glorificabant verbum Dei.* Sic ergo ablatum est a Iudæis regnum Dei, et datum genti facienti fructus eius.

Ad hoc igitur Christus apostolos, eorumque in Ecclesia successores usque ad consummationem seculi constituit, ac participes reddidit potestatis sibi datæ in cælo et in terra, eodem in ultimo

sermone ( Marc. ult. 15. ) præmium aut pœnam obedientiæ vel inobedientiæ constituens, dum dicit: *Euntes in mundum universum prædicate evangelium omni creaturæ. Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur.* Id, quod ipsum Luc. ult. 47. est, *prædicari in nomine eius pœnitentiam in remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus ab Hierosolyma.* Et Ioan. 20, 21. *Dixit ergo eis iterum: Pax vobis! sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Hæc cum dixisset, insufflavit, et dixit eis: accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccàta, remittuntur eis, et quorum retinueritis, retenta sunt.*

Hæc est eximia illa, quacunque potestatum huius seculi superior, potestas retinendi aut remittendi peccata quæcunque; quam potestatem primum Christus Matth. 16. singulariter Petro dedit speciali quodam modo, uti eidem Io. 21, 15. testimonio amoris præcipui pascendas oves commisit; illic vero ad confessionem Divinitatis eum veluti Ecclesiæ fundamentum posuit, clavesque regni cœlorum specialiter tribuit: *Beatus es*, inquit, *Simon Bar-Iona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est. Et ego dico: quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum. Et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlis.* Matth. 16, 17. Universim apostolis Matth. 18, 18. dicitur: *Amen dico vobis, quæcunque alligave-*

ve-

*veritis ſuper terram, erunt ligata et in cælo, et quæcunque ſolveritis ſuper terram, erunt ſoluta et in cælo;* habenturque hæc immediate poſt ordinem correptionis fraternæ ſtabilitum, quo nil proficiente ad Eccleſiæ iudicium procedendum ſit. *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipſum ſolum; ſi te audierit, lucratus es fratrem tuum: ſi autem te non audierit: adhibe tecum adhuc unum ſolum vel duos, ut in ore duorum vel trium teſtium ſtet omne verbum.* Matth. 18, 15. Eſt hæc genuina iudicii eccleſiaſtici auctoritas, ſacrumque tribunal ac forum, a quo nulla dignitas aut poteſtas alia eximit quemcumque chriſtiano nomine cenſitum.

Nec ullum aliud tribunal in Evangelio a Chriſto pro ſuo in terris regno, Eccleſia, inſtitutum legitur, aut ab eccleſiaſtico hoc diverſum, aut cum hoc ſacro tribunali coniunctum, ſemper a chriſtianis, ſummis etiam poteſtatibus reveritum, ab apoſtolis vero non obſtante monarchia Romana, refragante etiam Synagoga, inſtauratum ſtrenue et potenter. Atque ad hoc quoque a Chriſto animos apoſtolis adiectos dici poteſt his verbis: *Nolite timere puſillus grex, quia complacuit Patri veſtro, dare vobis regnum.* Fruſtra *fremuerunt gentes, et populi meditati ſunt inania. Adſtiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum adverſus Dominum, et adverſus Chriſtum eius.* Hæc ad hoſtes chriſtiani nominis, regnique Chriſti in terris extorres ethnicos pertinent; quæ ſequuntur, ad refractarios in ipſo Eccleſiæ gremio quoscunque, ac dicentes: *Dirumpamus vincula eorum,*

*rum, et proiiciamus a nobis iugum ipsorum. Qui habitat in cœlis, irridebit eos, et Dominus subsannabit eos. Tunc loquetur ad eos in ira, et in furore suo conturbabit eos.* Eiusdem argumenti est Ps. 109. quo Christus Iudæis Divinitatem suam demonstravit.

Primus pro christiana lege testis S. Stephanus, quem accusabant Iudæi, loqui verba *adversus locum sanctum* (urbem nimirum et templum Hierosolymitanum destruendum) *et legem*, Act. 7. vidit Iesum stantem a dextris Dei, qui scilicet Deus ac Dominus dixit Domino nostro Iesu Christo: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum. Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum*, quos nempe regnaturos prædixit Ioannes Apoc. 20. *Et erunt sacerdotes Dei et Agni, et regnabunt cum eo mille annis;* quousque videlicet Christus, cum Ecclesia sua se usque ad consummationem seculi futurum, promisit. *Iuravit Dominus, et non pœnitebit eum, tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.*

Sacerdotium hoc Christi secundum ordinem Melchisedech antequam in epistola ad Hebræos pluribus inciperet edisserere Paulus, ait: *de quo nobis grandis sermo, et ininterpretabilis ad dicendum: quoniam imbecilles facti estis ad audiendum;* cap. 5, 11. quippe qui de Messia suo nisi terrena non sapiebant, eum sibi fingentes domitorem orbis, destructis cæteris regnis ac monarchiis illis, qua-

quarum de interitu ac ruina per Messiam tam aperta habetur apud Danielem prophetia. Hic etenim est *lapis* ille *abscissus de monte sine manibus*: qui *percussit statuam in pedibus eius ferreis et fictilibus, et comminuit eos... Lapis autem, qui percusserat statuam, factus est mons magnus, et implevit universam terram.* Dan. 11, 34. Id quod nos in Ecclesia catholica diffusa per totum orbem tam manifeste impletum coram cernimus, regno Christi in hoc mundo, sed non de hoc mundo, quale præstolabantur Iudæi monarchiam nimirum quintam, quam mirum est potuisse etiam somniasse aliquando christianos principes; dum quatuor tantum nobis sistit Daniel monarchias, easque sub imagine primum statuæ deinde sub imagine quatuor bestiarum: a) *donec venit antiquus dierum et iudicium dedit sanctis Excelsi et tempus advenit, et regnum obtinuerunt sancti*, ut iam supra Danielem exposuimus de theocratia illa Ecclesiæ militantis regni Christi in terris *cuius regnum*, iuxta Danielem, *regnum sempiternum est, et omnes reges servient ei et obedient.* Quæ vero sinistre omnia de Messia suo interpretabantur Iudæi, ut sæpe diximus, et modo apostolum audivimus arguentem Iudæos quod imbecilles essent facti ad audiendum, penes quos tamen erant prophetiæ illæ de regno Christi, sed in transversum acceptæ; b) *Etenim cum deberetis magistri esse propter tempus, rursum indigetis, ut vos doceamini, quæ sint elementa exordii sermonum Dei.* Agit de sacerdotio Christi secundum ordinem Melchisedech, quod deinde capite VII. explicat, non semel ad psal-

a) Dan. VII. 22. v. 27. b) Hebr. V. 12.

psalmum CIX. provocans, quo Christus sacerdos in æternum dicitur, secundum ordinem Melchisedech. Terribilis cæterum totus est psalmus iste contra Iudæos et quosquos alios Ecclesiæ militantis regni Christi in terris hostes regale Sacerdotium, quod psalmista, postquam sacerdotium Christi æternum iuxta ordinem Melchisedech asseruisset, animans, *Dominus*, inquit, *a dextris tuis confregit in die iræ suæ reges. Iudicavit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum.* Quod iam in exordio paucis dictum erat dum Christus ad dextram suam sedere a Patre iubetur: *Donec ponam, inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, quod hodie vagantes per orbem Iudæi experiuntur, urbe excisa ac gente dispersa: dum interim, virgam virtutis suæ emisit Dominus ex Sion, unde, Ierosolymis nimirum, progressi apostoli Ecclesiam militantem regnum Christi in terris constituerunt, ut dominaretur in medio inimicorum suorum gentilium Ecclesiam persequentium: quorum, ut postea in Roma debellatrice sanctorum videbimus, *confregit in die iræ suæ reges*: constanterque Ecclesia militans regnum Christi in terris *iudicabit in nationibus, implebit ruinas* anteriorum persecutorum, *conquassabit capita de terra multorum* quorumcunque quocunque tempore adversantium prout Ecclesia promissionis divinæ secura Deum contra persecutores rogat: *Hostium nostrorum, quæsumus Domine elide superbiam, et eorum contumaciam dexteræ tuæ virtute prosterne*, per Dominum nostrum Iesum Christum &c. Pia ma-

ter

ter Ecclesia non nisi vitiorum monstra superbiam orat elidi, et contumaciam prosterni in salutem exemplo in D. Paulo tam conspicuo.

---

## Caput XVIII.

### *Status ac Regimen Ecclesiæ primitivæ secundum Acta Apostolorum.*

Psalmum hunc CIX. ut iam meminimus, ipse Christus de se Matth. XXII. 40. citat, et S. Petrus cum primum post acceptum spiritum S. Iudæis evangelium prædicaret, Christi resurrectionem etiam ex psal. XV. 10. verbis: *Quoniam non derelinques aniam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*, antithesin illustrans, quæ hic est inter David, qui mortuus et sepultus corruptioni datus est, et Christum ex eius semine natum, demonstratque inde, hunc esse Dominum et Christum seu Messiam a Deo promissum: *Viri fratres liceat audenter dicere ad vos de patriarcha David, quoniam defunctus est, et sepultus: et sepulcrum eius est apud nos usque in hodiernum diem. Propheta igitur cum esset, et sciret, quia iureiurando iurasset illi Deus de fructu lumbi eius sedere super sedem eius providens locutus est de resurrectione Christi, quia neque derelictus est in inferno, neque caro eius vidit corruptionem. Hunc Iesum resuscitavit Deus, cuius nos testes sumus. Dextera igitur Dei exaltatus, et promissione spiritus sancti accepta a Patre, effudit hunc, quem vos videtis, et auditis.*

*Non*

*Non enim David ascendit in cœlum; dixit autem ipse: dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Certissime ergo sciat omnis domus Israel, quia et Dominum eum Christum fecit Deus, hunc Iesum, quem vos crucifixistis.* Eodem argumento usus est Paulus Act. XIII. de David, cuius *Deus ex semine secundum promissionem eduxit Israel salvatorem Iesum* &c. Et infra: *Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad Patres nostros repromissio facta est. Quoniam hanc Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans Iesum, sicut et in psalmo secundo scriptum est: Filius meus es tu, ego hodie genui te, quod autem suscitavit eum a mortuis iam non moritur amplius, iam non reversurum in corruptionem.* Psalmo secundo, cuius testimonium hic adhibet D. Paulus, usi leguntur Act. IV. 24 apostoli in oratione ad Deum: *Domine tu es, qui fecisti cœlum et terram, mare et omnia, quæ in eis sunt. Qui spiritu sancto per os patris nostri David pueri tui dixisti: Quare fremuerunt gentes, et populi meditati sunt inania? Astiterunt reges terræ, et principes convenerunt in unum, adversus Dominum, et adversus Christum eius. Convenerunt enim vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Iesum, quem unxisti, Herodes, et Pontius Pilatus, cum gentibus et populis Israel, facere, quæ manus tua et consilium tuum decreverunt fieri. Et nunc Domine respice in minas eorum, et da servis tuis, cum omni fiducia loqui verbum tuum* &c. Hæc precati apostoli postquam in eos sacerdotes et magistratus templi et Sadu-

cæi

cæi iniecissent manus, prohiberentque, a) *ne loquerentur, neque docerent in nomine Iesu. Petrus vero et Ioannes respondentes, dixerunt ad eos: si iustum est in conspectu Dei vos potius audire, quam Deum, iudicate.* Iustitiam responsi huius Deus non multo post miraculo voluit declarare: b) dum iterum, et quidem ipsemet „ exurgens princeps „ sacerdotum, et omnes, qui cum illo erant, „ *penes quos ius erat sacrorum, repleti Zelo* iniecerunt manus in apostolos, et posuerunt eos „ in custodia publica. Angelus autem Domini per „ noctem aperiens ianuas carceris, et educens eos „ dixit: Ite: et stantes loquimini in templo plebi „ omnia verba vitæ huius. Qui cum audissent, „ intraverunt diluculo in templum, et docebant. „ *Audito hoc* abiit magistratus cum ministris, et „ adduxit illos sine vi..... Et interrogavit eos „ princeps Sacerdotum dicens: Præcipiendo præcepimus vobis, ne doceretis in nomine isto: „ et ecce replestis Ierusalem doctrina vestra, et „ vultis inducere super nos sanguinem hominis „ istius. Respondens autem Petrus, et Apostoli „ dixerunt: obedire oportet Deo magis quam „ hominibus. Deus patrum nostrorum suscitavit „ Iesum, quem vos interemistis, suspendentes in „ ligno. Hunc Principem et Salvatorem Deus „ exaltavit dextera sua, ad dandam pœnitentiam „ Israeli, et remissionem peccatorum. „ Principem hic Petrus Iudæis Christum sistit et Salvatorem, non qualem illi sibi fingebant Messiam, qui regnum Israel restitueret, aut Salvatorem, qui gentem a iugo Romano vindicaret; sed qualem mo-



a) Act. IV. 17. b) Act. V.

modo Christum regem, Christique regnum ex evangelio intelleximus, ipseque Christus nobis denunciavit Marci I. 15. *prædicans Evangelium Dei, et dicens: Quoniam impletum est tempus, pœnitemini, et credite Evangelio.* Quod dum obcæcati Iudæi ab apostolis perinde ac a Christo suscipere detrectant; campus aperitur primitivæ Ecclesiæ militanti, ut a regno Christi constituendo in terris quemquam cohiberi non posse ab ulla potestate aut vi adversa, pateret luculenter. „ Et convocan„ tes Apostolos, cæsis denunciarunt, ne omnino lo„ querentur in nomine Iesu. Et dimiserunt eos. „ Et illi quidem ibant gaudentes a conspectu con„ cilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine „ contumeliam pati. Omni autem die non ces„ sabant in templo, et circa domos docentes, „ et evangelizantes Iesum. „ Vides quomodo omnia ordinatim procedant.

Habent, quibus Evangelium commissum est, exemplum apostolorum, eorum successores imprimis, quid sibi agendum sit; contra vim omnem ac potestatem, spretis minis, et quibusvis periculis. *a)* Cum primum *sacerdotes, et magistratus templi* iniicientes in Apostolos manus, prohiberent, *ne omnino loquerentur, aut docerent in nomine Iesu, comminantes.... dimissi venerunt ad suos: et annuntiaverunt eis, quanta ad eos principes sacerdotum et seniores dixissent. Qui cum audissent, unanimiter levaverunt vocem ad Deum, et dixerunt: Domine tu es, qui fecisti cœlum et terram, mare et omnia, quæ in eis sunt: Qui spi-*

*a)* Act. IV.

*spiritu sancto, per os patris nostri David pueri tui, dixisti:* Quare fremuerunt gentes &c. *Convenerunt enim vere in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Iesum, quem unxisti, Herodes, et Pontius Pilatus cum gentibus et populis Israel.* Surdæ tunc omnium aures erant ad ea, quæ in eodem psalmo sequuntur: *Et nunc reges intelligite; erudimini, qui iudicatis terram. Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via iusta, cum exarserit in brevi ira eius.* Non cessarunt apostoli post resurrectionem Christi arguere, obsecrare, increpare Iudæos, ad quos facta est promissio de Christo nascituro ex sua gente, prout ab angelo virgini matri futurum denunciatur: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris eius.* Quod illi de terreno et marcescibili regno per generationem unius et corruptionem alterius intellexerunt in solio David, qui mortuus est: apostolis vero ex ipso eorum propheta et rege David psalmista denunciantibus, Christum non derelinquendum in inferno, nec visurum corruptionem, non crediderunt, Petro et Paulo ad psalmum illum XV. provocantibus ut audivimus, Petrum Act. II. 31. et Paulum Act: XIII. qui, Ideoque, subdit, et alias di-
„ cit. *Non dabis sanctum tuum videre corruptio-*
„ *nem.* David enim in sua generatione cum ad-
„ ministrasset voluntati Dei dormivit, et apposi-
„ tus est ad patres suos, et vidit corruptionem.
„ Quem vero Deus suscitavit, non vidit corru-
„ ptionem. Notum igitur vobis sit viri fratres,

„ quia per hunc vobis remissio peccatorum an-
„ nuntiatur, et ab omnibus, quibus non potui-
„ stis in lege iustificari. „ At Iudæi Christum se-
cum in vivis degentem in humili et abiecta familia despexerunt. Quid vero Maria mater Iesu, cui ab angelo facta est annunciatio? *Magnificat*, læta canit, *anima mea Dominum, et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo: quia respexit humilitatem ancillæ suæ etc.. Fecit potentiam in brachio suo, dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles. Esurientes implevit bonis, et divites dimisit inanes.* Accidit hoc quibus Christi crucifixi humilitas factus est lapis offensionis et petra scandali: prout dicit apostolus I. Cor. I. 23. *Nos autem prædicamus Christum crucifixum Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam*: at in suam perniciem et interitum. Quod quidem post annos 40. experti sunt Iudæi diruta a Romanis urbe, genteque dispersa; post quadringentos vero annos Roma *debellatrix*, ut Tertullianus vocat, *sanctorum* toties a barbaris nationibus vastata, imperiumque Romanum concisum in partes; dum interim Ecclesia Christi, superior his omnibus, eiusque regnum in terra per orbem, qua late patet, dilatatum crescit ab Hierosolyminis tunc incipiens, et usque ad consummationem seculi mille illos indefinitos annos complens, quos Christum cum sanctis regnaturum Ioannes Apoc. XX. est vaticinatus.

Erat tunc in ortu suo ac velut nascens in infantia prima regni Christi epocha; nihilominus regalis Sacerdotii sui prærogativas ostentabat in sta-

ſtatu ſuo preſſo. Quale quidem ipſi novi Chiliaſtæ regnum Eccleſiæ futurum in regno ſuo millenario non diffitentur. Iurius notanter ſimilem illi, quæ nunc in Eccleſia Romana conſpicua eſt, futuram ſtatuit Hierarchiam in regno Chriſti millenario; nos vero eamdem iam in primitiva Eccleſia ab apoſtolis (quos nemo dixerit, in aliena involaſſe iura, ac illegitime uſurpaſſe) exercitam fuiſſe legimus in Actis Apoſtolorum, cum primum poſt aſcenſionem Domini accepto ſpiritu ſancto prodirent, a) *ſtans autem Petrus cum undecim* levaret vocem, Chriſtum Meſſiam denuntiaturus tanta quidem virtute, ut, Iudæis compunctis, tria millia ad fidem converterentur: *Erant autem perſeverantes in doctrina apoſtolorum, et communicatione fractionis panis, et orationibus.* Et poſtea: *erant unanimiter omnes in porticu Salomonis. Cæterorum autem nemo audebat ſe coniungere illis.*

Nec ſolum habitu hoc cultuque religionis peculiarem iam veluti ſtatum religioſum efformabant, verum etiam in re familiari ac ſtatu temporali, quippe qui habebant omnia communia. *Poſſeſſiones et ſubſtantias vendebant, et dividebant illa omnibus, prout cuique opus erat.* Iam audivimus, b) quid Petrus reſponderit ſacerdotibus et magiſtratui templi, quæ poteſtas adhuc penes Iudæos erat, comminantibus: *ſi iuſtum eſt in conſpectu Dei, vos potius audire, quam Deum, iudicate.* Atque illi nec quidquam remittebant, aut quoad ſtatum ſuum non ſolum religioſum, ſed etiam temporalem mutabant. *Multitudinis autem credentium*

 *erat*

a) Act. II. 14. &c. 42. 45. b) Act. III. 19. 32.

*erat cor unum et anima una. Nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Nihil vero infestissimi licet iudaici magistratus, ac præses Romanus statui huic tam singulari opponebant, *a*) dum *quotquot erant possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum quæ vendebant, et ponebant ante pedes apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat.* Quod absolutius dominium cogitari potest? Quæ amplior auctoritas, maiorque potestas, quam quæ a D. Petro apostolorum principe exercita est erga Ananiam eiusque uxorem Saphiram, partem pretii ex agro divendito defraudantes, morte subitanea punitos, uti etiam Act. XIII. 8. &c. Elymas magus cæcitate usque ad tempus, Paulo et Barnabæ resistens, percussus est, pœna utique temporali, vindicativæ potestatis effectu. Crescente autem indies credentium numero, pro ministerio rei familiaris septem eliguntur Diaconi. Fideles autem dum disperguntur postea, *b*) facta persecutione magna in Ecclesia, per Samariam etiam divulgatur evangelium, unde oriundus erat Simon magus graviter correptus a Petro, qui ubique primas agit iam ante acceptum Spiritum sanctum Act. I. 16. perorans ad primum fidelium cœtum de sufficiendo in locum proditoris Iudæ Matthia apostolo, *accipere locum ministerii huius et apostolatus.*

Quod vero deinceps in munere apostolatus caput rei erat, uni Petro fit denuntiatio, per visum admonito, gentes ad evangelium admittendas esse,

*a*) Act. IV. 34. *b*) Act. VIII.

ſe, *a*) quarum primitiæ Cornelius centurio cum domo ſua fuit, diſceptantibus quidem adverſus illum, qui erant ex circumciſione. Dum vero poſtea ab Herode carceri mancipatur Petrus, *oratio fiebat ſine intermiſſione ad Deum pro eo.* Cumque iam producturus eſſet eum Herodes, nocte liberatur ab angelo. Effervescente autem contentione inter converſos etiam ad fidem gentiles et Iudæos, ortaque ea de cauſa ſeditione, *b*) Antiochiæ Paulus et Barnabas, rem ut Hieroſolymam ad Apoſtolorum tribunal referrent, mittuntur. Factaque magna conquiſitione ſurgens Petrus frequenti in concilio ſententiam pronuntiat, quam, ſilentium tenente omni multitudine et audiente Barnabam et Paulum, reſumens Iacobus apoſtolus, poſtquam ex S. Script. confirmaſſet, plena auctoritatis, cui nulla alia accedere, nec auguſtior eſſe poteſt, fit deciſio, mittiturque Antiochiam in hæc verba: *Viſum eſt Spiritui ſancto et nobis* &c. Quod temerarium, ne quid gravius dicam, videri poterat, ut ſuam cum divina coniungerent ſententiam, auctoritatemque, niſi hanc tam expreſſis verbis a Chriſto accepiſſent, ut paulo ante ex ore omnium evangeliſtarum audivimus. Additur porro l. c. *tunc* placuiſſe *apoſtolis et ſenioribus cum omni Eccleſia, eligere viros ex eis, et mittere Antiochiam cum Paulo et Barnaba, Iudam, qui cognominabatur Barſabas, et Silam, primos ex fratribus, ſcribentes per manus ipſorum, quod decretum ab ipſis fuerat* (data de legalibus nominatim lege) *nihil ultra imponere, niſi hæc neceſſa-*



*a*) Act. X. XI. 2. *b*) Act. XV.

*ria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, et sanguine, ac suffocato, et fornicatione.* Paulus etiam paulo post l. c. perambulasse narratur Syriam et Ciliciam, *confirmans ecclesias, praecipiens custodire praecepta Apostolorum et Seniorum.* Plena vigoris apostolicaeque auctoritatis est eiusdem gentium Apostoli oratio ad maiores natu ecclesiae, quos Ephesum evocavit: *Attendite*, inter alia ait, a) *vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.*

Vides hic a spiritu sancto positos episcopos regere Ecclesiam Dei, quam Christus filius Dei Θεάνθρωπος acquisivit sanguine suo, perfectam in Patre, Filio, et Spiritu sancto theocratiam cum qua nulla anthropocratia in comparationem venire possit, quae, dum quacunque summa potestate decernit, dicere queat: *visum est Spiritui sancto et nobis.* Cuius quidem umbra tantum fuit veteris Testamenti theocratia in sede David, et domo Iacob, quam per successionem tunc tantum tenuerunt donec ablatum esset sceptrum de Iuda, veniretque, qui mittendus erat Christus Domini regnaturus *in domo Iacob in aeternum, et regni eius non erit finis:* qui se regem cum iudicaretur, ut audivimus, in statu exinanitionis palam professus est usque ad mortem, mortem autem crucis, in qua titulus inscriptus erat: Iesus Nazarenus Rex Iudaeorum; ad invidiam quidem et propriam condemnationem eorum, qui, dum eum regem sibi promissum agnoscere detrectant, eius

a) Act. XX. 28.

eius regni consortio exciderunt ultro professi: *a) Nos regem non habemus nisi Cæsarem*: urgentesque Pilatum ac clamantes: *si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris. Omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari.* Quam cavillationem facere haud destiterunt Iudæi, dum eis postea ab apostolis Evangelium prædicaretur, Paulum imprimis et eius socium Silam in iudicium vocatos criminantes Act. XVII. 7. *Et hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse Iesum.* Neç cessarunt calumniari etiam post dirutam civitatem, et dispersam gentem; dum ad ultimum usque apicem impleta est prophetia Dan. IX. 26. *Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo; et finis eius vastitas: et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit aut pactum multis hebdomada una, et in dimidio hebdomadæ deficiet hostia et sacrificium: et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio*, ut coram cernimus.

---

## Caput XIX.

### *Hierarchia Ecclesiæ Christi iuxta doctrinam et sanctiones apostolicas.*

Antiquato itaque, ut modo ex Daniele intelleximus, veteri sacerdotio cum regno successit novum, quod D. Paulus explicat in epistola ad Hebræos *b)* iuxta Ps. CIX. 4. secundum ordinem

H 5 Mel-

a) Io. XIX. *b)* Capp. V. VI. et VII.

Melchisedech, qui rex simul ac sacerdos erat: *Ubi*, sunt verba D. Pauli Cap. VI. 20. &c. *præcursor pro nobis introivit Iesus secundum ordinem Melchisedech pontifex factus in æternum. Hic enim Melchisedech rex Salem sacerdos Dei summi* &c. Idem cap. X. 13. *In sempiternum*, ait de Christo loquens, *sedet in dextra Dei*, *de cætero exspectans donec ponantur inimici eius scabellum pedum eius.* Est hoc argumentum Psalmi CIX. a Christo in evangelio et Psalmi. II. in Actis apostolorum memorati, ut iam vidimus, mox etiam videbimus in Apocalypsi S. Ioannis, quæ est prophetia de Ecclesia militante ac cum hostibus confligente atque triumphante per Christum, ut D. Paulus I. Cor. XV. 25. *Oportet autem*, inquit, *illum regnare donec ponat omnes inimicos sub pedibus eius. Novissima autem inimica destruetur mors: omnia enim subiecit sub pedibus eius.* Unde manifestum omnino fit, esse regnum hoc Christi in terris usque ad consumationem seculi (quando in resurrectione corporum mors destruetur) militantem nimirum Ecclesiam regnum Christi in terris, prout idem apostolus Colost. I. 18. iterum de Christo *Et ipse est*, inquit, *caput corporis Ecclesiæ*, *qui est principium*, *primogenitus ex mortuis*: *ut sit in omnibus ipse primatum tenens.* Primogenitum ex mortuis ait, quem nos alii sequamur demum in consumatione sæculi, militantisque Ecclesiæ regni Christi in terris. Id quod explicatius habetur Apoc. I. 5. de Christo: *Qui est testis fidelis primogenitus mortuorum*, *et princeps regum terræ*: *qui dilexit nos*, *et lavit nos a peccatis no-*

strris

*stris in sanguine suo, et fecit nos regnum, et Sacerdotes Deo et Patri suo.* Veluti mox Ecclesiam militantem militias suas hostibus suis semper superius regnum Christi in terris sistemus.

Sic nos D. Petrus epistola I. cap. II. vocat: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis*, qui huius sacerdotii Christi sumus participes et regni, quod iam explicavimus, quomodo sit in hoc mundo, non de hoc mundo, ne inter se potestas sacra et politica huius mundi utraque in suo genere summa, committi videatur: unde idem apostolorum princeps mox v. 13. &c. „ Subiecti igitur „ estote omni humanæ creaturæ propter Deum: „ sive regi, quasi præcellenti, sive ducibus tan„ quam ab eo missis ad vindictam malefactorum, „ laudem autem bonorum. Quia sic est volun„ tas Dei, ut benefacientes obmutescere faciatis „ imprudentium hominum ignorantiam: quasi li„ beri et non quasi velamen habentes malitiæ li„ bertatem, sed sicut servi Dei; omnes honora„ te: fraternitatem diligite: Deum timete: regem „ honorificate: servi subditi estote in omni timo„ re dominis, non tantum bonis et modestis, „ sed etiam discolis. Hæc est enim gratia, si propter „ conscientiam sustinet quis tristitias, patiens in„ iuste. „ D. Paulus dum in epistola ad Rom. 1. XIII. 1. universim pronuntiat: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo. Quæ autem sunt, a Deo ordinatæ sunt.* Ubi tamen potestates huius seculi verba Christi ad Pilatum semper præ oculis habere de-

debent dicentis: *Non haberes potestatem in me, nisi tibi data esset desuper.* Quis vero non exhorrescat potestatem a Pilato in damnatione Christi exercitam? Quod quidem nisi Deo permittente facere non potuisset, ut quivis alius peccator; sed hi, qui potestate pollent, longe maioribus periculis peccandi expositi sunt, si, uti non habent hominem, quem revereantur, ita Deum non timent *a)* a quo quæ sunt, ordinatæ sunt potestates, iuxta apostolum. Quem locum sic verti posse Calmetus existimat: *quæ sunt* veræ potestates, ut a latronum piratarumque potestatibus distinguantur, a Deo sunt τεταγμεναι constitutæ, atque adeo subordinatæ illi, quam apostolus tunc cum cæteris Evangelii præconibus exerebat summam in constituenda per orbem Ecclesia, non solum independenter a sublimioribus quibusvis sæculi potestatibus, verum etiam adversantibus atque infensissimis christiani nominis hostibus, et persecutoribus. Oportebat enim Deo magis obediri quam hominibus secundum datam apostolis a Christo potestatem, acceptam, ut iam audivimus, immediate a Deo: *Data est mihi omnis potestas. Sicut me misit Pater; ita ego mitto vos.* Ita accipiendum est, quod idem declarat Corinthiis: *b) Sic nos existimet homo, ut ministros Christi*, eos corripiens, qui sese de suis extollebant ministris, *c)* quos venturus ipse in ordinem erat redacturus (quos tamen postea laudat, quod præcepta sua teneant) *d) veniam autem ad vos, si Dominus voluerit. Et cognoscam non sermonem eorum, sed vir-*

*a)* Luc. XVIII. 2. *b)* I. Cor. IV. 1. *c)* I. Cor. XI. 2. *d)* I. Cor. IV. 19.

*virtutem* δύναμιν. *Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute. Quid vultis; In virga veniam ad vos, an in charitate et mansuetudine?* Experimentum mox dedit apostolus δύναμις seu potestatis suæ in censura incestuosi, quem absens quidem corpore, *a*) præsens autem spiritu iam iudicavit, *tradere huiusmodi sathanæ in interitum carnis.* Mox iterum eos cap. VI. 1. arguit, quod iudicio coram iudice ethnico (nihil moratus, si forte in eorum manus inciderent scriptæ literæ) contenderent: „ Audet aliquis vestrum negotium adversus alterum iudicari apud iniquos, „ et non apud sanctos? an nescitis, quoniam „ sancti de hoc mundo iudicabunt? Et si in vobis „ iudicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis? Nescitis, quoniam angelos iudicabimus? Quanto magis sæcularia? sæcularia „ igitur iudicia si habueritis, contemptibiles, qui „ sunt in Ecclesia, illos constituite ad iudicandum. „ Epist. II. ad Cor. cap. II. dum, ut in gratiam recipiant fornicarium, præcipit, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur, ita se egisse scribit, *b*) *ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus obedientes sitis.* Erant Corinthi pseudoapostoli, qui ei detrahentes fructus prædicationis impediebant, quos incessens, quæve sit apostolica potestas aperiens „ Nam, *ait*, arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad „ destructionem munitionum, consilia destruentes „ et omnem altitudinem extollentem se adversus „ scientiam Dei in obsequium Christi. Et in prom-

„ tu

*a*) I. Cor. V. 3. *b*) II. Cor. II. 9. X. 4.

„ tu habentes ulcisci omnem inobedientiam; cum „ impleta fuerit vestra obedientia &c. „

Qualem autem hic, eundem sese deinceps exhibet, atque etiam aliis in epistolis *a)* ad ecclesias, quas similiter ad obedientiam obstringit, nec solum præceptis instruit, sed etiam factis, et exemplo sui vigoris apostolici erga ipsum quoque apostolorum principem et alios argumenta præbet. Quos vero præfecit ecclesiis Timotheum et Titum, ea auctoritate instruit, prout Hebræis præcipit: *b) Obedite præpositis vestris, et subiacete eis. Ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris redditurі, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes: hoc enim non expedit vobis.* De quibus autem præpositis sermo sit, iam prius v. 7. monuerat: *mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei.* Tales erant Timotheus et Titus, ad quos etiam scripsit epistolas.

Primo statim epistolæ primæ ad Timotheum capite in memoriam revocat, quid coram eo egerit Ephesi de quibusdam, ne aliter docerent; erantque pseudoapostoli tunc maxime timendi, *Ex quibus*, ait, *c) est, Hymenæus et Alexander, quos tradidi satanæ, ut discant non blasphemare.* Deinceps descripto ordine cultus publici declarat, quales episcopi, aliique tam ex ordine clericorum, quam laicorum esse debeant, ac iudicari. Demum *adversus presbyterum*, præcipit, *d) accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* *Pec-*

*a)* I. Thess. III. 2. II. Thess. III. 4. *b)* Hebr. XIII. 17. *c)* I. Tim. I. 20. *d)* I. Tim. V. 20.

*Peccantes coram omnibus argue: ut cæteri timorem habeant.* Et cum II. Tim. initio statim, qualis esse debeat apostolus, docuisset, cap. III. dicit omnem scripturam divinitus inspiratam utilem esse *ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in omni iustitia*; mox: *Prædica verbum*, pergit, *insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.* Titum vero instruens, postquam initio statim epistolæ dixisset, huius rei gratia reliquisse se eum Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigat, variaque dedisset pro conditione personarum præcepta, et adhuc daturus esset: *a) Hæc*, inquit, *loquere et exhortare, et argue cum omni imperio.*

Seniores S. Petrus ipse consenior obsecrat; *b) Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum; neque turpis lucri gratia, sed voluntarie: neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo. Et cum apparuerit princeps pastorum, percipietis immarcescibilem coronam gloriæ.* Posterioribus his verbis satis obviatur, et diluitur, quod hic ex voce pascere ποιμαίνειν contra legitimam apostolicam potestatem dici queat. Quam tamen vocem iam supra notavimus in textu Græco Psalmi II. congruitque etiam textus hebraicus, ubi nos canimus: *reges eos in virga ferrea*, passimque in veteri Testamento apud prophetas Isaiam, Ieremiam, et Ezechielem eo sensu accipitur, qui omnia ea complectitur, quæ ad perfectum regimen pertinent sub principatu pastorum, de quo Iac. IV. 12.

*a)* Tit. II. 15. *b)* Pet. V.

12. dicitur: *unus est legislator, et iudex, qui potest perdere, et liberare.* Quod cum verissimum sit, re probe spectata, tantum abest, ut officiat, ut contra constabiliat eorum auctoritatem, de quibus dicit Christus: *qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit; et qui me spernit, spernit eum, qui misit me*: convenienter omnino Christi sententiæ iam supra allatæ: *sicut me misit Pater, et ego mitto vos.*

Quam quidem missionem, et ut ita dicam, exclusivam potestatem quomodo apostoli acceperint, a nobis iam supra est explicatum, ostenditque ipse Christus clarissimis verbis illis: *Ecce vobiscum sum usque ad consummationem seculi:* unde palam elucescit, qua ratione superædificati simus super fundamentum apostolorum, ac constitutam per orbem Ecclesiam: nec dubitandum de mediis ad obtinendum finem in regimine Ecclesiæ Dei, quæ tribus primis seculis non tantum sibi relicta substitit, sed et contra dira ac inania quarumvis potestatum adversarum huius seculi molimina, undique per orbem dilatata effloruit, semperque secundum promissionem acceptam virtute ex alto accepta suapte subsistet, qualescunque etiam forent mundi potestates, ut novissimis temporibus desperatas res fore, prænunciatum est.

Primus autem fuit superiore sæculo Hobbesius, qui ipsis etiam apostolis auctoritatem legislatoriam negavit teste Laur. Moshemio, *a)* qui adversam in hac re Theologorum et Iurisconsultorum Protestantium opinionem recenset, ipse in histor. eccl. sec.

a) Allgemeines Kirchenr. der Protest. p. 41. et 221.

sec. I. *b)* veniam veluti praefatus, affirmativae accedens sententiae: „ Potestatem, *inquit*, leges ferendi, quod apostolis adscripsimus, id considerate, iustisque de caussis fecimus. Scio magnos hodie viros hoc illis ius abrogare, sed forte solis verbis dissident. „ Quo de quidquid sit, res ipsa quotidie magis loquitur; nec de Iurisconsultis tantum Protestantibus iam res est, de qua piae equidem abhorrent catholicae aures, stupentque, eousque progredi Christianos potuisse.

---

## Caput XX.

### *Apocalypsis S. Ioannis de Ecclesia militante regno Christi in terris.*

Haud censuimus, D. Ioannis epistolas ad Asiae ecclesias, quae leguntur Apoc. II. et III. referendas in censum aliarum Apostolicarum epistolarum earum, quae quidem etiam Deo inspirante sunt editae, sed tamen ipsorum apostolorum nomine sunt exaratae; septem autem illae epistolae apocalypticae ipso Christo loquente ac ipso divino numine verba fundente verbisque divinae auctoritatem maiestatis conciliante sunt scriptae. Id quod ipsum iam ad dignitatem Ecclesiarum confert, et excellentiam eorum, qui praesunt ecclesiis, ostendit. Principio statim salutat S. Ioannes generatim septem ecclesias Apoc. I. 4. Dei nomine ac Iesu Christi: *Qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum et princeps regum terrae; qui dilexit nos,* *et*



a) P. II. c. II. v. 3.

*et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo. Et fecit nos regnum, et Sacerdotes Deo, et Patri suo.* Est hoc *Sacerdotium sanctum*, de quo a) D. Petrus in prima epist. Fideles compellans, *vos autem*, inquit, *genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: ut virtutes annuntietis eius, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen suum*, participes nimirum virtutis eius in regno illius, de quo Apoc. III. 21. *Qui vicerit, dabo ei sedere mecum in throno meo: sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno eius.* Hæc a Christo homine dicuntur, ut habetur Io. v. 27. *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Hanc cum apostolis communicans potestatem, *Data est mihi*, inquit, b) *omnis potestas in cœlo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Hæc Apocalypsis veluti argumentum sunt, quo animandi fuerant fideles ac eorum pastores imprimis, contra ea, quæ perferenda erant a seculi huius potestatibus, ut scirent, Christum testem fidelem evangelii auctorem, primogenitum mortuorum ex resurrectione sua a mortuis, principem regum terræ, qui nos iam sanguine suo redemerat: *et fecit nos regnum, et sacerdotes Deo et Patri suo. Ipsi gloria et imperium in secula, seculorum.* Amen.

In-

a) I. Pet. II. 5. 9.  b) Matth. XXVIII. 18.

Iubetur postea Ioannes, quæ viderat, scribere in libro, et mittere septem ecclesiis. Conversus vero, ut videret vocem, quæ loquebatur, vidit „ septem candelabra aurea: et in medio septem „ candelabrorum aureorum similem filio hominis „ vestitum podere &c. Et habebat in dextera sua „ stellas septem, et de ore eius gladius utraque „ parte acutus exibat. Et facies eius sicut sol lucet „ in virtute sua. „ Panditur apostolo mox sacramentum septem stellarum in dextera et septem candelabrorum aureorum: „ Septem stellæ angeli sunt „ septem ecclesiarum, et septem candelabra septem ecclesiæ. *Prima epistola scribitur Angelo Ephesi*: *a)* Hæc dicit, qui tenet septem stellas „ in dextera sua, qui ambulat in medio septem „ candelabrorum aureorum. Scio opera tua, et „ laborem, et patientiam tuam, et quia non potes sustinere malos: et tentasti eos, qui se dicunt apostolos esse, et non sunt: et invenisti „ eos mendaces: et patientiam habes, et sustinuisti propter nomen meum, et non defecisti. „ Quæ sunt munia Angelorum seu præsulum Ecclesiæ, a quibus laudatur S. Timotheus, quod strenue ea obierit. Et dum arguitur etiam, quod primam charitatem reliquerit, potest referri ad ecclesiam Ephesinam, mox vero additur: „ sed „ unum hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum, quæ et ego odi. *Econtra autem Angelo „ Pergami ecclesiæ scribitur*: Hæc dicit, qui habet romphæam utraque parte acutam. Scio, „ ubi habitas, ubi sedes est satanæ: et tenes nomen meum, et non negasti fidem meam. Et

 in

a) Apoc. II.

„ in diebus illis Antipas testis meus fidelis (*passus*
„ *sub Domitiano*) qui occisus est apud vos, ubi
„ satanas habitat. Sed habeo adversus te pauca:
„ quia habes illic tenentem doctrinam Balaam,
„ qui docebat Balac mittere scandalum coram fi-
„ liis Israel, edere et fornicari. Ita et habes tu
„ tenentes doctrinam Nicolaitarum. Innuitur hæresis Nicolaitarum a Nicolao uno ex septem primis Diaconis, qui aut solo exemplo uxorem, ad liberandum se Zelotypiæ suspicione, exponendo, aut doctrina sua vel discipulorum de communione mulierum ac idolothytis promiscue comedendis aberraverit: quod apertius infra v. 20. angelo Thiatyræ ecclesiæ exprobratur, quod permittat mulierem Iezabel, quæ se dicit propheten docere, et seducere, fornicari et manducare de idolothytis &c. *Tamen id*, additur, *quod habetis, tenete donec veniam. Et qui vicerit, et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes. Et reget eas in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringentur. Sicut et ego accepi a Patre meo: et dabo illi stellam matutinam.* Parallelus est hic locus a) Danielis illi de abscisso lapide de monte sine manibus, qui percussit statuam in pedibus ferreis, et fictilibus, et comminuit eos. Continentur porro hic veluti in compendio, quæ a nobis sunt exposita supra in psalmum II. et CIX. (ubi modo notata habetur phrasis, uti etiam Apoc. XII. 5. de Christo, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea. Add. Ap. XIX. 15.) de sumenda ab hostibus Ecclesiæ vindicta, atque Ecclesiæ constituendo regno; quæ est totius Apoca-

a) Dan. II. 34. &c. 44. &c.

calypsis clavis epistola hac, et sequentium epistolarum epilogo notata: *b) Qui vicerit, sic vestietur vestimentis albis* &c. Et; *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei, et foras non egredietur amplius, et scribam super eum nomen Dei mei, et nomen civitatis Dei mei novæ Ierusalem, quæ descendit de cœlo a Deo meo, et nomen meum novum.* Et demum: *Qui vicerit dabo ei sedere in throno meo: sicut et ego vici, et sedi cum Patre meo in throno eius. Qui habet aurem, audiat, quid spiritus dicat ecclesiis.*

Singulæ hæ vincentibus factæ promissiones ad Ecclesiam militantem revocantur, posterior etiam ad triumphantem de se pertinens: prout omnia deinceps in Apocalypsi a capite 4. sic prophetice explicantur, ut simul veluti historica narratione ob oculos ponantur nobis iam plura post septemdecim secula pervia a Ben. Bossueto postrema hac ætate solide explanata cumprimis et operose, et post eum nuper a Pastorinio catholico Angliæ presbytero: qui excitante ad hoc ipso Bossueto, et alios passim excitat, animumque addit ad reliqua cum tempore edisserenda, quæ adhuc involuta sunt prophetiæ peplo, dum paulatim sese, quæ adhuc restant, evolvunt tempora apocalyptica.

Ex Zwinglii sectatoribus Bullingerum secum Romani Imperii interitum in Apocalypsi statuentem Bossuetus sistit, nos Sebastianum Meyer Zwinglii discipulum ecclesiastem Bernensem, cuius commentarius in Apocalypsin veluti complementum annotationum Zwinglii in Evangelia et epi-



a) Apoc. III. 5.

ſtolas aliquot D. Pauli ed. Tigurinæ an. 1539. ſubiicitur. Qui in procemio de libri Apoc. dignitate et uſu recte primarium ſcopum Ioannis fuiſſe ſtatuit, ut Chriſti divinitatem, cum regnum tum ſacerdotium adverſus Iudæos et hæreticos vindicet. *Porro*, inquit, *regnum illius convincunt illud*; Princeps regum terræ: *præterea totus ille habitus, quo deſcribitur cap.* 1. *regem ac iudicem indicant. Item:* Feciſti nos Deo noſtro regnum et ſacerdotes, et regnabimus ſuper terram. *Cap.* 5. *Item:* Facta ſunt regna huius mundi Domini noſtri et Chriſti eius, et regnabit in ſecula ſeculorum amen. c. 11. „ Sic mulier „ amicta ſole ſub cuius pedibus luna, et in capi- „ te eius corona ſtellarum duodecim regnum „ Chriſti, quod eſt Eccleſia, commonſtrat c. 12. „ Item victoriam illius de adverſariis poteſtatibus „ et carmen victoriale totius regni c. 14. Sic et „ in aliis cap. conſequenter videre eſt. „ Sic Meyerus ubique regnum Chriſti in Apoc. perſpexit, conſpicuum; viſibile autem illud toto orbe terrarum in Eccleſia militante videre non potuit. Mox initio cap. IV. 1. in verbis illis, *et vox prima, quam audivi tanquam tubæ* agnoſcit iudiciariam Chriſti poteſtatem a Patre cœleſti collatam, qua ſuam Eccleſiam ab adverſaria poteſtate vindicat, magnificentiſſime deſcriptam. In illis vero: *et de throno procedebant fulgura*, apoſtolicam prædicationem fulguri et tonitruo comparatam, *quod per hanc annuntiatur terror iudiciorum Dei, quæ manent incredulos, quæ ſunt ineluctabilia.* Et quem vidit Ioannes Apoc. V. 6.

*Agnum*

*Agnum stantem habentem cornua septem*, eminentiam potestatis, qua universis dominatur, intelligit, et *oculos septem*, scientiæ plenitudinem. Ibi tantum, ubi nos legimus: *Et regnabimus super terram*, vetustiores se codices secutum dicit: *regnabunt*, quasi modestiæ causa personam mutent. In caput VI. eorum primum explicat sententiam, qui septem sigillis statum Ecclesiæ sub initium, apostolorum nimirum tempore, describi volunt: dum alii secundum sigillum intelligunt statum Ecclesiæ, quæ est regnum Christi tempore martyrum sub Cæsaribus Romanis a Stephano protomartyre usque ad Constantinum Magnum. Tertium autem sigillum ipsi Meyero verisimile est, esse de iis malis, quæ inflicta sunt cum Iudæis, tum gentibus salutarem Evangelii sermonem de pœnitentia contemnentibus et discipulos persequentibus, quod ostendit: posteaque eorum sententiam exponit, qui per quartum sigillum intelligunt quartum Ecclesiæ statum, postquam a Constantino pax Ecclesiæ facta, et sic deinceps.

Non desunt vero, ut mox videbimus, etiam ex recentioribus, qui in ipsis septem ecclesiis septem Ecclesiæ ad consummationem usque seculi status sibi repræsentant, quæ est e diametro opposita sententia illis, qui ad tempora apostolica totam Apocalypsin restringunt. Editores operum S. Augustini ex congregatione S. Mauri ad calcem T. III. P. II. expositonem in Apocal. afferunt ex veteribus potissimum interpretibus in formam homiliarum redactam. Quarum tamen primæ exordium in vetustissimo abbatiæ S. Petri

Carnutensis codice diversum repererunt. In hoc eorum etiam opinio notatur, qui potissimum novissima orbis in Apocalypsi adumbrari volunt. Sic vero habent verba: „ Ea, quæ in Apocalypsi Ioannis continentur, fratres charissimi, aliquibus ex antiquis Patribus hoc visum est, „ quod aut tota, aut certe maxima pars ex ipsa lectione iudicii diem, vel adventum Antichristi significare videatur. Illi autem, qui diligentius tractaverunt, quod ea, quæ in ipsa revelatione continentur, statim post passionem Domini salvatoris nostri fuerunt inchoata, et ita „ sunt usque ad diem iudicii consummanda, „ ut parva portio temporibus Antichristi remanere videatur.

Alia est sententia in procemio commentarii Aretæ Cæsareæ Cappad. episc. ad calcem T. II. ed. Paris. an. 1631. explicata, secundum quam Apocalypsis quadrifariam dividitur, ita, ut complectatur ab exordio ad sextum usque caput instructiones ecclesiarum Asiæ, intermiscens et prophetica de variis hæresibus; a sexto capite usque ad duodecimum Synagogæ abrogationem, a duodecimo usque ad decimum nonum excidium gentilismi sub typo potissimum Babylonis ac Romæ, quæ habebat septem colles, qui hic dicuntur esse cornua bestiæ super quam meretrix, sive idolatria, aut gentilismus sedet; hic enim præcipue vigebat gentilismus: a decimo nono usque in finem iuxta eundem agitur de regno Christi in præsenti Ecclesia, addita cap. 20. ultima de ipsius inimicis victoria. Alia recentiorum systemata Calmetus in præf.

Act.

Act. 2. explicat, ipse eos secutus, qui in tres partes dividentes Apocalypsim, ad secundam adhuc cap. 18. vel 19. revocant: ubi Christus glorioso admodum habitu descriptus, ut tamen de ore eius procedat gladius ex utraque parte acutus: „ ut in ipso percutiat gentes: et ipse re-
„ get eas in virga ferrea: et ipse calcat torcular
„ vini furoris iræ Dei omnipotentis. Et habet
„ in vestimento suo scriptum: Rex regum, et Do-
„ minus dominantium. „

Sunt hæc iuxta psalmos II. et CIX. a nobis iam explicatos, quorum primo Pater Filio gentes subiicit, quas reget, rebelles scilicet, virga ferrea; altero autem sedere iubetur a dextris, donec ponat inimicos scabellum pedum suorum.

Tractavimus de hac re supra, fata persecuti Babylonis ac meretricis apocalypticæ Romæ veteris iuxta mentem Ben. Bossuet ad ea revocantis Apocalypsin cum Calmeto, ut modo diximus: dum aliis in *Apocalypsi ordo temporum sternitur* iuxta phrasin Tertulliani: qua hoc innuit Apocalypsin prophetiam eorum, quæ a Christo usque ad consumationem seculi futura sint, in Ecclesia comprehendere. Quod systema ad finem seculi præteriti Chetardyus Parisiis ad S. Sulpitium parochus, nuperque Pastorinius catholicus in Anglia presbyter secuti, septem epochas statuerunt, quarum tertia illa est, in qua substitere Bossuetus et Calmetus: ut tamen in eo conveniant, quod victorias regni Christi in terris militantis Ecclesiæ de hostibus suis describi statuant; unde se solari in adversitatibus quibusvis ac persecutionibus, animumque erigere

debeat: quæ, ut nunquam defuerunt, deeruntque novissimis præsertim temporibus, ita etiam tuta fuit semper eritque ac certa de divina assistentia usque ad consummationem seculi, quousque se cum suis futurum esse Christus promisit. Atqui vero hoc solatium hancque securitatem præstat Apocalypsis, dum singulis tubis, quæ instantem adversitatem persecutionemque sonant, etiam singulas subiungit phialas iræ Dei in persecutores, et adversarios, atque adeo post certamen triumphum Ecclesiæ militantis regni Christi in terris, quod semper inconcussum stabit. Quod dum præ oculis habetur, cuivis fideli christiano utilis et proficua est Apocalypsis lectio, docto et indocto seu idiotæ, quin curiositatem suam exercere necesse sit in figendis epochis sigillorum, tubarum, ac phialarum, aut determinandis metaphoricis imaginibus, quibus militantis Ecclesiæ eiusque hostium designantur fata. Eiusdem omnino cum Apocalypsi psalmus secundus, et centesimus nonus sunt argumenti: quorum ille non semel adducitur in actis Apostolorum, hic ab ipso Christo apud Matthæum, tum in iisdem actis Apostolorum ac epistolis D. Pauli, uti iam supra, quando ob oculos posuimus ex Evangelio, actis et epistolis Apostolorum, Ecclesiam militantem regnum Christi in terris: de quo quidquid nobis Apocalypsis articulatim exponit, duo primi statim psalmi CIX. versiculi totum compendio complectuntur: *Dixit Dominus Domino meo sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum:* deinceps vero vaticinatur psaltes, quomodo Christus domi-

na-

naturus in medio inimicorum suorum, confringens in die iræ suæ reges, iudicaturus sit in nationibus, in quo ipso totus versatur psalmus secundus, serio ad reges, iudices terræ addito monito, ut serviant Domino in timore, ad quem incutiendum facta est Apocalypsis, seriatim describens Ecclesiæ fata a suis hostibus perferenda, simulque vindictam de iisdem sumendam, victoriasque Ecclesiæ militantis regni Christi in terris, aliquando cum Christo æternum triumphaturæ in cœlis. Qua cynosura disparet difficultas de obscuritate Apocalypsis, cum tam vivis coloribus ac imaginibus certamina et victoriæ militantis Ecclesiæ regni Christi in terris sint adumbratæ, unde quivis ad eius lectionem animari exstimularique debeat, ut in militante Ecclesia strenue decertans eorumdem se participem reddat, sicut mox in exordio dicitur Apoc. I. 3. *Beatus, qui legit, et audit verba prophetiæ huius, et servat ea, quæ in ea scripta sunt, tempus enim breve est.* Huc etiam epistolæ faciunt ad septem ecclesias tribus prioribus capitibus singulæ non solum cum verbis illis adhortatoriis ad auscultandum, verum etiam ad vincendum militando strenue: *qui habet aures, audiat, quid spiritus dicat ecclesiis*, verum etiam ad pugnam ac vincendum excitando; a) *Qui habet aures audiendi, audiat, quid spiritus dicat ecclesiis: vincenti dabo edere de ligno vitæ, quod est in paradiso Dei mei*. Et: *Qui vicerit, non lædetur a morte secunda.* Et: *Vincenti dabo manna absconditum &c. &c.*

Cui

a) Ap. I. 7. 11, 17.

Cui vero dicta hæc septem ecclesiis Asiæ non ad alias omnes omnium temporum ecclesias accomodata esse videantur, regnum Christi in terris? quæ Ecclesia militans dicitur, ex victoriis reportatis aliquando triumphatura in cœlis, quia *qui* iuxta Apostolum *legitime non certaverit*, *non coronabitur*. Neque vero sine hoste pugna, sine pugna victoria: unde illæ septem tubæ quasi ad classicum canendum: perinde ac septem phialæ divinæ in hostes Ecclesiæ militantis regni Christi in terris vindictæ singulæ singulis sunt, quarum sigillis resignantur per septem Ecclesiæ epochas ab eius exordio usque ad finem in consummatione seculi iuxta memoratos illos scriptores Chetardium et Pastorinium, qui nuper systema istud magis excoluit tribus voluminibus, atque in eo quam maxime facem accendit ad dispellendas obscuritatis nebulas, nexum inter septem sigilla, tubas, et phialas ostendendo: unde suapte partitio in septem ætates seu epochas historiæ Ecclesiæ militantis regni Christi in terris consequitur, ut nonnisi facta et fata tum Ecclesiæ cum eius hostium ex serie temporum colligenda fuerint atque suis quæque locis iuxta ordinem septem sigillorum, tubarum, phialarum coaptanda, et accomodanda narrationibus et imaginibus propheticis Apocalypsis, in illis ætatibus seu epochis temporum, quæ iam præterita oculis nostris obversantur: unde, ut iam monuimus, posterioribus his temporibus facilior expeditiorque est reddita interpretatio, quam antiquis fuerit, sanctis Patribus imprimis, quo altior eorum surgit ætas, atque adeo remo-

tior

tior ab evolutione revolutioneque rerum, quæ prophetice sunt prædicta. Idcirco etiam Pastorinio in posterioribus epochis, quæ necdum ex parte vel ex toto evolutæ sunt, recurrendum fuit ad prophetias veteris testamenti, ac novi, in quo tam a Christo, quam Apostolis multa sunt prædicta quoad novissima imprimis, quæ instant tempora, omnino cum Apocalypsi conspirantia: perinde ac in ipsa Apocalypsi septem sigilla, tubæ, et phialæ mirum in modum sibi respondent mutuo secundum septem Ecclesiæ ætates: ita ut apertioni cuiusvis sigilli per agnum ipsum Christum Dominum sua respondeat per successionem temporum epocha seu ætas; sigillis autem singulis, singulæ per ordinem tubæ per angelos septem inflatæ veluti ad classicum canendum, miliantemque Ecclesiam instante novo certamine ad certamen excitandam, dum vicissim cuivis tubæ, seu iis, quæ per clangorem tubæ Ecclesiæ militanti denunciantur nova certamina ac luctæ, sua pedisequa est phiala in illos effusa, qui in regnum Christi in terris, Ecclesiam insurgentes, auctores eorum malorum fuerunt.

Ex admiranda vero convenientia tubarum singularum cum singulis insequentibus phialis vel maxime harmonia huius adeo sibi cohærentis systematis, quod merito clavis apocalyptica dici potest, demonstratur. Ad hoc, ut minus attenderetur, in causa fuit, quod S. Ioannes septem sigilla, tubas, et phialas non singula singulis coniungat, sed postquam cap. 6. et 7. aperta essent septem sigilla, initio c. 8. dicitur factum esse silentium

in

in cœlo, quasi media hora, tum datas esse septem angelis septem tubas, qui cum præparassent se, *ut tuba canerent*, *primus angelus tuba cecinit et facta est grando, et ignis mista in sanguine et missum est in terram.* Sic etiam post quam iussi sunt septem angeli effundere septem phialas iræ Dei in terram Apoc. VIII. 8. dum secundus angelus cecinit; *tanquam mons magnus igne ardens missus est in mare.* Sic etiam secundus angelus Apoc. XVI. 3. *effudit phialam suam in mare.* Tertio angelo canente *cecidit de cœlo stella in tertiam partem fluminum et in fontes aquarum.* Sic tertius angelus effudit phialam suam *super flumina et super fontes aquarum.* Quarto angelo canente percussa est tertia pars solis, lunæ, et stellarum. Sic quartus angelus phialam suam effudit super solem. Quinto angelo canente Apoc. IX. 1. visa est stella de cœlo cecidisse in terram, *et data est ei clavis putei abyssi, et aperuit puteum abyssi et ascendit fumus putei, sicut fumus fornacis magnæ, et obscuratus est sol, et aer de fumo putei, et de fumo putei exierunt locustæ.* a) Sic quintus angelus effudit phialam suam super sedem bestiæ, horribilis illius; ac tam variæ, quales Apoc. IX. 7. &c. describuntur locustæ, quæ *habebant super se regem angelum abyssi, cui nomen hebraice abaddon, græce autem apollyon, latine exterminans.* Effusa autem phiala *factum est regnum eius tenebrosum.* Bestiarum in sacra scriptura nomen et omen habent regna sive monarchiæ, veluti quatuor illa Dan. VII. ex quibus bestia quarta *terribilis, atque mirabilis, et fortis nimis &c.*

ad

a) Apoc. XVI. 10.

ad instar locustarum Apoc. IX. Sextus angelus dum tuba cecinit, iubetur solvere quatuor angelos, qui ligati sunt in flumine magno Euphrate. Sic sextus angelus effudit phialam suam in Euphratem. Septimo angelo canente Apoc. XI. 15. *factæ sunt voces magnæ in cœlo dicentes: factum est regnum huius mundi Domini nostri Christi eius et regnabit in secula seculorum amen.* Sic septimus angelus *effudit phialam suam in aerem, et exivit vox magna de templo a throno dicens: a) factum est.* Hic abrupto sermone non adduntur quæ modo retulimus, factum est *regnum huius mundi &c.* dum angelus tuba canens iam non nova certamina Ecclesiæ militanti denuntiat, sed coniunctionem illius cum Ecclesia triumphante in cœlis, *et regnabit in secula seculorum amen.* Id vero perinde de singulis tubis et phialis est notandum, dum aliud illæ sonant, certamina nimirum Ecclesiæ militantis, hæ autem iram Dei effundunt in hostes in illam insurgentes atque bella inferentes. Observat vero Pastorinius in sua introductione ad historiam Ecclesiæ apocalypticam, prophetam (uti is multa Ecclesiam militantem, civitatem Dei concernentia interserit, quæ ad primam, tertiam, sextam, et septimam epocham attinent, quæ sunt potiores) antequam ad phialas progreditur, atque etiam ab initio cap. XVII. ubi incipit phialarum effussio ad cap. XVIII. 10. multa ad rem inserere, quæ civitatem diaboli attinent ac eosdem periodos seu epochas quatuor potiores: uti quoque postea a capite XIX. 11. usque ad finem capitis vigesimi.

Sic

a) Apoc. XVI. 17.

Sic autem septem periodos historiæ christianæ dispertit, ut primam ætatem sub Impp. ethnicis usque ad tempora Constantini M. producat, quæ capp. VI, et VII. Apoc. exsplicatur, in quibus etiam sigilla aperiuntur. Secundam ætatem arianismo tribuit a tempore Constantini M. per centum annos. Tertiam ruinæ Romæ tributam incipit ab an. 406. deductam per 220. annos. Quartam a Mahomete cœptam prorogat ab an. 620. usque 1520. tempora nimirum Protestantium, qui quintam epocham adhuc decurrentem constituunt usque ad sextam epocham militantis Ecclesiæ postremam in novissimis temporibus antichristi: unde in consummatione seculi succedit septima ætas Ecclesiæ triumphantis æternum in cœlis.

Dum vero S. Ioannes *a)* factus in spiritu sedem positam videt et supra sedem sedentem, atque in medio throni agnum stantem tanquam occisum, habentem cornua septem et oculos septem, perinde interpretatus Pastorinius de septem illis ætatibus, quibus Christus Ecclesiam regit et hic militantem in tempore atque illic æternum triumphantem in cœlis, solus dignus qui solveret librum et septem signacula eius seu sigilla. *Et vidi, b) quod aperuisset agnus unum de septem sigillis... Et ecce equus albus, et qui sedebat super illum habebat arcum, et data est ei corona, et exivit vincens ut vinceret*, Christus nimirum succurrens militanti Ecclesiæ regno suo in terris, dum primus angelus tuba cecinit, et *c) facta est grando et ignis mixta in sanguine et missum est in terram &c.*

Su-

*a)* Apoc. IV. 2. *b)* Apoc. VI. 1. *c)* Appoc. VIII. 7.

Super christianos scilicet tempore persecutionum a primis temporibus in Ecclesiam sævientium. At vidit etiam postea S. Ioannes a) *aliud signum in cœlo magnum et mirabile, angelos septem, habentes plagas septem novissimas: quoniam in illis consummata est ira Dei. Et* b) *abiit primus et effudit phialam suam in terram, et factum est vulnus sævum et pessimum in homines, qui habebant characterem bestiæ, et in eos, qui adoraverunt imaginem eius:* Imperatores primum persecutores Ecclesiæ (ut vel ex Lactantio discimus in libro de mortibus persecutorum) tum etiam in Romanum imperium maximis plagis affectum: quæ illi quidem tunc religioni christianæ imputabant, ut ex S. Cypriani libro *de mortalitate* discimus, eiusdemque epistola apologetica ad Demetrium. Aperto sigillo dum equus rufus comparet, c) *et qui sedebat super illum, datum est ei, ut sumeret pacem de terra,* Ecclesia nimirum per Arium, ut Pastorinius interpretatur, potestque de reliqua etiam caterva hæreticorum accipi, qui pacem Ecclesiæ turbarunt; imo etiam de Iudæis primarum persecutionum incentoribus, *ut invicem se interficiant, et datus est ei gladius magnus;* quod Pastorinius de Imperatoribus, aliisque huius seculi potentibus Arianorum patronis intelligit. Tertiam vero epocham constituit in Romæ Romanique imperii depopulatione et dismembratione sec. V. et VI. per gentes barbaras facta, interpretatus equum rufum, quem S. Ioannes vidit aperto sigillo tertio, Alaricum Gothorum regem, in quo Ben. Bossuet subsistit, exhaustis veluti septem iræ Dei phialis,



a) Apoc. XV. b) Apoc. XVI. 2. c) Apoc. VI.

ac tribus *væ* apocalypticis in Romæ veteris profanæ ruina, meretricis ac Babylonis apocalypticæ: cui Pastorinius geminam iungit Cpolin, Romam novam dictam, ubi Romanum imperium substitit destructum demum sec. XV. a Mahumete II. Turcarum imp. phialæ quartæ instar, epocha quarta effusæ super imperium Ecclesiamque orientalem schismaticam, super Romam nempe Babylonemque novam Cpolin per Mahumedanos: ex quibus etiam Antichristum oriturum sciscit Pastorinius epocha sexta iam propinqua, epocha quinta suo termino, quem satis præcise definit post annos 50. futurum, Protestantium scilicet, cum pluribus ante ipsum scriptoribus fumum illum putei, de quo exierunt locustæ in terram *a)* angelo quinto tuba canente, huc interpretatus; dum contra Protestantes antesignano Luthero Romanam Ecclesiam antichristianam passim statuunt ac Romam christianam Babylonem, meretricemque apocalypticam: qua tamen in urbe hactenus non interrupta a D. Petro successio palam se ostentat in communione Ecclesiæ ab Apostolis satæ, cum quibus *b)* se futurum usque ad consummationem seculi promisit: dum constanter Romana sedes in mente habuit, quod *c)* Christus commonuit angelum Sardicensem, *qualiter*, ait, *acceperis, et audieris et serva*, depositum scilicet, quod ab Apostolorum principibus accepit.

Frustra vero proximam ruinam Ecclesiæ illius fundatæ supra firmam petram in sede Petri ominantur hodie iterum, veluti instante consummatione seculi: cuius nos periodi temporum in apertione si-

*a)* Apoc. IX. *b)* Matth. XXVIII. 19. *c)* Apoc. II. 3.

sigilli VI. *a*) asserta prorsus habemus argumenta verbis S. Ioannis omnino conspirantibus cum verbis Christi de consummatione seculi apud Matthæum, Marcum et Lucam. Postquam enim Christus suos de pseudochristis et pseudoprophetis commonuisset novissimorum illorum calamitosissimorum temporum, eadem (additis illis, quæ suum ad iudicium adventum attinent) habet, quæ S. Ioannes quartus evangelista in Apocalypsi in apertione sexti sigilli hic e regione posita:

*Et vidi cum aperuisset sigillum septimum et ecce terræ motus magnus factus est, et sol factus est niger tanquam saccus cilicinus, et luna tota facta est sicut sanguis. Et stellæ cœli ceciderunt super terram, sicut ficus emittit grossos suos cum a vento magno movetur. Et cœlum recessit sicut liber involutus, omnis mons et insulæ de suis locis motæ sunt.*

*Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur; et luna non dabit lumen suum, et stellæ cadent de cœlo, et virtutes cœlorum commovebuntur. Et tunc parebit signum filii hominis in cœlo, et tunc plangent omnes tribus terræ: et videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli cum virtute multa et maiestate. Et mittet angelos suos cum tuba et voce magna* &c.

Omnia hic plana sunt et aperta, nihil obscurum aut abstrusum: cessant, dum ad caput rei ventum, sublimes ac reconditæ imagines metaphoricæ ac allegoriæ sparsæ per Apocalypsin, divinitus tamen ad utilitatem legentium selectæ ac di-



*a*) Apoc. VI.

diversimode acceptæ sine periculo maledictionis in fine a) a S. Ioanne positæ. *Quod enim*, ait S. August. L. II. b) contra Maxim. *ad exercendas mentes fidelium in sanctis scripturis obscure ponitur, gratulandum est, si diversis modis, non tamen insipienter, exponitur.* Sic conciliandæ sunt cum scopo prophetiæ huius diversæ interpretum explicationes, quas modo strictim notavimus, suntque aliæ et possunt tot statui temporum, ac rerum catastrophæ, quot Ecclesia militans a suo exordio experta est, experitur, et experietur usque ad consummationem seculi hostium notabiliores insultus. Sic qui Apocalypsin ad tempora apostolica restringunt, habent ultionem de gente Iudaica in eversione urbis Hierosolymitanæ et dispersione gentis: alii Romæ debellatricis ac gentilismi destructionem: alii præstolantur Mahumedanismi ruinam, aut in eo sibi cavent ab Antichristi præstigiis ac tyrannide: fuitque nullo non tempore, ac semper erit Ecclesia militans victrix hæreticorum, libertinorum, *Freygeister*, id genus irreligiosorum, qui hodie maxime non iam occulte grassantur licentia libertatis conscientiæ, christianamque religionem suffodiunt, donec tandem etiam in fine Christus Antichristum destruet spiritu oris sui.

Sic autem, ut diximus, Ioannes in Apocalypsi Ecclesiæ militantis fata adumbrat, prout ea breviter Christus in Evangelio attingit Matth. XXIV. et Luc. XXI. interrogatus ab Apostolis, qui propediem regnum Christi gloriosum opinione Iudai-

(a Apoc. XXII. 18. b) T. VIII. p. 726.

daica præstolabantur, *quando hac erunt, et quod signum adventus tui, et consummationis seculi?* Christus autem responsionem suam ita temperat, utramque illam consummationem eversionemque urbis et orbis veluti confundendo, ut incertos nos ac suspensos, paratosque semper et vigiles detineat. Unde tam sæpe Christus palam, et in parabolis ad vigilandum hortatur, *quia qua hora non putatis, filius hominis venturus est.* Apostoli vero ad unum omnes in suis epistolis, esse iam novissimam horam, denunciant. A S. Ioanne sic inchoatur: *Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus palam facere servis suis, quæ oportet fieri cito;* finit autem post alia in eandem sententiam, *qui testimonium perhibet istorum: etiam venio cito: amen. Veni Domine Iesu.* Hinc Chiliastæ illi primorum Ecclesiæ seculorum, qui primum ruinam urbis Hierosolymitanæ præ oculis habentes, dispersamque per orbem gentem Iudaicam, deinceps dissipationem vastationemque Romani imperii ex diris, quibuscum a suis primordiis conflictari coeperat, fatis eminus prospicientes, atque cum consummatione seculi coniunctam rati, non poterant non regnum mille annorum Christi in terris, quod Apoc. XX. explicatur, retro collocare procul a fatis illis, atque exemptum malis omnibus, quibus nos infestatam iugiter Ecclesiam militantem iam mille septingentis et ultra annis conspicimus, regnum illud Christi in terris. Quod etiam Christus regnum cœlorum vocat in suis parabolis, in quibus boni cum malis, zizania cum tritico, fatuæ cum pru-

dentibus virginibus, commixti sistuntur, aut invitatus ad nuptias, sine veste nuptiali detrudendus in tenebras exteriores, quæ de illo regno beatitudinis dici omnino non possunt. Porro animadvertere licet in tanta ætate totque seculorum decursu, millenarias quasdam catastrophas tam in ipsis imperiis, Romano profano gentili primum, dein in occidentali, et orientali Christiano, Mahumedano item, quam etiam in ipsa ecclesia a suis incunabulis Hierosolymitanis, quando imbellis primum paulatim adolevit, ringentibus inferi portis, totoque terrarum orbe cum omnibus seculi potestatibus adversante.

Eo autem collimat Apocalypsis S. Ioannis, ut, postquam primis quatuor capitibus in septem Ecclesiarum Asiæ angelis ad regnum Christi in terris militantem Ecclesiam hierarchas instituisset, sexdecim proximis capitibus fata eiusdem Ecclesiæ referat et certamina, victorias et triumphos medias inter concertationes cum hæreticis et schismaticis, persecutiones, tormenta et mortes, a christiani nominis hostibus illatas, in hoc sibi nequaquam adversantibus Pastorinii, et Bossueti, quæ sunt præcipua systematibus: nec illud huic derogat, quod tam insigniter nobis Ecclesiam militantem regnum Christi in terris repræsentat, eiusque victorias, quibus devicta Roma domina mundi, suscepto Evangelio facta est caput regni Christi in terris, imperiumque Romanum sedes religionis christianæ, catholicæ Ecclesiæ militantis per orbem in communione Ecclesiæ Sanctorum triumphantis in cœlo, ut supra cap. X. exposui-

mus

mus secundum illud Apocal. XX. 4. &c. dum vidit S. Ioannes *sedes, et sederunt super eas, et iudicium datum est illis: et animas decollatorum propter testimonium Iesu, et propter verbum Dei: et qui non adoraverunt bestiam* &c. Id quod est regnum illud triumphantis simul et militantis Ecclesiæ. Vidit itaque *sedes, et iudicium datum* Ecclesiæ, regno Christi in terris: vidit et *animas decollatorum*, martyrum scilicet et aliorum quorumcumque sanctorum, *qui non adoraverunt bestiam neque imaginem eius, nec acceperunt characterem eius in frontibus aut in manibus suis, et vixerunt, et regnaverunt cum Christo mille annis. Vivere omnes dicit*, sunt verba S. Cypriani de exhort. Martyrum, *et regnare cum Christo, non tantum Martyres* &c. Et S. Augustinus *a)* „Neque enim piorum animæ mortuorum separantur ab Ecclesia, quæ etiam nunc est regnum Christi. Alioquin nec ad altare Dei fieret eorum memoria in communicatione corporis Christi„. Sic sacerdotes Ecclesiæ militantis communicantes cum Sanctis constituunt regnum sacerdotale. *Et erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum eo mille annis*, ad consummationem nempe seculi usque, ut ostendimus cap. IX.

Hactenus in liturgiæ Romanæ canone, quæ est potior sacrificii incruenti pars, excepta B. V. Maria soli Apostoli et Martyres memorantur, veluti etiam illi effuso suo sanguine proprie magis cruentum Christi in passione ac morte sacrificium repræsentarunt; per plura tamen secula in anti-

K 4 quioribus

a) lib. XX. de civ. Dei c. 9.

quioribus codicibus alii etiam quidam nominantur Sancti in liturgia Romana, Gallicana, et Græca; generatim quoque in canone Romano censentur quivis Sancti his verbis ante consecrationem: *Et omnium Sanctorum tuorum.* Et post consecrationem: *cum omnibus sanctis tuis.* In antiquis Sacramentariis *a*) nonnunquam (quod scriptores antiqui liturgici passim a Gregorio III. P. institutum medio seculo VIII. perhibent) additur generalis memoria Sanctorum, quorum festa aguntur, in eorum memoriam missæ celebrantur, et commemorationes fiunt; passimque commentatores in Apocalypsim cum sanctis Patribus cultum Sanctorum quoque et honores eorum etiam reliquiis delatos, nec non miracula ipsorum referunt ad regnum Christi in terris.

Ipsa vero hæc communio sanctorum Ecclesiæ triumphantis cum Ecclesia militante non solum nobis uno ob oculos ponit obtutu totum complexum Apocalypsis, atque adeo regni Christi sive sine fine gloriosi in cœlis, sive hic laboriosi, aliquando finem habituri in terris inter vicissitudines ærumnas et pericula huius vitæ: illic in sua perfectione atque consummatione in felicitate æterna, hic in suis initiis et profectu. Cuius quidem regni auspicia a Christo sunt, et quæ ad illud pertinent recapitulantur omnia in promisso in veteri testamento Messia, qui regnum diaboli, quo per protoparentis nostri lapsum tenebamur obstricti, destrueret, atque nos creatori nostro, redintegrata in nobis imagine Dei per peccatum fœdata, vin-

*a*) vid. vetus liturg. Alemann. T. I. p. 357. &c.

vindicaret, instauraretque regnum in redemptore nostro ex semine Abraham (in quo benedicendæ erant omnes gentes) et stirpe David, regnaturo in domo Iacob in æternum: prout hæc mystice sunt dicta et typice præfigurata in theocratia illa veteris testamenti apud electam tunc Hebraicam ex Abrahamo gentem; per Christum autem in suis Apostolis et eorum successoribus instituta hierarchia, prorogatoque regno theocratico ad omnes gentes, universumque genus humanum, quotquot etiam ante Christum participes sunt eius redemptionis ac regni, in veteri testamento promissi, et in novo in sanguine Christi per mortem et resurrectionem suam constituti in Ecclesia militante in terris et triumphante æternum in cœlis: si tamen hic in agone contenderimus, ac legitime certaverimus futuri consortes et cohæredes eius regni, ac participes aliquando etiam resurrectionis eiusdem in carne post consummatum illud regnum Ecclesiæ militantis in terris in communione sanctorum Ecclesiæ triumphantis in cœlis, de quo S. Ioannes Apoc. cap. XX. ut notavimus. Perperam vero sunt, qui illud adhuc in terris instaurandum sperant ex sententia Chiliastarum priorum seculorum; sed procliviore lapsu temporibus illis pressæ Ecclesiæ, plerisque etiam ex primis SS. Patribus, ut iam observavimus, potius regnum Ecclesiæ militantis, prout in libertatem vindicatum hactenus decurrit, præ oculis habentibus.

## Caput XXI.

### *Hierarchia primis militantis Ecclesiæ seculis.*

Mirum cumprimis est, quomodo iudaizantibus christianis illis, quos S. Hieronymus passim commentatus in prophetas incessit, quique maxime abusi sunt Apocalypsi S. Ioannis, in mentem venire tunc temporis potuerit monarchia illa seu regnum super omnia regna, quod in Messia suo tunc potissimum temporis præstolabantur Iudæi, ita ut fama atque opinio illa ad Romanos etiam, quorum tempore Christi summo in fastigio erat monarchia, pervaserit. Suetonius in vita Neronis de mathematicis sermonem facit, qui eum aliquando destituendum, alii vero summa rerum deinceps potiturum prædixerant; unde persuasio illa apud christianos, Neronem antichristum rediturum; alii vero Messiæ Iudæorum imperium summum somniabant. „ Spoponderunt quidam, „ (sunt verba Suetonii,) destituto ei dominationem „ Orientis, nonnulli nominatim regnum urbis „ Hierosolymorum, plures omnis pristinæ fortu„ næ restitutionem: cui spei pronior Britannia et „ Armenia, qua amissa, ac rursus utraque rece„ pta, defunctum se fatalibus malis existimabat „. Primus is in christianos desævierat, fata etiam, quæ Lactantius de mortibus persecutorum describit, primus expertus: erantque deinceps omnia perturbata tam in constituendis, quam in desti-

tu-

tuendis magno numero morte violenta imperatoribus. Maximæ porro Romanæ reipublicæ erant calamitates, quibus, quod christianos affligeret, afflictabatur ad lentum veluti interitum, præeunte Iudaicæ gentis fatali casu. Hæc Pastorinius persequitur ad effusam phialam primam Apoc. XVI. super Romanos imperatores, Ecclesiam persequentes: simulque ex cap. XII. Ecclesiam primis illis seculis in dolore parturientem, atque in solitudinem fugientem sistit: atque etiam persecutionem Ecclesiæ in Persia sub Sapore rege eiusque successoribus iungit: nec non ex cap. XX. diabolum ligatum, regnaturosque cum Christo sanctos mille annis, usque ad consummationem seculi; a Bossueto autem, qui totam Apocalypsin ad Romam debellatricem sanctorum revocat, huc omnia historica quadam serie a cap. IV. usque XVIII. et XIX. Apoc. describuntur, commentario in Apocalypsin luculenter exposita, demonstrata porro De Excidio Babylonis, atque etiam ab Hen. Bullingero asserta, Zwinglii apud Tigurinos successore, ut tamen uterque hic in Romanam Ecclesiam hierarchiamque paratragœdiaretur, quod in illum Bossuetus animadvertit; Zwinglio autem in II. Epist. ad Thess. II. a primis Ecclesiæ temporibus tanta visa est tentatio, tanta satanæ operatio, ut etiam sanctissimis, et doctissimis episcopis imposuerit.

Eousque temeritatis processum est, ut haud defuerint, sintque, qui iura sacrorum ethnicis potius principibus adscribenda putent, quam successoribus apostolorum, quos iam supra vidimus

dimus in totum a Christo missos orbem ad constituendum regnum suum in terra militantem Ecclesiam, datam sibi a Patre potestatem in cœlo et in terra participantem: ut adeo distinctum prorsus utrumque imperium sacrum et profanum independensque omnino (quod catholici omnes agnoscunt) demonstret, ecclesiasticum scilicet a civili is ipse primitivæ Ecclesiæ status non solum dissociatus penitus, quod regimen spectat, sed etiam invicem adversus: dum potestas seculi cum inferni portis coniuncta Ecclesiam ad internecionem usque persequitur; Ecclesia autem Dei, Deo potius quam hominibus obediendum esse edocta exemplo Apostolorum, et verbis, quæ magistratibus Iudæorum dicta supra audivimus ab Apostolis, dum primis veluti ab accepto Spiritu sancto in die Pentecostes momentis, evangelii prædicationem auspicarentur, Iudæis in sua pervicacia ac cæcitate permanentibus; gentilibus vero suis superstitionibus deditis, toto orbe densissimis gentilismi tenebris sepulto, ac inimicissimo lucis.

His vero omnibus nihil obstantibus, dum divino numini placuit, oriri lucem Evangelii et exsplendescere, quis non videt, voluisse divinam providentiam, suum solum hoc opus esse, suam solam esse sponsam Ecclesiam, ac suapte subsistere, potestate propria ad sese constabiliendam conservandamque instructam, antequam vel ullus potestate aliqua pollens ad sacra christiana converteret animum, plerique vero hostilem gererent. Et licet eam ipsam ob causam, omni sibi adversante mundi dominatu, foris tunc prodire, ac

veluti

veluti ostentare se publico religionis cultu, ut postea sub imperatoribus christianis, non potuerit; potestatem tamen eam acceptam, a divino magistro, rege regum et domino dominantium ubique terrarum αὐτοκρατικῶς (quin vel uno apice in Evangelio totoque novo Testamento demonstrari possit, ullam extraneæ potestati in ipso regimine ecclesiastico datam fuisse partem) a primo institutionis suæ momento sine ullo alterius potestatis consortio, semper exercuit, in suis pastoribus conspicuam. Cuius modi sunt, quos ipse D. Paulus præceptis instituit, Timotheus, et Titus, peculiaribus epistolis, et S. Ioannes in Apoc. septem angelos seu episcopos, alios autem iam ingenti numero suppeditat historia inde ab apostolicis temporibus sec. I. et II. quando Christus regnum suum Ecclesiam militantem dilatavit non solum in Oriente, ubi originem suam accepit in Palestina vicinaque Syria, Ægypto, Asia minore et Græcia, verum etiam in longissime dissitis nationibus quaquaversum per orbem etiam ultra Romani latissimos fines imperii: qui ut paulatim diminuebantur, termini christiani orbis ex adverso protendebantur, amplificabanturque; sacrorum præsules constituebantur ubique, in iisque sacer consessus ac ordo hierarchicus mutuo inter se vinculo et subordinatione colligatus tam singillatim per ecclesias, quam etiam universim per orbem catholicum: ubi statim primum inter auctores apostolicos S. Clementem Romanum a D. Paulo commendatum habemus Phil. IV. 3. cum cæteris

coadiu-

coadiutoribus suis, *quorum*, inquit, *nomina sunt in libro vitæ.*

Is deinceps in Romana sede constitutus, quod sui muneris erat, in cathedra Petri apostolorum principis studiose est prosecutus in ecclesiam Corinthiacam, ad quam iam a S. Paulo institutam gravissimas dedit litteras, cum in ea essent, qui exorbitarent, posthabita debita erga ἡγȣμένȣς subordinatione, non *a)* ut prius ambulantes „ in Dei „ legitimis, subiecti præpositis vestris, et hono„ rem debitum tribuentes presbyteris vestris „. Quod vero rei caput est divina nimirum missio, radix omnis potestatis legitimæ, *non est enim*, ut Apostolus dicit, *potestas b) nisi a Deo*, adeoque in Ecclesia Dei nemini, nisi cui a Deo data est, competere potest; hanc S. Clemens ipsis Christi Domini verbis: *Sicut me misit Pater*, *ita ego mitto vos*, præ oculis habitis, atque veluti pro fundamento positis, ita n. 42. declarat: „ Missus „ est Christus a Deo, et apostoli a Christo. „ Itaque acceptis mandatis, et confirmati per „ verbum Dei cum Spiritus S. plenitudine egressi „ sunt. Prædicantes igitur per regiones ac urbes „ primitias eorum, quos in Spiritu probarunt, „ in episcopos et diaconos eorum, qui incipie„ bant credere, constituerunt „. Quid plura? cum totum epistolæ argumentum in contentione sedanda componendaque de nomine et auctoritate episcopatus adversus æmulos versetur, memoriam refricans, ad eam, quam Christus suis apostolis dedit doctrinam, cum non semel inter eos orta fuerat

*a)* S. Clemens ep. ad Cor. n. 2. *b)* Rom. XIII. 2.

fuerat contentio, quis eorum videretur esse maior.
„ Et quidem, (ait postea,) cognoverunt per Do-
„ minum nostrum Iesum Christum, quod futura
„ esset contentio de nomine episcopatus: ob eam
„ ergo causam, n. 44. accepta perfecta præcog-
„ nitione constituerunt supradictos, et deinceps
„ futuræ successionis regulam tradiderunt, ut cum
„ illi decederent, ministerium eorum ac munus
„ alii viri probati exciperent „.

Ex S. Ignatii M. epistolis difficile est, selectum facere, cum omnes sint ad hierarchiæ sacræ eiusque capitis episcopi auctoritatem a Patre acceptam per Christum (modo iam dicto) adstruendam, atque ex sua origine ac missione ut divinam firmandam compositæ. S. Martyr brevibus *a)* rem explicat, inquiens: „ Christus Patris est sententia, ut etiam „ episcopi Christi sunt sententia „ γνώμη, regula nimirum ac norma, quam sequi oportet, ut postea exponit ac monet n. 5.: „ Studeamus „ episcopo non resistere, ut simus subiecti Deo „. Et mox n. 6. iterum: „ Manifestum est, quod „ episcopum respicere oportet ut ipsum Domi- „ num „. Magnesianos inter alia monet, subiectos esse episcopo, *ut Christus Patri, et apostoli Christo.* Ad Trallenses n. 2. in eandem sententiam scribit: „ Cum episcopo subiecti estis ut „ Iesu Christo, videmini mihi non secundum „ homines, sed secundum Iesum Christum vivere. „ Ad Philadelphenses n. 2. Quotquot Dei et Iesu „ Christi sunt, hi sunt cum episcopo „. Semper gradus ordinis hierarchici distinguit, imprimis vero in-

*a)* S. Ign. M. ep. ad Ephes. n. 3.

infra in eadem epistola n. 9. „ Boni quidem, *ait*, „ sunt sacerdotes, melior vero est archisacerdos, „ cui credita sunt sancta sanctorum, cui soli secre- „ ta Dei sunt concredita: ipse est ianua Patris, „ per quam ingrediuntur Abrahamus, et apostoli, „ et ecclesia „. Singula simul complexus in epist. ad Smyrnenses n. 9. „ Omnes Iesum Christum „ sequimini, ut Iesus Christus Patrem, et pres- „ byterium ut apostolos. Sine episcopo nec quic- „ quam faciatis eorum, quæ ad ecclesiam spectant. „ Rata eucharistia habeatur, illa, quæ sub epi- „ scopo fuerit, vel cui ipse concesserit. Ubi com- „ paruerit episcopus, ibi et multitudo sit, quem- „ admodum ubi fuerit Christus Iesus, ibi catholica „ Ecclesia „. Vacasse dicitur sedes, dum ad Ro- manam ecclesiam, quam in ipsa epigraphe extollit, insignem illam dedit S. Martyr epistolam. „ Ig- „ natius, qui et Theophorus, misericordiam con- „ secutæ in magnificentia Patris altissimi et Iesu „ Christi filii eius unici, Ecclesiæ dilectæ, et „ illuminatæ in voluntate eius, qui vult omnia, „ quæ sunt secundum charitatem Iesu Christi Dei „ nostri: quæ etiam præsidet in loco regionis „ Romanorum, digna Deo, digna decore, digna „ quæ beata prædicetur, digna laude, digna quæ „ voti compos fiat, digne casta, caritate præcel- „ lens, Christi et Patris nomine insignita, quam „ et amplector in nomine Iesu Christi Filii Patris: „ secundum carnem et spiritum coniunctis omni ip- „ sius præcepto, gratia Dei indivisim repletis et ab „ omnibus alieno colore expurgatis, plurimum in „ Iesu Christo Deo nostro incontaminate gaudere „.

Quæ

Quæ ex ceteris illius epistolis pauca loca selecta dedimus, satis manifeste declarant, omnia veluti recapitulari in divina illa a Christo missione et ab apostolis successione personarum simul ac doctrinæ capita in communione Ecclesiæ catholicæ, quam S. Irenæus *traditionem* vocat *a*) *apostolorum in toto mundo manifestatam in omni ecclesia*, contra hæreticorum nempe novitates &c. „ Habemus, *subdit*, annumerare eos, qui ab apostolis instituti „ sunt episcopi in ecclesiis, et successores eorum „ usque ad nos, qui nihil tale docuerunt. Sed „ quoniam valde longum est, omnium ecclesiarum enumerare successiones: Ecclesiæ a Petro et „ Paulo Romæ fundatæ fidem per successiones „ episcoporum pervenientem usque ad nos indi„ cantes confundimus omnes. „ Cum clerus et confessores Lugdunenses partim in Asiam, et Phrygiam ac Romam ad conciliandam pacem epistolas in causa paschatis mitterent, rogarunt Irenæum, ut eas ipse ad Eleutherium P. R. deferret. Qua de re etiam ad Victorem facta est relatio, in causa baptismi hæreticorum ad Stephanum, in causa mœchorum ad Zepherinum, semperque penes Romanæ sedis sententiam stetit apostolicæ traditionis veritas, a qua suo periculo viri etiam summi secessionem fecerunt, veluti Tertullianus; qui tamen in aureo *de* PRÆSCRIPTIONIBUS libro ex instituto eandem regulam illam traditionis apostolicæ, ex S. Irenæo modo allatam, explanat ac urget contra hæreticos, quos compellans, „ Edant ergo, *ait c.* 32. originem ecclesiarum suarum ita per „ successiones ab initio decurrentem, ut primus

 ille

*a*) lib. III. contra hæres. c. 3.

„ ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostoli-
„ cis viris, qui tamen cum apostolis persevera-
„ runt, habuerit authorem et antecessorem. Hoc
„ modo Ecclesiæ apostolicæ census suos deferunt. „
Et libro IV. adversus Marcionem sic scribit:
„ Habemus et Ioannis alumnas ecclesias. Nam
„ etsi Apocalypsin eius Marcion respuit: ordo
„ tamen episcoporum ad originem recensus, in
„ Ioannem stabit auctorem. „

Divinam cum laudatis Patribus apostolicis missionem pastorum Ecclesiæ, ut brevi et efficaci oratione S. Cyprianus ostenderet epist. 3. „ episcopos et præpositos elegisse (dicit) nihilque „ audendum contra Deum, qui episcopos facit. „ Epist. 66. definit Ecclesiam esse plebem sacerdoti coadunatam, et gregem pastori suo adhærentem. „ Unde scire debes, episcopum in Ecclesia esse „ et Ecclesiam in Episcopo, et siqui cum Episcopo non sint, in Ecclesia non esse. „ Id vero ex professo tractat in libro DE UNITATE ECCLESIÆ ad constabiliendum præprimis centrum illud unitatis in cathedra Petri, ac primatum, quem in S. scriptura fundatum agnovit, et affirmavit tum primitivæ tum subsequentis Ecclesiæ unanimis consensio, non quasi novum fidei articulum condens, sed servans et declarans eum, quem a verbo Dei scripto acceperat, ut loquitur I. Febronius abreviatus et emendatus ab ipso auctore Honthemio, affertque p. 103. locum ex libro S. Cypriani citato, in quo etiam ad divinam missionem provocatur ipso ore divino prolatam: „Quamvis apostolis omnibus post resurrectionem suam

pa-

„ parem poteſtatem tribuat, et dicat: ſicut me
„ miſit Pater, ita ego mitto vos; tamen, ut uni-
„ tatem manifeſtaret, unitatis eiuſdem originem
„ ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit.
„ Hoc erant utique et cæteri apoſtoli, quod
„ fuit Petrus, pari conſortio prædıti et honoris
„ et poteſtatis, ſed exordium ab unitate profici-
„ ſcitur; et primatus Petro datur, ut una Chriſti
„ Eccleſia, et cathedra una monſtretur.„ Compa-
gem vero illam in Eccleſiæ unitate et eccleſiaſticæ
hierarchiæ communione in epiſt. ad Florentium
Pupianum ob oculos ponens S. Cyp. „Etſi, *ſcribit*,
„ contumax ac ſuperba obaudire nolentium mul-
„ titudo diſcedat, Eccleſia tamen a Chriſto non
„ recedit: et illi ſunt Eccleſia, plebs ſacerdoti
„ adunata, et paſtori ſuo grex adhærens. Unde
„ ſcire debes, epiſcopum in eccleſia eſſe, et eccle-
„ ſiam in epiſcopo: et ſi quis cum epiſcopo non
„ ſit, in Eccleſia non eſſe: et fruſtra ſibi blan-
„ diri eos, qui pacem cum ſacerdotibus Dei non
„ habentes obrepunt, et latenter apud quoſdam
„ communicare ſe credunt: quando Eccleſia,
„ quæ catholica et una eſt, ſciſſa non ſit, neque
„ diviſa; ſed ſit utique connexa, et cohærentium
„ ſibi invicem ſacerdotum glutino copulata.„ Eſt
hæc communio illa poteſtatis eccleſiaſticæ a nobis
alibi ex inſtituto aſſerta et explicata, inter ſum-
mos Eccleſiæ paſtores pontificem et epiſcopos
identidem concuſſa, ſemper inconcuſſa *Eccleſia
militans regnum Chriſti in terris.* Qua de re S.
Martyr epiſt. 27. ad Lapſos „ Dominus noſter,
„ *ait*, cuius præcepta metuere, et obſervare debe-

„ mus, episcopi honorem, et Ecclesiæ suæ ra-
„ tionem disponens in evangelio loquitur, et dicit
„ Petro: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferorum non vincent eam, et tibi dabo claves regni cælorum, et quæ ligaveris super terram, erunt ligata in cælis, et quæcunque solveris super terram, erunt soluta et in cælis.* „ Inde per
„ temporum et successionum vices episcoporum
„ ordinatio, et Ecclesiæ ratio decurrit, ut Eccle-
„ sia super episcopos constituatur, et omnis actus
„ Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur. „
Ad Cornelium P. scribens, „ Non aliunde, *inquit*,
„ hæreses obortæ sunt, aut schismata, quam inde,
„ quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec
„ unus in Ecclesia ad tempus iudex vice Christi
„ cogitatur. „

---

## Caput XXII.

### *Ecclesiæ status temporalis primis seculis.*

Sic passim S. Martyr loquitur *de sublimi ac divina Ecclesiæ gubernandæ potestate*, quos Passius flosculos vocat, Zwinglius vero indignatur S. Cypriano, quod „ is et cæteri persuasi essent,
„ utile futurum, si caput haberent Romanum
„ pontificem ad extirpandas hæreses nimirum, et
„ ad alendam concordiam. Sed iam actum erat, *ad-*
„ *dit*, de Eccsia et fenestra otio, et luxui aperta. „
Unus, quem sciam, ex illa sacrata ætate Paulus

Sa-

Samos. ep. hæresiarcha apud Eusebium *a*) notatur, *fastu et arrogantia supra modum elatus &c.* Adeo, ut inde incredibilis invidia odiumque multorum adversus fidem nostram conflatum sit. Zwinglius hic invidiam communem prodit illis omnibus, quibus dignitas hierarchici ordinis exosa est, atque continuo plenisque buccis vilium, et pauperum exemplum apostolorum ingeminant.

Quos Christus misit apostolos in universum mundum ad prædicandum Evangelium, eos utique exoneratos esse oportuit rerum præsentis seculi sarcina, quas circumferre nequiverant; sed non consequitur, eos idcirco mendicare victum, aut egenos esse debuisse, quos nihil sollicitos omnino de his rebus esse voluit. *Quærite primum regnum b) Dei*, ait, *et iustitiam eius: et hæc omnia adiicientur*. Illis quoque, qui sua reliquerint, centuplum in hoc etiam adhuc seculo, et in futuro vitam æternam solito suo adiecto iuramento, *Amen dico vobis &c.* promisit, quærente *c*) Petro, quo emolumento cuncta relinquentibus, seque sequentibus iacturam omnium sui causa faciendam resarciret? In prima apostolorum missione *d*) iussit quidem: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris: neque peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam: dignus est enim operarius cibo suo.* Sic igitur eos promptos reddere et alacres voluit ituros aliquando in universum mundum omni cura temporali liberos et securos, prout eisdem rem in memoriam revocavit *e*) ante

L 3 pas-

*a*) H. E. lib. VII. c. 30. *b*) Matth. VI. *c*) Marc. X. 28. *d*) Matth. X. 9. *e*) Luc. XXII. 35.

passionem suam: *Quando misi vos sine sacculo et pera, et calceamentis, nunquid aliquid defuit vobis? at illi dixerunt: nihil.* Id D. Paulus in hoc argumento versatus 1. Cor. IX. dum hanc Christi pro suis providentiam attingit, etiam ad vetus Testamentum provocat: *nescitis*, ait *a*), *quoniam qui in sacrario operantur, quae de sacrario sunt, edunt, et qui altari deserviunt, cum altari participant? ita et Dominus ordinavit iis, qui evangelium denuntiant, de evangelio vivere.* Iam vero harum rerum, quas in utroque Testamento sibi servientibus debitas esse decernit Deus, proprietatem aut legitimum usum possessionemque in controversiam quis vocet? contra ac *suum cuique* ius ipsum naturae adscribit: quod ibidem etiam Apostolus *b*) iam antea attigerat: *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, et de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, et de lacte gregis non manducat?* De fructu et legitimo usu iure exposcendarum atque adeo propriarum rerum ac possessionum exemplum, ex veteri Testamento porro deinceps firmatum: *Scriptum est enim in lege Moysi:* Non alligabis os bovi trituranti. *Nunquid de bobus cura est Deo? an propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt. Quoniam debet in spe, qui arat, arare: et qui triturat, in spe fructus percipiendi. Si vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestra metamus?* Omnia colligens 1. Tim. v. 17. *Qui bene praesunt presbyteri*, ait, *duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in verbo, et doctrina. Dicit enim scriptura.*

*a*) Deut. XVIII. 1. *b*) v. 7.

*ptura*: Non alligabis os bovi trituranti. „ Et: „ dignus est operarius mercede sua. „ Ubi probe notandum, hæc ad constitutum a se in Ecclesia antistitem dici, quem instruit; allatæ autem allegationes produnt, duplicem honorem eum esse, quem tum in reverentia debita pastor animarum exposcat, cum etiam quod decentem vitæ cultum attinet; ne forte eum ex humilitate respueret Timotheus, in victu, vestitu, reliquoque habitu quoad statum externum etiam honorabilem a ministerio sacro haud alienum, nec respuendum ab hierarchis; non quidem qualem damnatum in Paulo Samosateno legimus, resputum vero a sanctissimo Africæ antistite Cypriano, de quo Pontius eius diaconus in illius vita testatur: „ Non illum su„ perbia sæcularis inflaverat, nec tamen prorsus „ affectata penuria sordidarat: quia hoc vestitus „ genus a iactantia minus non est, quam osten„ tata taliter ambitiosa frugalitas. „ Teste S. Augustino *a)* S. Cyprianus, „ collegas suos fundos „ insidiosis fraudibus rapientes, usuris multipli„ cantibus fœnus augentes, quorum avaritiam, „ non leve aliquod vitium, sed esse idolatriam „ secundum apostolum intellexit, pro unitatis „ vinculo pertulit tales, nec eorum contagio „ factus est talis: discessit ab eis dissimilitudine „ morum, non divisione sacramentorum, et im„ mundum non tetigit, sed a factis eorum ab„ horrendo, non seorsum populos colligendo. „ Quod si vero non semper eandem moderationem omnes sacrorum antistites tenuerunt, aut ambitione elati, aut avaritia seducti; an ideo actum fuisse

L 4 de

*a)* L. II. contra Gaudent. Donat. n. 10. T. IX. p. 672.

de Ecclesia dici debet? Perinde est, dicere; actum fuisse de collegio apostolorum, quod Iudas loculos habuerit, quam: actum esse de Ecclesia, quod in ea præpositi etiam luxui dediti sint, ac avaritiæ studeant; quales quidem episcopos carpit S. Cyprianus, qui nihil vehementius concupiscerent, quam ut eleemosynis et oblationibus fidelium saginentur, et ditescerent. Idem nihilominus S. Cyprianus acerrime invehitur in divites, qui nihil in pauperes erogabant, nihil offerebant ad altare.

Exemplo etiam primævæ ecclesiæ Hierosolymitanæ exstimulat fideles S. Martyr, et D. Pauli, cum frequentes postea pro eadem ipsa ecclesia collectas faceret. De fidelium oblationibus S. Iustinus M. in apol. II. „ Qui autem, *inquit*, „ per facultates possunt, et volunt pro arbitrio „ quisque suo, quod lubet, conferunt, et quæ „ collecta fuerunt, apud præpositum sive antisti- „ tem deponunt. „ S. Irenæus *a)* inter fidelium oblationes etiam primitias connumerat, et iam antea (cap. 18.) decimarum Iudaicarum mentionem faciens, fidelium largitatem longe ampliorem deprædicat. Origenes *b)* eodem exemplo fidelium præstationem ea lege faciendam vult. Decimarum passim meminerunt SS. Patres quarti et quinti seculi. Antiquissimum conc. Antiochenum inter ordinarios reditus clericorum c. 25. fructus etiam ex agris Ecclesiæ recenset.

Præcipuarum urbium, Romanæ imprimis, amplas admodum facultates fuisse necesse est, quod eas etiam per orientalem ecclesiam diffundere posset,

a) lib. IV. capp. 32. 34. *b)* Hom. XI. in Num.

set, ac elargiri, ut palam sit ex epistola Dionysii Corinthi episc. ad Soterem P. apud Eusebium *a*): consuetudinem hanc „ iam inde ab ipso „ religionis exordio fuisse: ut, *pergit*, fratres „ omnes vario beneficiorum genere afficiatis, et „ ecclesiis quam plurimis, quæ in singulis urbibus constitutæ sunt, necessaria vitæ subsidia „ transmittatis, et hac ratione tum gentium inopiam sublevetis, tum fratribus, qui in metallis „ opus faciunt, necessaria suppeditetis.„ Dionysius Alexandrinus apud Eusebium *b)* testatur, eas largitiones ecclesiæ Romanæ in Syriam usque et Arabiam permanasse.

Obiicit Cæcilius apud Minutium paupertatem christianis, quam tamen christiani alii divites sublevare poterant. Arcæ in apologetico Tertullianus meminit, in qua „ modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, etsi modo „ possit, apponit: nam nemo compellitur, sed „ sponte confert. Hæc quasi deposita pietatis „ sunt; nam inde non epulis, non potaculis, „ nec ingratis voratrinis dispensatur, sed egenis „ alendis.„

Ecclesiam primis quoque seculis sub statu presso mobiles non solum res, et facultates, sed et immobiles habuisse, vel inde constat, quod ab inimicis et persecutoribus imperatoribus fisco addictæ sint; quæ aliorum tamen imperatorum indulgentia erant permissæ. Veluti Alexander Severus quem etiam in larario suo Christum coluisse Lampridius



a) lib. IV. c. 23. *b*) Ib. l. VII. c. 4.

ſcriptor ethnicus perhibet. Eodem teſte n. 22. cum chriſtiani quemdam locum, qui publicus fuerat, accepiſſent, contra popinarii dicerent, ſibi eum deberi, reſcripſit imperator: melius eſſe, ut quomodocunque illic Deus colatur, quam popinariis daretur. Idem narrat Lampridius, Alexandro animum fuiſſe, Chriſto dicare templum; cohibitum autem fuiſſe eodem, quod antea Hadriano datum fuit, accepto reſponſo; fore, facto hoc claudenda eſſe reliqua omnium deorum templa. Memorat Euſebius lib. VI. 21. (ut ſilentio prætercam, quæ idem poſtea c. 34. perhibet de Philippo imp. chriſtiano etiam inter pœnitentes, ritu chriſtiano, relato) familiaria Mammeæ matris Alexandri colloquia cum Origene de chriſtianis rebus, eius rei cauſa Antiochiam accitato. Celebratur porro potiſſimum matronarum liberalitas in eccleſiam Romanam imprimis: ubi iam Paulus potuit ſalutem referre Philipp. IV. 22. *maxime, qui de cæſaris domo ſunt*, Neronis ſcilicet: qui vero primus edicta contra chriſtianos dedit, ac Domitianus. Neque tamen deſunt exempla, ut uxores ſæviſſimorum perſecutorum chriſtianæ eſſent, ut Priſca Diocletiani, eiuſque filia Valeria Maximini uxor, teſte Lactantio. Aliquando Deus etiam gentilium imperatorum inclinavit animos, ut ordini hierarchico a Chriſto inſtituto deferrent, relinquerentque ex æquo et iuſto cauſas eccleſiaſticarum poſſeſſionum. Sic cum, Euſebio teſte *a*) Paulus Samoſatenus detrectaret domo eccleſiæ excedere, qua decreto concilii Antiocheni cedere debebat, Aurelianus imp. ſævus poſtea chriſtianis, iuſ-

*a*) lib. IX. c. 10.

iussit eam ecclesiæ illi addici, ad quam episcopi Italiæ, et Romanus rescripsissent.

Inter canones apostolicos, quos Beveregius et alii collectos ex conciliis secundi et tertii seculi, atque Ecclesiæ primitivæ disciplinam ex iis administratam fuisse tenent (antequam dividerentur bona ecclesiastica, et singillatim in proprietatem adscriberentur) quadragesimus primus præcipit „ ut in „ potestate sua episcopus ecclesiæ res habeat. Si „ enim animæ hominum pretiosæ illi sunt credi- „ tæ, multo magis oportet eum curam pecunia- „ rum gerere, ita ut potestate eius indigentibus „ omnia dispensentur per presbyteros et diaconos, „ et cum timore omnique solicitudine ministrentur. „ Ex iis autem, quibus indiget, si tamen indiget, „ suas necessitates et peregrinorum fratrum usus „ ipse percipiat, ut nihil possit eis omnino deesse. „ Lex enim Dei præcipit, ut qui altari deservit, „ de altari pascatur: quia nec miles stipendiis „ propriis hostes et arma sustulit. „ Quæ de largis oblationibus fidelium, atque ex iisdem amplissimis eleemosynis, Romanæ ecclesiæ nominatim, in remotissimas usque provincias diximus, facile persuadent, stimulasse rem persecutorum invidiam, avaritiamque; veluti fidem legitur dedisse Prætextatus vir consularis: futurum se, si Romanus pontifex foret, christianum.

Nec mirum videbitur, diaconos præprimis, penes quos rerum administratio erat, tam atrocibus tormentis cruciatos fuisse. „ Armatur itaque, „ *ut de S. Laurentio S. Leo a) loquitur*, gemina fa-

a) Serm. 83.

„ face homo pecuniæ cupidus, et veritatis inimicus:
„ avaritia, ut rapiat aurum; impietate, ut auferat
„ Christum. „ Nihil crudelius immaniusque excogitari potuit, quam quibus S. Vincentius Cæsaraugustanus diaconus affectus est cruciatibus: dum episcopus suus Valerius simul cum Vincentio comprehensus, nihil corpore passus, tantum in exilium fuit missus, ut in actis sinceris apud Ruinartum legere est. Mirari vero desinet auri sitim in imperatoribus ethnicis eorumque per provincias procuratoribus, qui exactionum publicarum immanitatem perspexerit vergente præsertim iam seculo tertio, cum barbari per provincias undique irruerent, essentque creberrima bella, veluti sub Diocletiano simul in Galliis, Britannia, Oriente, Ægypto, et Africa: isque cum tres præterea regni sui fecisset consortes, inter quos reditus erant partiendi, sævissimus christianorum hostis, Lactantio a), orbem terræ simul *et avaritia, et timiditate* subvertisse dicitur, „ multiplicatis, *ut*
„ *ait*, exercitibus, cum singuli eorum longe
„ maiorem numerum militum habere contende-
„ rent, quam priores principes habuerant, cum
„ soli rempublicam gererent. Adeo maior esse
„ cœperat numerus accipientium quam dantium,
„ ut enormitate indictionum, consumtis viribus
„ colonorum desererentur agri, et culturæ verte-
„ rentur in silvam. Et ut omnia terrore com-
„ plerentur, provinciæ quoque in frusta concisæ,
„ multi præsides et plura officia singulis regioni-
„ bus, ac pene iam civitatibus incubare, item
„ rationales multi, et magistri, et vicarii præ-

fe-

a) de mort. persec. p. 191.

„ fectorum, quibus omnibus civiles actus admo-
„ dum rari, sed condemnationes tantum et præ-
„ scriptiones frequentes, exactiones rerum innu-
„ merabilium, non dicam crebræ, sed perpetuæ,
„ et in exactionibus iniuriæ non ferendæ. Ne-
„ que quoque tolerari possunt, quæ ad exhiben-
„ dos milites spectant. Idem insatiabili avaritia
„ thesauros nunquam minui volebat; sed semper
„ extraordinarias opes ac largitiones congerebat,
„ ut ea quæ recondebat, integra ac inviolata
„ servaret. Idem cum variis iniquitatibus im-
„ mensam faceret caritatem, legem pretiis rerum
„ venalium statuere conatus est. Tunc ob exi-
„ gua, et vilia multus sanguis effusus, nec
„ venale quidquam metu apparebat, et caritas
„ multo deterius exarsit, donec lex necessitate
„ ipsa post multorum exitium solveretur. Huc
„ accedebat infinita quædam cupiditas ædificandi,
„ non minor provinciarum exactio in exhibendis
„ operariis, et artificibus, et plaustris omnibus,
„ quæcunque sint fabricandis operibus necessaria.
„ Hic basilicæ, hic circus, hic moneta, hic
„ armorum fabrica, hic uxori domus, hic filiæ.
„ Repente pars civitatis exceditur. Migrabant
„ omnes cum coniugibus ac liberis, quasi urbe
„ ab hostibus capta.„ Silet hic thermas immen-
si pene operis, quibus construendis christianos
damnatos confecturum se, sperabat.

Ca-

## Caput XXIII.

### *Seculo IV. et V. sub Impp. christianis.*

Dum interim ineunte sec. IV. non minus exactionibus per provincias (ut porro Lactantius n. 23. p. 214. memorat) quam persecutione in christianos sæviunt Diocletiani in imperio socii Maximinianus, dictus Herculeus, Maximinianus Galerius, et reliqui augusti ad complendum septenarium numerum *a*) designatum a Ioanne; ultima omnium atrocissima persecutione Ecclesia prosperatur et accrescit, mediis etiam, veluti Israelitæ in Ægypto, in pressuris, ut vel ex rebus illis Ecclesiæ coniicere licet, quas fisco addictas non solum restitui quamprimum iussit Constantinus, devictis demum omnibus christiani nominis hostibus suis antecessoribus, et collegis; verum etiam res et personas ecclesiasticas immunitate donavit. „ Fuit hoc argumentum vel maximum „ reverentiæ, quam pius princeps, *ut b) Sozomenus* „ *loquitur*, erga religionem gerebat. Nam et om„ nes ubique clericos immunitate donavit, lege „ hac de re specialiter data: illisque, qui erant „ in iudicium vocati, dedit potestatem, si vellent „ magistratus civiles reiicere, ad episcoporum „ iudicium provocandi: eorum autem sententia „ rata esset, et aliorum iudicum sententiis plus „ habere auctoritatis, tanquam ab ipso impera„ tore prolatam, statuit; utque magistratus res ab epi-

*a*) vid. Bossuet in c. XVII. Apoc. *b*) lib. I. hist. c. 9.

„ episcopo iudicatas exequerentur, militesque eo„ rum voluntati deservirent: postremo, ut con„ ciliorum decreta firma et inconcussa essent. „ Taceo aliam, quam ibidem affert Sozomenus legem, qua continentibus facultatem facit testandi, fœminis et maribus in virginitate et continentia viventibus, etiam impuberibus: „ De omnibus „ enim rebus, *addit*, recte consulere, ac dispo„ nere censuit eos, quibus id unum opus studium„ que esset, ut Deum assidue colerent, et phi„ losophiæ (christianæ, in monastica speciatim „ vita, asceseos) vacarent. „

Constantini pietatem certatim eius successores in imperio sunt prosecuti, dumque postea Iulianus apostata „ uberius omnem immunitatem, „ *ut idem Sozomenus a) loquitur*, honorem et „ annonas ipsis a Constantino præbitas ademit; „ quæ mox iterum Iovinianus Iulianum secutus in integrum restituit. Iulianum præterea ecclesias votivis donis, et pecuniis, vasisque sacris spoliasse paulo post ex S. Gregorio Nazianz. videbimus: qui, utinam verifico in omne ævum effato subdit, non iam fore, qui *sacrilega manu votiva dona diripient, et profanabunt, impietatem avaritia cumulantes.*

Accidit porro, ut imperii nova regia, quam velut in reverentiam Romanæ sedis Cpolim transtulit Constantinus, divinitus (ut ipse apud Eusebium testatur) admonitus, ibidem firmata, paulatim dilaberetur Roma illa, quam æternam deprædicarunt, fitque ex profana religiosa, ex sa-

a) lib. V. c. 5.

ſacrilega ſacra, orbis chriſtiani caput: dumque vetus illa orbis domina decidit ſuo ſplendore, ac ad interitum vergit, ex eius ruinis exſurgit nova, veluti lapide ex monte deciſo conterente coloſſum, illudque Iſ. XLIX. 23. vaticinium impletur: *Et erunt reges nutritii tui, et reginæ nutrices tuæ: vultu in terram demiſſo adorabunt te, et pulverem pedum tuorum lingent. Et ſcies, quia ego Dominus, ſuper quo non confundentur, qui exſpectant eum.*

Nemo equidem mirabitur, inviſam hanc fuiſſe felicem ſortem ſcriptori ethnico Ammiano Marcellino, qui *a)* Romanos pontifices carpit de faſtu quodam ac profuſione, quam tamen laudatiſſimam ſupra prodidimus. Nec malevolentia caret idem, dum alios ſolos laudat, quos „ tenuitas, *ut ait*, edendi po„ tandique parciſſime, vilitas etiam indumentorum, „ et ſupercilia humum ſpectantia perpetuo numi„ ni veriſque eius cultoribus, ut puros commen„ dant, et verecundos. „ Quis hæc non laudibus celebret præ Ammiano gentili chriſtianus quisque? Quis vero hanc vivendi rationem ceu legem impoſitam ſtatuat hierarchis, aut cuicunque demum alteri ordinis cuiuscunque eccleſiaſtici, aut etiam religioſi? In S. Auguſtino, qui epiſcopus monaſticam ſimul vitam cum ſuo clero ſectatus eſt, mediam in victu, veſtitu, ac ſuppellectili rationem cum Poſſidio ep. eius familiari æquus quisque probet, commendetque, prout etiam S. Hieronymus Nepotiano ſuo epiſt. I. ſuadet, ut ornatus ac ſordes pari modo fugiat: *quia, al-*

a) hiſt. lib. XXVII.

*alterum*, addit, *delicias*, *alterum gloriam redolet.* Sic vero Possidius in vita S. Augustini caput 22. huius argumenti auspicatur: „ Vestes eius, et „ calceamenta, vel lectualia ex moderato, et „ competenti habitu erant, nec nitida nimium, „ nec abiecta plurimum: quia his plerumque „ vel iactare se insolenter homines solent, vel „ abiicere; ex utroque non quæ Iesu Christi, sed „ quæ sua sunt, iidem quærentes. At iste, ut „ dixi, medium tenebat, neque in dextram, „ neque in sinistram declinans. „ S. Hilarius Arelatensis in S. Honorato ex monacho Lirinensi archiepiscopo Arelatensi antecessore suo rigidissimæ alias vitæ, quam monachus secutus fuerat, semper observantissimo omnium nimietatum, et cognati nimietatibus gloriæ appetitus fugam c. VIII. n. 37. deprædicat. Socratem hæreticum Novatianum non moramur, dum Cyrillo Alexandrino sanctissimo pontifici, doctori ac orthodoxæ fidei propugnatori maximo invidiam creare velle videtur; narrans *a*), eum in sede episcopali collocatum maiorem principatum, quam unquam Theophilus habuisset, pariter sibi assumpsisse. *Etenim*, pergit, *ex illo tempore episcopus Alexandrinus præter sacri cleri dominatum*, *rerum præterea secularium principatum acquisivit.* S. Isidorus Pelusiota ep. 408. Ecclesiæ hic fata alia, quod in administratione bonorum fieri solet, attingit, non quidem statum eius florentem incessans, quod faciunt invidi, qui Ecclesiam honore et opibus spoliatam volunt et egenam, prout Christus apostolos suos misit *sicut oves in medio luporum*, persecutorum scili-



a) H. E. lib. VII. c. 7.

cet. „ Ornamentorum enim suorum thecas et „ arculas habet, opibus autem spoliata est: non „ ob eius, qui eam primo exornavit inertiam, „ sed ob eorum, qui non ut convenit, res ad„ ministrant, improbitatem: „ ut scribit Isidorus. In oecumenica synodo Ephesina patriarcha Antiochenus monet Patres, „ ut ne sanctorum Patrum „ canones praetereantur, neque sub specie admi„ nistrationis rerum sacrarum potentiae secularis „ typhus irrepat, sensimque imprudentes eam li„ bertatem amittamus, quam nobis proprio san„ guine D. N. I. Ch. omnium hominum libe„ rator largitus est. „

Ea tunc erant tempora, de quibus mox sermonem iniiciemus, Ecclesiae hierarchis, ne in transversum agerentur, periculosa; dum etiam ex altera parte erant scopuli, quos cavendos Patres Africani Caelestinum P. monent, dum aiunt; „ Nolite concedere, ut fumosum typhum „ seculi in Ecclesiam Christi, quae lucem simpli„ citatis et humilitatis diem, Deum videre cu„ pientibus praefert, videamur inducere. „ Pii imperatores (ut iam attigimus) tribunal seu iudicium episcopi in caussis quoque civilibus constituerunt, quorum arbitrium, cuique liberum esset, amplecti: quibus rebus sese tantopere distendi, tam saepe queruntur SS. pontifices Ambrosius, Augustinus et alii: unde etiam proclive fuit ad ea officia nimium ferri animum, et, quae potiora sunt, posthaberi. Unde de quacunque demum re, „ Caeterum, *inquit S. Chrysostomus a)*, quantum

a) Hom. IX. in cap. II. ad Phil. T. XI. p. 269. n. 4.

„ tum video, plus apud nos hominum metus „ poteſt, quam gehennæ, et futurorum ſupplicio- „ rum. Propterea ſane omnia contra, quam „ deceat, ſe habent: ut civilia quidem negotia „ ſingulo quoque die diligentiſſime adminiſtren- „ tur, neque illa unquam omitti videas; ſpiri- „ tualium vero nulla nobis ratio habeatur. „ Loquitur de bonorum temporalium adminiſtratione, atque deinceps in eos invehitur, qui ea ſacerdotibus invident, ſingula rei utrinque capita per integram illam homiliam perſtringens, in Evangelia *a*) item Iudæ proditoris graviter inceſſens avaritiam, ſimulque in principibus ſacerdotum perverſitatem, qui ſe religioſum officium præſtitiſſe cenſebant, quod ex triginta argenteis agrum in ſepulturam peregrinorum emiſſent. Sunt hæc ea circiter tempora, quæ iam ſupra ab Ottone Friſingenſi *b*) notata intelleximus: anno etiam præciſe notato 388. quo, Gratiano interfecto, Theodoſius imperium ſolus obtinuit, quibus *ait*, „ diebus civitas Chriſti ſopitis tam forenſibus, „ quam civilibus malis, plenum gaudium pacem„ que perfectam habere cœpit. „

Attamen non fuit omnium imperatorum, quæ Theodoſii M. pietas, in ſacra etiam, ut mox videbimus, involantium. Nec leges deſunt in cod. Theodoſii iunioris, quibus Eccleſiæ etiam poſſeſſiones vectigalibus ſubiiciuntur. *Si tributum petit*, ſunt *c*) verba S. Ambroſii in ſerm. contra Auxentium de Baſilicis tradendis, *non negamus.*

 *Ag-*

*a*) Hom. LXXXIII. al. LXXXIV. et LXXXVI. in Matt. T. VII. p. 793. et p. 807. &c. *b*) lib. IV. hiſt. prol. c. 18. *c*) T. II. p. 872.

*Agri Ecclesiæ solvunt tributum.* S. Gregorii Nazianz. orat. XIX. pars posterior a) est ad Iulianum tributorum exæquatorem directa suum amicum et contubernalem aliquando, ut exæquandis tunc tributis præfectum ad misericordiam et benignitatem flectat erga pauperes, *totum sacerdotum chorum ac philosophorum* i. e. monachorum, *cœtum.*

Non unus Ammianus Marcellinus, aut Libanius, aut Zosimus sec. IV. et V. scriptores ethnici de christianorum etiam imperatorum nobis testes sunt despotismo ac crudelitate, imprimis etiam in exigendis tributis, ac fisci obligationibus. Totus in hoc est liber V. Salviani Massiliensis *de gubernatione Dei*, ita ut Romanorum in hoc sævitatem longe maiorem quam barbararum gentium palam edicat: en verba! „ Iam „ vero illud quale, quam sævum, quam ex hac „ ipsa impietate descendens, quam alienum a „ barbaris, quam familiare Romanis, quod se „ invicem exactione proscribunt; imo non invi„ cem; nam hoc tolerabilius ferme esset, si pa„ teretur quisque, quod plurimi proscribuntur „ a paucis, quibus exactio publica peculiaris est „ præda, qui fiscalis debiti titulos faciunt quæ„ stus esse privatos, et hoc non summi tantum, „ sed pene infimi: non iudices solum, sed etiam „ iudicibus obsequentes. Quæ enim sunt non „ modo urbes, sed etiam municipia atque vici, „ ubi non, quot curiales fuerint, tot tyranni sint? „ Quamquam forte hoc nomine sibi gratulentur, „ quia potens et honoratum esse videatur. Nam et

a) T. I. edit. San- Maur. p. 373 &c.

„ et latrones ferme omnes gaudent et glorian-
„ tur, si atrociores admodum, quam sunt,
„ esse dicantur. Quis ergo, ut dixi, locus est,
„ ubi non a principalibus civitatum viduarum
„ et pupillorum viscera devorentur, et cum his
„ ferme sanctorum omnium. *Et postea:* Veni-
„ unt plerumque novi nuncii, novi epistolarii a
„ summis sublimitatibus missi, qui commendantur
„ illustribus paucis ad exitia plurimorum. De-
„ cernuntur novæ indictiones.... Et putamus
„ quod pœna divinæ severitatis indigni sumus,
„ cum sic nos semper pauperes puniamus; aut
„ credimus, cum iniqui nos iugiter simus, quod
„ Deus iustus in nos omnino esse non debeat?
„ Ubi enim aut in quibus sunt, nisi in Romanis
„ tantum hæc mala? Quorum iniustitia tanta,
„ nisi nostra? Franci enim hoc scelus nesciunt.
„ Chuni ab his sceleribus immunes sunt. Nihil
„ horum est apud Wandalos, nihil horum apud
„ Gothos. Tam longe enim est, ut hæc inter
„ Gothos barbari tolerent, ut ne Romani qui-
„ dem, qui inter eos vivunt, ista patiantur.
„ Itaque unum illic Romanorum omnium votum
„ est, ne unquam eos necesse sit in ius transire
„ Romanorum. Una et consentiens illic Romanæ
„ plebis oratio, ut liceat eis vitam, quam agunt,
„ agere cum barbaris. Et miramur, si non vin-
„ cuntur a nostris partibus Gothi, cum malint
„ apud eos esse, quam apud nos Romani. „
Hæc Salvianus, cum iam adolescente sec. V. undique Romanum imperium inundassent nationes barbaræ. Nec est hoc maximum Romæ profanæ crimen, sunt alia longe graviora Romæ iam

 chri-

christianæ, ut Romæ debellatricis sanctorum fata maturaret, post illa, quibus iam defuncti fuerunt persecutores Ecclesiæ imperatores idololatræ, quæ singulari libro persequitur Lactantius.

---

## Caput XXIV.

### *Status hierarchicus militantis Ecclesiæ sub primis christianis Imperatoribus.*

Vidimus iam Ecclesiam militantem sec. IV. statu suo presso eluctatam, velutique in libertatem vindicatum regnum Christi in terris, dum Constantinus Imp. anno Christi 323. devicto Licinio persecutorum Ecclesiæ ac Constantini æmulo postremo pro construendis ecclesiis, sacrificiis profanis interdicendis, legem dedit: haud equidem, quod non Ecclesia Hierosolymis post ascensionem Domini, et missum in apostolos Spiritum S. progressa sese regnum Christi per orbem propagata ostentaverit, eo magnificentius, quo potentius contra omnes seculi potestates, infernalesque stetit, stetissetque suapte inconcussa per divinam providentiam promissionemque a Christo acceptam; nisi etiam Deus non tam Ecclesiæ tranquillitati, quæ semper in hac terra militat, quam ipsorum principum consuluisset saluti simul ac Ecclesiæ suæ dignitati, dum sub christianis principibus regnum Christi in terris sec. IV. suum accepit lustrum ac publicam securitatem, quando

et

et quousque suis finibus utraque sacra et profana sese continuit potestas.

Non Constantinus equidem solum, sed eius etiam successores usque ad Gratianum retinuerunt, quod solemne erat a Cæsare usque imperatoribus gentilibus, nomen pontificis maximi; sed hoc ad superstitionem gentilem pertinebat. De pontificatu hoc gentili ipse Pet. de Marca (De concord. S. et I. lib. II. c. X. n. 7.) interpretatur eiusdem Constantini verba, dum teste Eusebio, se *extra Ecclesiam* τῶνἐκτος episcopum aliquando in convivio dixit, quod fori incompetentis foret qualecunque dictum: recte tamen sic intelligitur, ut episcopos rerum ecclesiasticarum, imperatorem vero civilium curam gerere significet, quæ ad Ecclesiam non spectat, perinde ac ecclesiasticarum rerum cura non ad imperatorem. Sic Constantinus in Nicæna synodo episcopos affatus, *Deus vos constituit*, ait, *sacerdotes, et potestatem dedit, de nobis quoque iudicandi.* De eodem Eusebius in eius vita lib. III. c. 20. refert sequens dictum: „ Quidquid in sanctis episcoporum conciliis geri„ tur, id omne ad divinam referendum est volun„ tem „ In epist. ad episcopos post concilium Arelat. scribit; „ Dico enim, ut se veritas habet, „ sacerdotum iudicium ita debet haberi, ac si „ ipse Dominus residens iudicet. Quid igitur „ sentiant Donatistæ .... perquirunt secularia „ relinquentes cœlestia. „ Dum in eadem causa Donatistarum, teste Optato Milevit. lib. I. contra Parmen. Donatistæ ab eo peterent iudices, *Petitis a me*, respondit, *in seculo iudicium, cum ego ipse Christi iudicium exspectem.*

Frustra Protestantes vociferantur, veluti alienam tunc hierarchas sibi usurpasse iuris dicendi facultatem, quam connatam esse Ecclesiæ, utique tempora illa ipsa pressæ primitivæ Ecclesiæ per sese manifestarunt. *Quibusnam*, sunt verba S. Hilarii a) *suffragiis ad prædicandum Evangelium apostoli usi sunt? Quibus adiuti potestatibus Christum prædicaverunt?* Non detrectavit Ecclesia, imo ultro requisivit brachii secularis opem ac tutelam a christianis principibus, sed iudicium in rebus ecclesiasticis non agnovit; ut nec ultro etiam causis civilibus sese ingessit. *Tibi*, imperatorem alloquitur magnus Osius, *Imperium commisit Deus, nobis, quæ Ecclesiæ sunt, credidit: et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ; ita et tu, quæ Ecclesiæ sunt, ad te trahens, magno crimini obnoxius fies.* S. Ambrosius dum, ut Arianis Ecclesiam traderet, urgeretur, negaretque-ait; „ Accipiant obedientiæ magisterium, cui „ nos b) inhæremus, dicentes iis, qui nobis de „ imperatore invidiam faciunt: solvimus, quæ „ sunt cæsaris, cæsari, et, quæ sunt Dei, Deo. „ Tributum cæsaris est; non negatur. Ecclesia „ Dei est; cæsari utique non debet addici: quia „ ius cæsaris non potest esse Dei templum. „ Quod cum honorificentia imperatoris dictum „ nemo potest negare. Quid enim honorificentius, quam ut imperator Ecclesiæ filius esse „ dicatur? Quod cum dicitur, sine peccato „ dicitur, cum gratia dicitur. Imperator enim „ intra Ecclesiam est, non supra Ecclesiam est:

bo-

a) Adversus Auxent. n. 3. b) T. II. p. 873.

„ bonus enim imperator quærit auxilium Eccle-
„ ſiæ, non refutat.„ Legendæ ſunt eiuſdem S. Patris epiſtolæ ſequentes claſſ. I. 40. ad Theodoſium imp. de ſynagoga Iudæis reſtauranda et 41. in eadem cauſa ad ſororem. Dedit in hanc ſententiam, de competente fori eccleſiaſtici iudice, Theodoſius ad Optatum Ægypti præfectum legem, quæ habetur apud Sirmondum in append. cod. Theodoſ. *a)* cui legi occaſionem dediſſe, credunt editores San-Maur. opp. S. Gregorii Nazianz. *b)* eius epiſtolam ad Nectarium Cpol. de epiſc. Boſphorio. Idem S. Pater orat. XVII. ita n. 6. ad obedientiam hortatur. „ Submittamus nos, tum Deo, tum alii aliis, tum iis,
„ qui in terris imperium gerunt: Deo quidem
„ omnibus de cauſis, alii autem aliis propter
„ charitatis fœdus: principibus denique, propter
„ ordinem publicæque diſciplinæ rationem: id-
„ que tanto etiam magis, quanto facilioribus
„ illis ac benignioribus utimur.„ Coram vero præfectum provinciæ allocutus eſt his verbis:
„ Vos quoque imperio meo ac throno lex Chri-
„ ſti ſubiicit. Imperium enim nos quoque geri-
„ mus; addo etiam præſtantius ac perfectius; niſi
„ vero æquum ſit ſpiritum carni, et cœleſtia ter-
„ renis cedere.„

Verſantur in hoc argumento duæ S. I. Chryſoſtomi homiliæ *c)* in Oziam regem, ubi in eandem ſententiam loquutus, cauſam etiam notat et occaſionem, ob quam optimus quisque ac religioſiſſimus rex induci ad involandum alienum ius

M 5 fa-

*a)* T. I. opp. Varr. p. 720. *b)* Præfat. p. LXXII.
*c)* Hom. IV. et V. in illud: *Vidi Dominum.* T. VI. p. 127.

facile queat. „ Hic Ozias, *inquit*, cum esset rex
„ diademate redimitus, quoniam erat iustus, elatus
„ est animo, maiore spiritu concepto, quam pro di-
„ gnitate ingressus est templum... Rex cum sit,
„ Sacerdotii principatum usurpat. Volo, inquit,
„ adolere incensum, quia iustus sum. Sed mane
„ intra tuos terminos: alii sunt termini regni, alii
„ termini sacerdotii, verum hoc illo maius est &c. „
Pro principum potestate est eiusdem hom. XXIII. in illud D. Pauli ad Rom. XIII. 1. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Ad concordiam autem sacerdotium inter et imperium ineundam præclara omnino est eiusdem Hom. IX. in cap. II. ep. ad Philipp. *a)* et Hom. XV. in ep. II. ad Cor. *b)* ubi illud imprimis ostendit, quod sacrum hoc civili quidem imperio sublimius sit; illud nempe potius solique Ecclesiæ proprium tribunal *grave et venerandum; nec corpus solum, sed animam etiam corrigit*, conscientiæ nimirum divinum iudicium; quando tunc temporis plerumque forum externum cum interno coniunctum erat; quod postea separatum, externum illud in Ecclesia minus augustum reddidit, ac religiosum.

Ipsa etiam solemnia illa Ecclesiæ, in conciliis præsertim œcumenicis congregatæ iudicia fuerunt tunc ab illis quoque ipsis impedita, qui civilem inter se in republica christiana partiuntur potestatem: quæ vero ipsa concilia studiose olim tuiti sunt ac prosecuti imperatores, nequaquam, quamdiu eorum iudicio steterunt, in devia (ut mox videbimus) abducti, ab ipsis porro
Pa-

*a)* T. XI. p. 271. *b)* T. X. p. 542.

Patribus implorati, ut iis, quæ sancita sunt, robur adderent, susciperentque tutelam. Ingenua simul ac alteram potestatem reverentia verba sunt epistolæ synodi Cpol. I. ad Thedosium imp.. „ Fi-
„ dem Patrum confirmavimus, et exortas adver-
„ sus eam hæreses improbavimus. Postremo
„ etiam pro recta ecclesiarum institutione certos
„ canones fecimus, quos et valere volumus.
„ Cupimus igitur abs te humanissime ac piissime
„ imperator, diplomate tuo, synodi sententi-
„ am confirmari, ut quemadmodum litteris,
„ quibus nos convocasti, Ecclesiam honorasti,
„ ita etiam placita synodi ad finem subscriptio-
„ ne tua munias. „ Eodem ordine synodi Ephesina et Chalcedonensis postea processerunt, quarum alteri præsens imperator sic Patres mox actione I. est allocutus: *Nos ad fidem confirmandam, non ad potentiam exercendam exemplo religiosissimi Constantini interesse volumus, ne ulterius pravis suasionibus separentur.*

Iam tunc vero semina iacta sunt schismatis illius, quod hactenus orientalem, olim tam illustrem, ab occidentali ecclesia scindit. Hæreses etiam, ob quas potissimum omnia illa œcumenica concilia celebrata sunt, in ea ipsa Ecclesia orientali sunt ortæ, ac seculari potentia (ut videbimus) fotæ ab imperatoribus: qui dum nimium sese negotiis religionis distendunt, imperium ipsum neglectum, magis magisque barbarorum irruptionibus expositum, paulatim disperiit. Dum vicissim hæreses in Occidente vix natæ plerumque auctoritate Romanæ sedis disparuerunt; non

ita

ita in Oriente, ubi inferi portæ omnes exercuerunt ad concutiendam Ecclesiam machinas, sub primis christianis Impp. sicque Ecclesia militiæ genus mutavit; esse militans non desiit.

Est hæc Pastorinio (supra ut vidimus) secunda Apoc. VIII. 8. tuba hæreticorum, quos ille Arianos notat: iam vero S. Cyprianus hanc diaboli astutiam incessit *a*) aiens. „Ut Christi ad-
„ ventu detectus et prostratus inimicus (postquam
„ lux gentibus venit, et sospitandis hominibus
„ salutare lumen efulsit, ut surdi auditum gra-
„ tiæ spiritualis admitterent, aperirent ad Deum
„ oculos suos cœci, infirmi æterna sanitate re-
„ valescerent, claudi ad Ecclesiam currerent, mu-
„ ti claris vocibus et precibus orarent) videns
„ ille idola derelicta, et per nimium credentium
„ populum sedes suas, ac templa deserta, ex-
„ cogitaverit novam fraudem, ut sub christiani
„ nominis titulo fallat incautos; hæreses invenit,
„ et schismata, quibus subverteret fidem, verita-
„ tem corrumperet, scinderet unitatem &c.„
S. Hieronymus *b*) apposite omnino ad mentem Pastorinii de gladio magno, in sigilli secundi apertione Apoc. VI. 4. considerandum relinquit,
„ quod multi reges christiani, qui persecuti sunt
„ Ecclesiam Dei, et Arianam impietatem in toto
„ orbe fundare conati sunt, vincant in scelere
„ Ieroboam regem Israel. Ille enim falsi sacer-
„ dotis mandata despexit, nec ad suggestionem
„ eius quidquam voluit respondere; isti autem
„ cum multis Amasiis sacerdotibus suis fame et
penu-

*a*) De unit. Dei p. 76. *b*) in c. VI. Amos.

„ penuria, carceribus et exiliis Amos prophetam „ et sacerdotes Domini necaverunt.„ Orosius *a*) scribit: „Maligna semper adversus Deum verum „ insectatio diaboli, quæ ab initio mundi usque „ nunc a sincero fidei religionisque tramite, of- „ fusis errorum nebulis, lubrica hominum corda „ perturbat, postquam christianis imperatoribus „ summam regiæ potestatis in meliora vertenti- „ bus, Ecclesiam Christi zelo idololatriæ persequi „ destitit, aliud machinamentum, quo per eosdem „ christianos imperatoresChristi Ecclesiam vexaret, „ invenit.„ Agit vero de hæresi Ariana Orosius.

---

### *Constantinus M. ab Arianis in transversum actus.*

Postquam Constantinus an. 311. christianum nomen professus, editis an. 323. edictis eius patrocinium ac tutelam susceperat, Arius iam an. 320. in synodo Alexandrina damnatus ex Palæstina Nicomediam ad Eusebium episc. se confert, eiusque opera Constantini sororem sibi conciliat. Idem etiam Eusebius flamen curialis Constantino auctor fuisse creditur, ut Alexandro episc. Alex. et Ario simul litteras scriberet, in utrumque pariter invectus, quod tantam movissent quæstionem levi de re, ut ipse sibi quidem persuaserat. „Quod „ tu (sunt epistolæ apud Eusebium verba) Pater „ Alexander a presbyteris de loco quodam in „ sacris litteris scripto quærebas, imo vero in „ inani quadam quæstionis particula sciscitabaris, „ quod quisque illorum sentiret. Tu quoque

Ari,

*a*) Hist. lib. VII. c. 29.

„ o Ari, istud, quod nec initio complecti animo „ oportuit, aut si fuisses complexus, silentio „ præterire oportuit, inconsiderate effutivisti: „ unde discordia inter vos concitata.„ Excusemus interim, divino relictam iudicio, blasphemiam in imperatore rudi adhuc, plus tranquillitatis publicæ quam integritatis fidei studioso.

Constantinus tamen postea, cum Osii in synodo Alexandrina opera frustra esset ad Arii conversionem, de eius protervia et impietate edoctus, quum etiam auderet Arius ad ipsum imperatorem litteras dare, rescribens, eius adversam in Christum et Ecclesiam doctrinam coarguit, pertinacisque causam legitimo Ecclesiæ iudicio in synodo Nicæna, Patribus ad pacem et concordiam admonitis, reliquit, prout rem enarrat *a)* Socrates: „ Tunc igitur cum de pace et concordia abunde „ disseruisset, deinceps ut de religionis nostræ „ dogmatibus accurratius disquirerent, eorum ar„ bitrio potestatique reliquit „

Hic iam subsistendum fuisset orthodoxo, et catholico principi, atque iudicio synodi œcumenicæ standum. Sed is postea Eusebianorum artibus delusus, Arium recipi in Ecclesiam Alexandrinam iubet, recusantem vero interea temporis in sedem Alexandrinam evectum S. Athanasium, variis calumniis accusatum in exilium ire, Alexandrinis pro restituendo Athanasio rogantibus, posthabito concilii Nicæni decreto, rescribit, non posse revocare se hominem seditiosum et ecclesiastico iudicio condemnatum, ut Eusebianorum

*a)* Lib. 1. c. 22.

rum pseudosynodum, et conventicula male iudicium ecclesiasticum vocat: et sic etiam S. Antonio rescribit, non licere sibi sententiam synodi despicere. Sic fallitur princeps, dum fidem, quam Ecclesiæ debet, fallit, obsequiumque legitimo eius iudicio: dum fidem non revocat in animum, quam in œcumenica synodo Nicæna assertam S. Athanasius propugnabat, nimis eius obtrectatoribus credulus Constantinus.

Id nihilominus, ne in sectam coirent Ariani aliique, hæretici cohibuit interdicto, ut Sozomenus *a)* narrat, *ne extra ecclesiarum septa, aut privatim aut palam convenirent, sed sese catholicorum iungerent cœtibus.* Templa etiam postea eis sustulit, unde factum, ut plerique se Ecclesiæ catholicæ coniungerent, alii sine successoribus morerentur, cum tanto suo periculo nec docere nec discipulos aggregare possent. Hæc l. c. alioque de Constantino laudatus Sozomenus. Unde etiam, licet a Lucifero Calaritano, atque in chronico Hieronym. ab hæretico Eusebio baptizatus hæreticus obiisse dicatur, ab ipso tamen S. Athanasio in epistola *ad solitarios*, et a Patribus catholicis concilii Ariminensis, Constantinus, cum fidem Nicænam teneret baptizatus, *ad quietem Dei* commigrasse dicitur.

Hanc fidem orthodoxam Patris filio Constantio S. Hilarius exprobrans *b)* inquit: „Ipse quo-
„ que pridem iam mortuus anathema tibi pater
„ tuus est, cui Nicæna synodus fuit curæ, quam
tu

*a)* Lib. II. c. 29. *b)* lib. contra Constantinum Imp. n. 27. p. 1257.

„ tu falsis opinionibus infamatam perturbas, et „ contra humanum divinumque iudicium cum „ paucis profanis impugnas. Sed non licet tibi „ nunc regno potenti in posterum præiudicare. „ Extant enim litteræ, quibus id quod tu crimi- „ nosum putas, pie tunc esse susceptum doce- „ tur. „ Sic etiam S. Ambrosius, qui in oratione *de obitu Theodosii* Constantini fidem laudat n. 40 in epist. ad Valentinianum imp. iudicii ecclesiastici dignitatem vindicat et auctoritatem, ad consistorium venire detrectans, Valentiniano iuniori Valentiniani patris in memoriam revocat *a*) legem, et exemplum Constantini imp. „ Si „ tractandum est, tractare in Ecclesia didici, „ quod maiores fecerunt mei. Si conferendum „ de fide, sacerdotum debet esse ista collatio, „ sicut factum est sub Constantino augustæ me- „ moriæ principe: qui nullas leges ante præmi- „ sit, sed liberum dedit iudicium sacerdotibus. „ Factum est etiam sub Constantio augustæ me- „ moriæ imperatore, paternæ dignitatis hærede; „ sed quod bene cœpit, aliter consummatum est. „ Nam episcopi sinceram primo scripserant fidem, „ sed dum volunt quidam de fide intra palatium „ iudicare, id egerunt, ut circumscriptionibus „ illa episcoporum iudicia mutarentur. Qui ta- „ men inflexam statim revocavere sententiam. „

---

### *Constantius ab Arianorum partibus.*

Mox S. Ambrosius concilium iterum Ariminense nominat, cui ut priora eius a nobis relata di-

*a*) Classe I. ep. 21. n. 2. et 15. T. II. p. 860. et 862.

dicta conveniunt, ita non sunt in pugnum contrahenda illa tempora postrema Constantii, quibus, dum vixit, pro orthodoxa fide decertandum fuit S. Athanasio, Ecclesiaque militans gravissima suscepit exantlanda prælia. Post mortem Constantini patris, imperium nece consanguineorum auspicatus Constantius, facile etiam consceleratis aurem præbuit, ab Eusebio Arianorum antesignano, iam in sedem Cpolitanam intruso incitatus contra S. Athanasium. Vix is Paulum Cpolitanum sede deturbaverat, cum factione sua Ariana etiam in Alexandrinam S. Athanasii sedem Pistum primum intrusit, deinde, Eusebio Emisseno detrectante, Gregorium. S. Athanasius vero inter truculentos impiosque motus sese proripit, encyclicamque Romam transmittit, atque etiam intrusus Gregorius oratores: sed S. Athanasii in synodo Romana innocentia agnita fuit, isque restitutus cum aliis exulibus in synodo etiam Mediolanensi et Sardicensi: Arianique episcopi damnati, missis ad Constantium synodi nomine oratoribus; qui etiam tunc revocavit exules, Athanasiumque ad audientiam admisit, et in eius gratiam epistolam ad episcopos et presbyteros dedit; sed Arianorum iterum calumniis præventus multo quam antea magis in sanctum virum sanctamque Ecclesiam catholicam furit: per vim omnia, tum in conciliis, tum privatim ac coram tentat episcopos, ut contra S. Athanasium suffragium ferant, detrectantesque in exilium mittit. Hos litteris solatur confessores Liberius P.; quem vero ut a proposito dimoveat, nihil non agit Constantius,

ad ſe etiam per vim tractum, neque tamen tunc eius conſtantiam, quidquid moliretur, frangere potuit, neque etiam Oſii. Ceſſit tamen tandem, uti etiam Liberius P. ac ſenecio magnus Oſius, olim ſub Maximiano pro Chriſti nomine paſſus; ſed infractus ſtetit S. Athanaſius, eique ſuccenturiatus S. Hilarius: de quo anceps quis hæreat, pluſne orthodoxæ fidei in exilio, an in patria profuerit?

Scripſit S. Hilarius libros ad Conſtantium præſentiæ ſuæ in exilio opportunitate Cpoli, ut eum ab errore revocaret; ſed fruſtra, Arianis animum Conſtantii non ſolum præoccupantibus, ſed etiam imperatorem in aula occupantibus, ne Hilarium audiret. Igitur cum in Oriente nihil proficeret, ad occidentales ſuos ſe convertit. Occidentem cumprimis fraudes concilii Ariminenſis conturbaverant. Laudaverant primum Patres in epiſtola ſynodica ad Conſtantium imp. ut apud Theodoretum legitur *a*) ſtudium Conſtantini patris circa orthodoxam fidem Nicænam; hortanturque Conſtantium, ut veſtigiis patris inſiſtendo, non patiatur, quid in fide illius concilii alterari. Poterat Conſtantium ipſius Conſtantini periculum cautum reddere. Simplicitate autem Conſtantii, quam in eo notat S. Gregorius Nazianz. factum eſt, ut multo amplius irretiretur quam parens perfidia magnatum, qui animam ſimplicem, pietate minus firmatam, ut idem S. Doctor perhibet orat. III. præcipitarunt. Hoc eo proclivius erat, quod epiſcopi in aula cæſarea quaſi flamines curiales tantorum Eccleſiæ cauſa illis temporibus malorum erant, qui

*a*) lib. II. c. 19.

qui technas struerent: ut sub Constantino Eusebius potissimum, ita sub Constantio imprimis Ursacius et Valens, qui etiam patres Ariminenses suis fraudibus irretierunt. Factum id specioso (ut fit) unitatis et communionis ecclesiasticæ prætextu, ut S. Hieronymus a) perhibet: „ Sub nomine unita-„ tis, et fidei infidelitas scripta est, ut nunc ag-„ noscitur. Nam illo tempore nihil tam pium, „ nihil tam conveniens servo Dei videbatur, quam „ unitatem sequi, et a totius mundi communione „ non scindi „. Scriptura etiam, S. fidei Reformatorum solito more, prætendebatur: atque, ut idem S. Hieronymus habet „ de Usiæ nomine ab-„ iiciendo, veri similis ratio præbebatur: quia in „ scripturis, aiebant, non invenitur, et multos „ simpliciores novitate sua scandalizat. Placuit „ auferri, non erat curæ episcopis de vocabulo, „ cum sensus esset in salvo „. Detecta vero ultro ab Ursacio et Valente fraude confessi sunt Patres: *se nihil mali in sua fide suspicatos*: sicque *Ariminensibus dolis irretiti, sine conscientia hæretici ferebantur*, ut idem S. Hieronymus habet, totamque complexus rem: *Tunc*, inquit, *Usiæ nomen abolitum est, tunc Nicænæ fidei damnatio conclamata est. Ingemuit totus orbis, et Arianum se esse miratus est.* Eadem, qua in Occidente Arimini perfidia, in Oriente Seleuciæ in conciliabulo res eodem tempore acta est. Prospiciens S. Hilarius periculum ex Ariminensis et Seleuciensis pseudo-synodi auctoritate, earum historiam iam Cpoli inchoavit, sed postea cum a Constantii edictis, minis, ac violentia periculum maius immineret,



a) Dialog. contra Lucifer.

neret, palam adversus eum calamum strinxit, dum teste etiam *a)* Sozomeno, „omnes ubique „ecclesias quædam quasi persecutio occupavit, „cuiusmodi olim sub ethnicis imperatoribus gras- „sata fuerat. Etsi hæc, quod quidem ad cru- „ciatus attinet, remissior videbatur, prudentibus „tamen viris propter infamiam visa est acerbior. „Utrique enim, et is qui persequebatur, et il- „le, qui persecutionem sustinebat, ex Ecclesia „erant„. His permotus malis, cum non suc- cessisset consilium, Constantium alio flectendi, modo iam palam calamum strinxit Hilarius, scri- pto libro uno contra Constantium, cum nihil profecisset duobus ad eundem: quorum primo, postquam mox in exordio pag. 1217. catholico- rum votis, *non solum verbis, sed etiam lacrymis* deprecatus esset cæsarem obstinatum, „ne diutius „catholicæ Ecclesiæ gravissimis iniuriis affician- „tur, et intolerabiles sustineant persecutiones et „contumelias, et (quod nefarium est) a fratri- „bus nostris„ coepiscopis videlicet, qui avitæ fidei, in concilio Nicæno firmatæ, substituentes novam, potestate seculari abutebantur ad oppri- mendos catholicæ veritatis defensores. Id dein- ceps potissima ex parte apud imperatorem S. Hi- larius agit, ut ii, „ad quos sola cura et sollici- „tudo publicorum negotiorum pertinere debet „(per provincias) a religiosa se observantia absti- „neant; neque posthac præsumant, atque usur- „pent, et putent, se causas cognoscere clerico- „rum„. Libro II. n. 4. *b)* autem Constantio fidem in animum revocat, *quam olim*, inquit, *ab epi-*

*scopis*

*a)* lib. IV. c. 25. *b)* p. 1226.

*scopis optas audire, et non audis:* aurem præbens illis nimirum, qui convulsa avita, Nicææ constabilita, fide aliam inducebant. Funestas dein *a)* sequelas deplorat sic: „ Innovandæ fidei exinde „ usus inolevit: qui, postquam nova potius cæ„ pit condere, quam accepta retinere, nec ve„ terata defendit, nec innovata formavit: et fa„ cta est fides temporum potius, quam evange„ liorum, dum et secundum annos describitur, „ et secundum confessionem baptismi non tene„ tur. Periculosum nobis admodum, atque „ etiam miserabile est, tot nunc fides existere, „ quot voluntates „. Nempe dum spreta Ecclesiæ auctoritate infallibili, eiusque posthabitis decretis, quisque se arbitrum fidei facit, atque arbitrium sibi interpretandæ ad lubitum S. Scripturæ arrogat. Deinceps n. 9. *b)* imperatorem alloquitur sequentibus: „ Memento tamen, neminem hære„ ticorum esse, qui se nunc non secundum scri„ pturas prædicare ea, quibus blasphemat, men„ tiatur. Hinc enim Marcellus Verbum Dei, „ cum legit, nescit: hinc Photinus hominem Ie„ sum Christum cum loquitur, ignorat: hinc „ Sabellius, dum quod: *ego et Pater unum su„ mus;* non intelligit, sine Deo Patre, et sine „ Deo Filio est „. Librum *contra Constantium* exhortatione *c)* ad certandum pro fide exorsus, priora persecutionum tempora *d)* præoptat: „ Puga„ remus enim (inquit) palam et cum fiducia contra „ negantes, contra torquentes, contra iugulantes; „ et nos populi tui tanquam duces suos ad confessio„ nis religionem intelligentia persecutionis publicæ

 „ co-

*a)* p. 1227. *b)* p. 1230. *c)* p. 1237. *d)* n. 4. &c. p. 1240.

„ comitarentur. At nunc pugnamus contra persecutorem fallentem, contra hostem blandientem, contra Constantium antichristum: qui non dorsa cædit, sed ventrem palpat; non proscribit ad vitam, sed ditat ad mortem &c. „. Tuitus postea se, quod Constantium antichristum appellarit eundem mox cum Nerone, Decio et Maximiano comparat *a*) aiens: „ contra Deum, „ pugnas, contra Ecclesiam sævis, sanctos persequeris, prædicatores Christi odis, religionem „ tollis, tyrannus non iam humanorum sed divinorum es. *Et paulo post*: At tu omnium crudelium crudelissime damno maiore in nos, et venia minore desævis. Subrepis nomine, blandimento occidis, specie religionis impietatem „ peragis, Christi mendax prædicator occidis. „ Non relinquis saltem miseris excusationes, ut „ æterno iudici suo pœnas et aliquas laniatorum „ corporum preferant cicatrices, ut infirmitas defendat necessitatem. Scelestissime mortalium! „ omnia persecutionis mala ita temperas, ut excludas et in peccato veniam, et in confessione „ martyrium „.

Non minus vehementer ac graviter Constantium imp. incessit Lucifer Calaritanus episcopus variis opusculis ad eundem imperatorem directis, quæ novissime sunt edita T. VI. Bibl. PP. studio *And. Gallandi*, ac primum quidem pro S. Athanasio sic *b*) auspicatur: „ Cogis, Constanti, absentem damnare consacerdotem nostrum religiosum Athanasium; sed divina id facere prohi-

a) n. 7. p. 1242. *b*) p. 155.

„ hibemur lege: impellis auctoritate latius regali „ Domini sacerdotes ad effundendum cruorem. „ ignorans iura iustitiæ tradita nobis divinitus, te „ conatum ex nostris auferre mentibus „. Et postea, quod caput est rei, attingens, David rege in exemplum adducto, faciente iudicium et iustitiam in toto populo suo pergit; „ Te vero esse cernimus iniustum iudicem, cultorum Dei interfectorem. Cur nos persequeris? Nempe quia „ noluerimus, ut tu es, fieri apostatæ: quia noluerimus unicum Dei negare filium &c. Noli, „ Constanti, cum Arianis pugnare contra Dei „ domum: noli idololatriam Arii introducere in „ Ecclesiam, noli negare unicum filium Dei, desine persequi apostolicam atque evangelicam fidem. Hæc quia dicimus, videmur esse tibi „ inimici: sicut fuerunt regi vera sibi dicentes inimici „. Post duos libros pro S. Athanasio sequitur *de regibus apostaticis* liber unus: *de non conveniendo cum hæreticis* liber ad eundem Constantium imp. iterumque *de non parcendo in Deum delinquentibus*, ubi eum *a*) palam hæreticum vocat, quem repererit operibus suis esse unum ex illis, de quibus beatus Ioannes: *audistis, quia antichristus venit: nunc autem antichristi multi sunt. b*) Et postea de quatuor bestiis Daniel. VII. quatuor regna designantibus „ cæterum (inquit) „ quartæ illius bestiæ te gerere similitudinem, te „ hæc implere esse cupientem, quæ de illa prædicta sunt, quod esset impletura, manifestum „ est. Scriptum est enim de antichristo, cui tu „ assimilaris, aut ipse esse iudicaris: verba adver-



*a*) n. 17. p. 230. *b*) n. 18. p. 231.

„ sus altissimum Dominum loquetur, et sanctos „ altissimi Dei inveterabit, et cogitabit mutare „ tempora et legem: et dabitur in manu eius „. Libello proximo inscripto: *Moriendum esse pro Filio Dei*, novissima etiam ex apostolo ingeminat tempora Tim III. et IV. „ De te (inquit) ac tibi „ dilectissimis comperditis tuis spiritus autem ma„ nifeste dicit, quia in novissimis temporibus re„ cedent quidam a fide &c. „ Hæc vero nimio zelo abreptus auctor etiam schismatis de suo nomine dicti.

S. Gregorius Nazianz. orat. IV. et V. *in Iulianum apostat.* in huius tyranni comparatione omnes eloquentiæ vires colligit *a)* ad excusandum Constantium, crimenque *importunitati procerum fideique eorum pravitati tribuendum*, edicit. Orat. XXI. in laudem magni Athanasii *b)* de Gregorio, eius loco Alexandrinæ sedi intruso, locutus: „ Quin etiam (ait) imperatoris simplicitatem si„ bi conciliat: sic enim ego levitatem appello, „ pietatem venerans. Nam si vere dicendum „ est, zelum habebat, verum non secundum „ scientiam „. Et postea *c)* de Constantii morte: „ Hic vitam cum morte commutat adversarii „ pastoris confirmator et patronus, qui malum „ haud malo animo imperio præfecerat, (Iu„ lianum) atque inutili ut ferunt, pœnitentia „ in extremo vitæ spiritu affectus, cum ni„ mirum ob alterius seculi tribunal æquus re„ rum sacrarum unusquisque iudex est. Tria „ enim hæc esse aiunt, ob quæ tanquam im„ perio

*a)* Orat. IV. n. 37. p. 94. *b)* n. 21. p. 399. *c)* n. 26. p. 402.

„ perio suo indigna pœnitentia ductus fuerit :
„ primum quod propinquis suis necem intulisset :
„ alterum, quod Julianum apostatam Cæsarem
„ nominasset : postremum quod novis fidei dog-
„ matibus studuisset : simulque cum his vocibus,
„ e vita discessisse fertur „. At vero rem, prout erat, breviter describens orat. XXV. in laudem Heronis philos. sic (de hæresi Ariana agens) de Constantio imp. *a*) loquitur „ Rursus malum impe-
„ rium, et rursus malum reviviscit, ac velut
„ subputridum maleque obductum vulnus aperi-
„ tur, et erumpit: gravesque lupi, alii aliunde
„ nos intercipientes Ecclesiam discerpunt. Arman-
„ tur sacerdotes adversus sacerdotes, plebs adver-
„ sus plebem furibundo impetu fertur; imperator
„ ipse impietati auctoritatem præbet, atque adver-
„ sus orthodoxam doctrinam leges instituit : ii-
„ que præterea, qui nec in virorum nec in mu-
„ lierum numero censendi sunt, quorum magna
„ erat apud eum potentia. Quis vero temporis
„ illius mala pro dignitate deplorare queat ? Exi-
„ lia, bonorum proscriptiones, ignominiæ no-
„ tas &c. „

---

*Valens Arianus Orthodoxorum persecutor; et religionum omnium fautor.*

Id vero est animadvertendum, S. Gregorium res Constantii hic coniungere cum persecutione Iuliani, qua tamen perbrevi mox Valentis (quem pius Iovianus imprudens in societatem imperii adoptaverat) persecutionem acerbiorem dicit *b*)

N 5 ut-

*a*) n. 9. p. 460. *b*) Ib. p. 461.

utpote „ quæ christianorum patrocinium ad de-„ fensionem impietatis suæ prætexens, viros „ christianos aggreditur„. Sicque Ecclesiæ militanti congrediendum iterum in gremio suo fuit, piæ matri cum impiis filiis, gementibus fidelibus atque conquerentibus cum propheta, pastoribus præsertim dira perpessis pro fide: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Hos persecutus congressus, ipse etiam pugnæ cum S. Basilio particeps S. Gregorius, dum S. Athanasium laudat, Lucium atris coloribus depingit, sedis Alexandrinæ ab Arianis destinatum invasorem, atque Palladii præfecti in orthodoxos immanitatem describit, cruciatus mulierum etiam et virginum pudendos, sacra profanis pedibus conculcata, altaria fœdata. *Hanc tragœdiam*, subdit, *Oriens quidem vidit, at Occidens quoque deflevit, cuius immanitatis huius signa fugitivus antistes* (Athanasius) *publice spectanda proposuit.* Revocatus tamen S. Athanasius a Valente imp. seditionem Alexandrinorum formidante an. 368. synodum Alexandriæ habuit, ut anno præcedente pro confirmanda fide Nicæna, Damasus P. Romæ, iterumque S. Athanasii aliorumque episcoporum hortatu an. 370. contra Auxentium.

Nihilominus vero anno sequenti Valens composita cum Gothis pace, ad impugnandam catholicam fidem imperii vires convertit, Cappadociam, atque S. Basilium imprimis petens, hæreticorum agmine cinctus. Nazianzum quoque transiens frustra confectum senio Gregorium episcopum aggressus est, ut ex S. Gregorii filii, et

in

in Ecclesia Nazianzena successoris orat. XVIII. constat. Qui ipse etiam triumphi illius particeps, ac S. Basilii in huiuscemodi contra Valentem, Arianorum hyperaspisten, præliis socius fuit, quemadmodum elucescit ex eiusdem orat. XLIII. funebri *in laudem Basilii magni Cæsareæ in Cappadocia episcopi.* Ubi postquam communia utriusque a prima iuventute studia, Athenis primum, dein in monachatu et clericatu *a*) item commemorasset, prosequitur: „ Cum in his studiis versaremur, ingruit subito nubes grandinis plena, et exitiose stridens, quæ obtrivit ecclesias omnes, in quas cecidit, et quascunque invasit; imperatorem dico auri amantissimum, et Christi inimicissimum, ac duabus his gravissimis morbis, inexplebili nimirum avaritia, et blasphemia laborantem: qui post persecutorem persecutor extitit, et post apostatam, non quidem apostata, sed nihilo tamen melior christianis, vel ut rectius loquar, christianorum piissimæ, et purissimæ parti ac Trinitatis cultrici, quam quidem solam pietatem ac salutarem doctrinam appello „. Barbaricam postea hanc incursionem vocat, quam una cum Valente susceperit „ exercitus ipso dignus, improbi ecclesiarum gubernatores, sævi atque immanes orbis illius, qui ipsius imperio et ditioni subiectus erat, tetrarchæ. „

Tunc nobis magnum S. Basilium sistit ex eremo ad subsidium fidei accurrentem: qui tam scriptis, quam etiam coram congressus primum cum

*a*) Orat. XLIII. n. 30. p. 79.

cum præfecto, deinde cum ipso Valente, utrumque vicit, ac divina etiam virtute sibi devinctos reddidit, ut ibidem solita eloquentia prosequitur Gregorius Nazianzenus. Gregorius vero Nissenus dum immensa, quibus omnes ecclesias afflixit persecutio illa, enarrasset mala, enumerassetque provincias orbis christiani *a)* subdit: „ Quæ
„ ex his omnibus provinciis calamitatis huius ex-
„ pers fuit, nisi forte illa, quæ antea hoc malo
„ tenebatur? Solus ex omnibus populus Cappa-
„ dox, communem cladem et ærumnam non
„ sensit, quem magnus noster propugnator ex
„ omnibus tentationibus eripuit„. Hanc ille in prima statim agressione, quam memoravimus, celebrat victoriam: quam eodem robore intrepidus cum ipso imperatore Valente (ne quid de conflictu ob eandem Nicænæ fidei causam cum coquorum præfecto, qui tantum non præcipuo erat apud imperatorem loco, dicam) congressus reportavit, ab ipsis his laudatus demum, ob libertatem et constantiam episcopo dignam, hostibus, et reveritus ab imperatore, etiam dum iterato eum ab altari removeret.

Nescio an Valens hac in fidem orthodoxam immanitate plus Ecclesiæ catholicæ nocuerit, quam eo quod Gothos, gentem, quæ deinceps Orientem ac Occidentem cum Africa inundavit, a fide catholica, cui hactenus addicti erant, ad hæresin Arianam deflexerit, Ulphila eorum episcopo illecebris, et muneribus Eudoxiæ uxoris Valentis in errorem abducto, atque Gothis, ut co-

a) l. contr. Eunom. p. 326.

comunicarent in fide cum Valente et Eudoxia, persuadente: ac si nihil interesset, quod rem spectat, inter utramque doctrinam, Arianam ac catholicam, nisi in vocibus quibusdam, ut pluribus rem Theodoretus *a)* enarrat.

Accessit ad cumulum impietatis, quod vicissim sibi Valens persuaderi sit passus a Themistio philosopho gentili, quasvis sibi adversas sectas eandem honorare, suo quælibet ritu, divinitatem; cumque Deus omnes, illas perinde sustineat, argumentum esse, quod earum nullam despicere, ac proinde æque singulas tolerare queat imperator. Quam in rem prostat Themistii oratio, narrantque rem Socrates et alii historici: teste quoque Paulo diacono *b)* „ Valens in Antiochia „ plurimo tempore commoratus, omnibus licen„ tiam dedit, sua sacra celebrandi, gentilibus sci„ licet, atque Iudæis, nec non omnibus hære„ ticis „. Eodem porro, quo Themistius argumento de indifferentia cultus divini, usus est postea sub Valentiniano iuniore Symmachus urbis præfectus, supplicans nomine senatus Romani, ut restitueretur ara victoriæ, ut in eius relatione *c)* legere est.

---

*Valentinianus sen. in exordio imperii circa damnum veræ religionis indifferens, iunior instinctu matris defraudator.*

Ad Valentinianum sen. Valentis fratrem provocatur in mox memorata relatione Symmachi,

*a)* lib. IV. c. 32. *b)* lib. XII. hist. misc.
*c)* S. Ambros. opp. T. II. p. 828.

machi, iuniorem n. 17. ita alloquentis: „ Faveant clementiae vestrae sectarum omnium arcana praesidia: et hoc maxime, quo maiores vestros aliquando iuverunt, vos defendant, a nobis colantur. Eum religionum statum petimus, qui divo parenti culminis vestri servavit imperium, qui fortunato principi legitimos suffecit haeredes „. De eodem Ammianus Marcellin. narrat, eo moderamine principatus ipsum inclaruisse; „ quod inter religionum diversitates medius stetit, nec quemquam inquietavit; nec, ut hoc coleretur, aut illud, imperavit; nec interdictis minacibus subiectorum cervicem ad id, quod ipse coluit, inclinabat: sed intemeratas reliquit has partes, ut reperit „. Haec scriptor gentilis post paganismum iam a Constantino et eius filiis impp. christianis ubique proscriptum, nimiam quoque exaggerando hic indulgentiam Valentiniani: cuius quidem extat *a*) haruspicinae indulgentior lex, eodem titulo, quo habetur Constantini et Constantii filii contra augures inter tot eiusdem codicis gravissimas leges contra paganam superstitionem. Nec in sua, a nobis memorata, lege Valentinianus aliquam *praeter concessam a maioribus*, *religionem* indulgere, videri posset, ni demum ad leges provocaret in exordio sui regiminis datas, *quibus unicuique*, *quod animo imbibisset*, *colendi*, *libera facultas tributa est.* Procul vero ab hac Valentiniani indulgentia abfuit cognominis filius, delegatione ad eum (ut ex S. Ambrosio *b*) discimus) ite-

*a*) Cod. Theod. L. IX. tit. 16. c. 9. *b*) T. II. p. 1179. de obitu Valent. n. 19.

iterato a Romanis gentilibus facta pro restitutione sacrorum profanorum, quæ recens iterum inhibuit Gratianus frater huius Valentiniani iun. quem sic loquentem S. Ambrosius inducit: „ Quod „ pius frater eripuit, quomodo a me putatis, esse „ reddendum? Cum in eo et religio lædatur, et „ frater, a quo se, nollet, pietate vinci. Et „ cum paterno conveniretur exemplo, quod sub „ patre suo ea nullus abstulerat, respondit: Pa- „ trem meum laudatis, quia non abstulit, nec „ ego abstuli. Numquid pater meus reddidit, ut, „ me debere reddere, postuletis? Postremo etiam, „ si pater reddidisset, frater abstulerat; imitato- „ rem in ea parte fratris esse me, mallem. Aut „ numquid meus pater Augustus fuit, et frater „ non fuit? Par utrique debetur reverentia, et „ par utriusque est circa rempublicam gratia. „ Utrumque imitabor: ut et non reddam, quod „ pater reddere non potuit, quia nullus abstule- „ rat; et servem, quod a fratre est constitutum. „ Postulet parens Roma, alia quæcunque deside- „ ret: debeo affectum parenti, sed magis obse- „ quium debeo salutis autori. „ Hæc S. Ambrosius, postea in eodem sermone *a)* specimina tamen sinceræ religionis Valentiniani patris, a Socrate *b)* etiam, Sozomeno, *c)* et Theodoreto *d)* memorata, refert; *qui*, inquit, *militiam sub Iuliano, et tribunatus honores fidei amore contempsit.* Qui idem alias se obsequentem S. Ambrosio et devotum præbuit, his etiam (ut perhibet *e)* Theodoretus) eum verbis obtestatus: *Sicut divi-*

*na-*

*a)* n. 55. p. 1188. *b)* Hist. lib. I. c. 1. *c)* Hist. lib. VI. c. 6. *d)* Hist. lib. III. c. 16. *e)* lib. IV. c. 6.

*na præscribit lex, nostrorum animorum erratis medicinam facito.* Factum hinc, ut Valentinianus aliam indueret mentem, quam memorata lege in imperii primordiis præsetulerat, strenuus orthodoxæ fidei Nicænæ propugnator. Quippe (quod narrat Theodoretus) comperto, esse in Asia et Phrygia convellentes eam fidem, convocat in Illyrico concilium, ibi fidem Nicænam constabilit, edicto per totum imperium promulgato, communicatis etiam litteris, ea de causa in Orientem missis Valenti fratri, frustra commonito, atque fidem modis omnibus sufflaminanti.

Interea dum hæc in Oriente designabantur a Valente contra orthodoxam, fidem prælia, Occidentis Ecclesia vero auspiciis et auctoritate sedis apostolicæ apostolicorumque virorum Hilarii, Ambrosii ac cæterorum pastorum vigilantia orthodoxam fidem, strenue decertans, eminus cominusque, tueretur, Gratianus Valentis ex fratre nepos S. Ambrosium rogat, ut sibi commentationem, qua Filii Dei divinitas adstrueretur, elucubraret: quo scilicet, patruo a Gothis maximis cladibus affecto suppetias in Oriente laturus, et regiones Arianorum contagione infectas aditurus, alexipharmacum præsto haberet. Valens autem Gratiano invidens, sociumque quasi victoriæ detrectans, funestissimum illud prælium præproperavit, in quo cum omnibus orientalis imperii viribus profligatus, ipse agresti tuguriolo vivus combustus est an. 378. Lactantio, si reviviseceret, novum *de mortibus persecutorum* argumentum præbiturus.

Gra-

Gratianus imp. haud dubie cautior factus fuit Valentiniani patris periculo, qui sibi ab Auxentii, Mediolanensis episcopi Ariani ante S. Ambrosium, technis non satis caverat, postquam Mediolani S. Hilarius cum eo congressus fuerat. Qua de re extat inter opera eius *contra Arianos, vel Auxentium Mediolanensem* liber unus, *dilectissimis fratribus in fide paterna manentibus, et Arianam hæresin detestantibus, episcopis, et omnibus fidelibus* a) inscriptus. Parcit S. Hilarius Valentiniano non solum in eo libro, sed et comitibus aliisque, quos Auxentius deluserat, in hunc unum calamum stringens.

Digressus Mediolano atque Italia, ubi per unum alterumque annum fuerat, in Gallias, suamque ad ecclesiam Pictaviensem S. Hilarius, ut in orthodoxa fide firmaret patriam, victor rediit; post se consecutus in Italia ac Mediolani imprimis, sede iam plerumque imperiali, parem sibi pugilem pro fide S. Ambrosium, cui post decem, et quod excedit, annos cum iisdem Auxentio et Valentiniano iuniore in arenam descendendum fuit, instigante filium matre Iustina Ariana, quæ pace tandem cum Maximo conciliata pro filio, ab Ambrosio an. 358. instante Resurrectionis Dominicæ festo pro Arianis ecclesiam portianam extra urbem quidem postulavit; S. Ambrosius vero cum populo Mediolanensi invicte ac constanter, etsi pro imperatore peteretur, detrectavit. „ Quid enim ( ait *b*) sermone contra Auxentium ) de basilicis tradendis timeamus pro



a) p. 1263. b) T. II. p. 872.

„ Christi nomine? Nisi forte illud movere me „ debet, quod aiunt: ergo non debet imperator „ unam basilicam accipere, ad quam procedat: „ et plus vult Ambrosius posse, quam imperator, „ ut imperatori prodeundi facultatem neget? „ At initio statim sermonis declarat athleta, deserendæ ecclesiæ sibi voluntatem subesse non posse: *quia*, ait *a*) *plus Dominum mundi quam seculi huius imperatorem timerem.* Sic etiam vasa sacra tradere eadem de causa paulo post detrectat, contestatus *b*) se „ templo Dei nihil posse decerpere, „ nec tradere illud quod custodiendum, non tra- „ dendum acceperim. Deinde (addit) consulere „ me etiam imperatoris saluti, quia nec mihi „ expediret tradere, nec illi accipere: accipiat „ enim vocem liberi sacerdotis, si vult sibi esse „ consultum, recedat a Christi iniuria. Hæc ple- „ na humilitatis sunt, et ut arbitror plena af- „ fectus eius, quem imperatori debeo „. Nec etiam adduci potuit, ut vocatus huius rei causa, palatium accederet, „ Utinam (aiebat) essem „ securus, quod ecclesia hæreticis minime trade- „ retur, ad palatium imperatoris irem libenter, „ si hoc congrueret sacerdotis officio, ut in pa- „ latio magis certarem, quam in ecclesia. Sed „ in consistorio non reus solet Christus esse, sed „ iudex. Causam fidei in ecclesia agendam quis „ abnuat? „ In epistola de hac re ad ipsum Valentinianum provocat ad hoc Auxentio datum responsum, simulque Valentiniano huic iuniori revocat in memoriam responsum quod parens illius Valentinianus senior (qui etiam Mediolani omnia tem-

*a*) n. 2. p. 864. *b*) n. 5. p. 865.

templa catholicis restitui iusserat, dum filius contra lege data libertatem postea fecit, sese congregandi, iis omnibus, quibus eandem Constantius dedit post concilium Ariminense, teste *a*) Sozomeno: „ Mihi quidem in laicorum ordine constituto fas non est, huiusmodi negotia curiosius „ scrutari: Sacerdotes vero, quibus id curæ est, „ seorsim ubicunque voluerint, conveniant „. Hoc præ oculis posito S. Ambrosius respondens *b*) ait: „ ut arbitror competenter. Nec quisquam contumacem me iudicare debet, cum hoc adseram, „ quod augustæ memoriæ pater tuus non solum „ sermone respondit, sed etiam legibus suis sanxit: in causa fidei vel ecclesiastici alicuius ordinis eum iudicare debere, qui nec munere „ impar sit, nec iure dissimilis; hæc enim verba „ rescripti sunt, hoc est, sacerdotes de sacerdotibus voluit iudicare. Quin etiam si alias quoque argueretur episcopus, et morum esset examinanda causa, etiam hæc voluit ad episcopale „ iudicium pertinere „. Mox ipsissimis fere S. Athanasii verbis utitur, quæ Patres San-Maurenses adnotarunt: *Quando a condito ævo auditum est? Quando iudicium Ecclesiæ auctoritatem suam accepit?* Enimvero cavet in eo sermone, nequid contra honoris imperatori debiti veniam proferat, studiose tamen ad finem usque insistens *c*) Ecclesiam Dei esse, cæsari eam non debere addici: „ Quia, ( subdit ) ius cæsaris esse non potest Dei „ templum. Quod cum honorificentia imperatoris dictum nemo potest negare. Quid enim

 „ ho-

*a*) Lib. VI. c. 7. *b*) Ep. XXI. Cl. I. T. II. p. 860.
*c*) n. 35. et 36. circa finem p. 873.

„ honorificentius, quam ut imperator Ecclesiæ
„ filius esse dicatur? Quod cum dicitur, sine
„ peccato dicitur, cum gratia dicitur: imperator
„ enim intra Ecclesiam, non supra Eccesiam est.
„ Bonus enim imperator quærit auxilium Eccle-
„ siæ, non refutat. Hæc ut humiliter dicimus,
„ ita constanter exponimus. Sed incendia aliqui,
„ gladium, deportationem minantur. Didicimus
„ Christi servuli non timere. Non timentibus
„ nunquam est gravis terror „.

Cum occiso Gratiano Maximus imperium Occidentis invasisset, diu tergiversatus est S. Martinus Turon. eius mensam accedere, Treviris fidei causa commoratus, Priscilliano hæretico Gnosticorum obscænitates revocante ac maleficiis dedito, ne in synodo damnaretur, ad cæsarem provocante, nec constanter satis Ithacio et aliis synodi Burdegalensis sese opponentibus. Tunc S. Martinus, ut in historia sacra *a)* rem narrat Sulp. Severus, „ non desinebat increpare Itha-
„ cium, ut ab accusatione desisteret, Maximum
„ orare, ut sanguine infelicium abstineret, satis
„ superque sufficere, ut episcopali sententia hære-
„ tici iudicati ecclesiis pellerentur: novum esse,
„ et inauditum nefas, ut causam Ecclesiæ iudex
„ seculi iudicaret „. Interfectus est 388. Maximus in prælio a Valentiniano, non semel prius devicto. Cumque iterato ab insidiante Maximo fugiendum esset Valentiniano, hæc sibi mala obvenire ob propugnatam hæresin Arianam, divexatamque Ecclesiam, eum commonuit Theodosius Thes-

*a)* lib. II. c. 50.

Thessalonicæ; ubi ipse hic Theodosius strage 7000. hominum facta, morigerum sese exhibuit ad pœnitentiam, a S. Ambrosio redux Mediolanum abstentus iuxta ordinem ecclesiæ, *a)* „ et ecclesia-
„ stica coercitus disciplina, sic egit pœnitentiam,
„ ut imperatoriam pro illo celsitudinem popu-
„ lus orans magis fleret videndo prostratam, quam
„ peccando timeret iratam. Hæc ille secum, et
„ si qua similia, quæ commemorare longum est,
„ bona opera tulit, ex isto temporali vapore
„ cuiuslibet culminis, et sublimitatis humanæ,
„ quorum operum merces est æterna felicitas,
„ cuius dator et Deus solis veraciter piis &c. „

## CAPUT XXV.

*Oriens hæresibus contaminatus: Schisma Donatistarum in Africa demum ope catholicorum principum oppressum, perinde ac hæreses legibus etiam impp. repressæ.*

Religione nihil antiquius habuit pius Theodosius „ex ipso imperii sui exordio non quievit,
„ iustissimis et misericordissimis legibus adversus
„ impios laboranti ecclesiæ subvenire, quam
„ Valens hæreticus favens Arianis vehementer af-
„ flixerat, cuius Ecclesiæ se membrum esse magis,
„ quam in terris regnare gaudebat „. *b)* Ad Nicænam fidem confirmandam an. 381. generale Cpoli concilium convocavit, restitutis iam antea ecclesiis, quas Ariani occupaverant sub Constantio et Valente impp. Sed nimis altas radices egit

 error,

*a)* S. Augustin. lib. V. de civit. Dei c. 26. *b)* Id. l. c.

error, Vertumni instar variam induens faciem, plerisque ex ordine ecclesiastico episcopis hæreticorum antesignanis. Nec Ariana solum lues Cpoli grassabatur, Arianorumque secta pessima Eunomianorum, verum etiam præter veteres hæreses Novatianorum, Sabellianorum, Photinianorum, Marcellianorum, recens Apollinaristarum et Macedonianorum caput erigebant, hæcque potissimum coriphæo Macedonio episc. Cpolitano, contra quem eiusque sectatores pneumatomachos, potissimum curandum fuit Patribus concilii Cpolitani I. ut tunc exulari quasi Cpoli saltem videri potuisset Ariana hæresis, nisi fuisset iterum a Gothis Arianis confota.

Quamobrem ineunte sec. V. eadem constantia, quam modo in S. Ambrosio vidimus Mediolani in ecclesia occidentali, agendum fuit S. Chrysostomo Cpoli in Oriente, ne ecclesia Arianis concederetur, quam Gainas Gothus, ab Arcadio magister militiæ constitutus, Arianus sibi suisque constituerat. *a*) Advocavit S. Chrysostomum imperator, quid Gainas postularet, exponit, eiusque potentiam ac tyrannidem, quam haud obscure meditetur. At nihil his motus S. Præsul respondet, imperatoris non esse talia polliceri, nec danda esse sancta canibus: se catholicos ecclesia eiicere non posse, ut Arianis hæreticis pateat. Nec minori constantia ipsi Gainæ rem negavit, eumque postea, ut porro narrat Theodoretus c. 33. tyrannidem molitum, ipse suscepto in Thraciam itinere adit, benigne quidem susceptus; bella vero ille, quæ nihil-

*a*) Theodoret. lib. V. c. 32.

nihilominus prosecutus est, morte postea luit. Lectu dignissimum est S. Chrysostomi vigoris plenum apud Theodoretum colloquium in medium prolata etiam Theodosii lege, qua Cpoli quasvis sectas a fide catholica alienas exesse iussit, cum ante Theodosium nec unam haberent ecclesiam catholici, quam agente Greg. Nazianzeno reddens Theodosius hinc Anastasiam in testimonium resuscitatæ orthodoxæ fidei vocari iussit teste Sozomeno. *a)*

Per maiorem quidem seculi V. partem imperatores, Theodosii vestigiis insistentes, religiosi fuerunt et observantes erga Ecclesiam eiusque decreta, quæ promoventibus illis contra hæreses Nestorianam et Eutychianum in conciliis œcumenicis Ephesino et Chalcedonensi emanarunt: prævaluit tunc, quod ineunte seculo Honorius ad Arcadium rescripsit: *Si quid de causa religionis inter antistites ageretur, episcopale oportuerit esse iudicium: ad illos enim divinarum rerum interpretatio, ad nos religionis spectat obsequium.*

At vero inquies, Græcorum ingenium ac philosophandi prurigo novos hæresiarchas protulit, qui ut superiore seculo mysterium Trinitatis, ita iam sec. V. conati sunt evertere mysterium Incarnationis, dum favent iterum seculi principes, suisque edictis patrocinantur erroribus, et quæ legitime in senatu conciliorum ab Ecclesia iam sunt irrefragibiliter ac infallibiliter constituta, sufflaminant, seseque religionis negotiis ultra tutelæ et patrocinii modum (quod semper male cessit) in-



a) Lib. VII. c. 5.

gerunt, ac tribunal ad versus tribunal erigunt. Eiusmodi est famosum in Eutychiana hæresi Zenonis imp. henoticum ad eludendum Chalcedon. concilium. Eius nobis malam indolem, atque infrunitam licentiam Evagrius, Zonaras, Theophanes, Cedrenus loquuntur, eo progressam, ut ethnica etiam consuleret oracula. Henotici Zenoni imp. idem auctor fuit Acacius, qui etiam schismatis occidentalem inter et orientalem ecclesiam æmulatione quadam Romæ (quam veterem dicebant) ac novæ, Cpolis nimirum; quæ sec. V. conciso a barbaris imperio, Romaque toties direpta, et a Gothis (novo genere hostium militantis ecclesiæ ubique gentium diffuso) occupata, una fuit imperatorum sedes ac regia.

Grassabatur adhuc sec. V. Donatistarum in Africa schisma, quod levi de causa sub primo christiano principe Constantino ortum, Ecclesiam discidit, genio omnium retro seculorum schismaticorum, qui *a)* „ non habentes Dei dilectio-
„ nem suamque utilitatem potius considerantes,
„ quam unitatem Ecclesiæ propter modicas et
„ quaslibet causas magnum et gloriosum corpus
„ Christi conscindunt, et dividunt. Nulla ab eis tan-
„ ta fieri potest correptio, quanta est schismatis
„ pernicies. Iudicabit eos omnes Deus, qui sunt
„ extra veritatem, hoc est extra Ecclesiam. &c. „

Perfugium Donatistæ primum apud imperatorem quærebant patrociniumque perfidiæ suæ erga Ecclesiam, quod, dum postea a religiosis imperato-

*a)* Irenæ. contra hæref. lib. IV. c. 62.

ratoribus impensum ad eosdem unitati Ecclesiæ restituendos, indignabantur, ut illis S. Augustinus *a*) exprobrat: „ Quod (inquit) in nobis modo reprehendunt, ut decipiant imperitos, dicentes: non „ debere christianos contra inimicos Christi aliquid „ a christianis imperatoribus postulare, ipsi priores fecerunt. Quod etiam in collatione, quam „ simul apud Carthaginem habuimus, negare non „ sunt ausi: imo et gloriari ausi sunt, quam apud „ imperatorem maiores eorum criminaliter Cæcilianum fuerint insecuti, insuper addentes mendacium, quod eum illic vicerint, fecerintque „ damnari „. Memorabilis est apologetica illa epistola pro Ecclesiæ simul pastoribus principum contra hæreticos et schismaticos auxilium implorantibus, ac principibus illud impendentibus; ubi de rege statuit illa: „ Aliter enim servit, quia homo est, „ aliter quia et rex est. Quia vero etiam rex est, „ servit, leges iusta præcipientes, et contraria „ prohibentes, convenienti vigore sanciendo, sicut servivit Ezechias. Et: posteaquam cœpit „ impleri, quod scriptum est: et adorabunt eum „ omnes reges terræ, et omnes gentes servient „ illi: quis mente sobrius regibus dicat: nolite „ curare in regno vestro, a quo tueatur, vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri „.

Eiusdem argumenti est S. Augustini epistola XCIII. *ad Vincentium* *b*) e schismate Rogatiano reversum episcopum, in qua testatur, sibi visum olim, cum hæreticis non nisi verbo Dei et ratione agendum, verum sententiis aliorum, exemplis-



*a*) Epist. CLXXXV. ad Bonifacium. *b*) Tom. II. p. 230.

plisque superatum mutasse sententiam, et arbitrari, leges principum recte implorari adversus hostes fidei, modo id fiat animo corrigendi, non studio vindicandi. Momenta S. Patrem, ut in aliorum mentem concederet, impellentia passim ipse depromit, ubi in hoc versatur argumento. Sic Donatistas ex voce religionis stringens *a*) infit: „ Profecto religio est, qua te ad nostram communionem præceptum imperatoris impellit. Unde „ fit consequens, ut religio sit etiam, qua christianus imperator ad curam suam, iudicat, pertinere, ne in res divinas impune peccetur „. Ingeminabant illud apostoli: *mihi vindicta et ego retribuam*, quos incessens S. Augustinus sic retundit: „ Clamate, si audetis, puniantur homicidia, puniantur adulteria, puniantur cætera, „ quantalibet, sceleris sive libidinis facinora, sive „ flagitia, sola sacrilegia volumus a regnantium „ legibus impunita.... Hæc dicentes quid aliud „ dicitis, nisi nulla hominis potestas contradicat, „ atque obstrepat nostro libero arbitrio, quando „ iniuriam facimus Deo. O dolor! fraudata sunt „ tali magisterio tempora antiqua, quando sanctus Moses iniurias suas levissime perculit, Dei „ vero severissime vindicavit „. Religiosi principes quique, inde a primo imperatore christiano Constantino leges contra hæreticos, sub hoc titulo collectas in codice iussu Theodosii iun. confecto sanxerunt, leniores hi, illi severiores, etiam sanguinarias, veluti ex condicto (ut observat *b*) P. Lud.

*a*) Lib. II. contra Gaudent. n. 13. T. IX. p. 674.
*b*) Traité dogmatique et hist. des edits et des autres mo-

Lud. Thomassinus) cum episcopis, qui, apud principes interveniendo, oves errantes suaviter ad Christi gregem, unitatemque catholicam revocarent, testante Sozomeno *a*) de Theodosio M. eum contra omnes ab Ecclesia catholica alienas sectas „ graves quidem legibus adscripsisse pœnas, sed „ ut metum incuteret subditis suis, studebat, ut „ sibi in divinis concordes fierent; siquidem et „ illos laudabat, qui sua sponte convertebantur „. Ruffinus quoque *b*) de eodem narrat hæc: „ Ad „ Orientem regressus, ibique, ab exordio prin„ cipatus sui summa cura, summoque studio pul„ sis hæreticis, ecclesias catholicis tradere, idque „ ea moderatione agere, ut, ultione contempta, „ tantum catholicis de ecclesiarum restitutione „ consuleret, quo fides recta absque prædicatio„ nis impedimento proficeret „. Alia aliorum imperatorum christianorum a Constantino M. inde in eandem sententiam dicta, atque eiusdem tenoris vigorisque leges et edicta laudatus Thomassinus in medium profert passim per decursum operis, Valentiniani etiam senioris et Maximi, qui interrogatus de sua fide a Siricio P. id sibi animi et voluntatis esse professus est, „ ut fides catholica procul „ omni dissensione submota, concordantibus uni„ versis sacerdotibus, et unanimiter Deo servien„ tibus, illæsa et inviolabilis perseveret. „

CA-

iens spirituel. et temporel. dont on s'est servi dans tous les tems pour etablir, et pour maintenir l'unité de l'Eglise cath. T. I. p. 469.

*a*) L. VII. c. 12. *b*) Lib. I. c. 19.

## Caput XXVI.

### *Roma Occidensque moribus depravati.*

Attamen auctoritate Romanæ Ecclesiæ in Oriente perinde in conciliis oecumenicis, quam in Occidente absque conciliis pontificum Romanorum, a primordio seculi V. usque ad finem, a S. Anastasio primo usque ad secundum, summorum virorum, nec non maximorum doctorum SS. Hieronymi et Augustini imprimis opera hæreses sunt prostratæ, fidesque orthodoxa aut servata est, aut saltem obex positus, ne torrentis instar uti in Oriente grassaretur error præsertim Arianus, serpensque Manichæismus.

Deterior vero in tanta barbararum gentium colluvie Romani imperii status fuit, politiam quod spectat et mores: quem non solum in suis sermonibus, sed aliis etiam operibus passim perstringunt SS. Patres, S. Hieronymus imprimis Romanorum præcipue, ac Romani imperii *in quo uno*, ut iam supra c. 13. ex eodem S. Patre meminimus, *propter antichristum blasphemantem omnia simul regna delenda sunt.* De ipsa Roma vero sub Paulæ et Eustochii nomine ad Marcellam scribens *a)* hortansque, ut spreta Roma ad Bethlehem terramque sanctam commigret. „Et hic (ait) „puto locus sanctior est rupe Tarpeia, quæ de „cœlo sæpius fulminata ostendit, quod Domino „displiceret. Lege Apocalypsim Ioannis, et „quid de muliere purpurata, et scripta in eius fron-

*a)* Ep. XLIV. T. IV. p. 551.

„ fronte blasphemia, septem montibus, aquis „ multis, et Babylonis cantetur exitu, contue„ re „. *Exite inquit Dominus, de illa populus meus, et ne participes sitis delictorum eius, et de plagis eius non accipiatis.* „ Ad Ieremiam quo„ que regrediens scriptum pariter attende „; *Fugite de medio Babylonis, et salvate unusquisque animam suam. Cecidit enim, cecidit Babylon magna, et facta est habitatio dæmonum, et custodia spiritus immundi.* „ Est quidem ibi sancta Ec„ clesia, sunt trophæa apostolorum et martyrum, „ est Christi vera confessio, est ab apostolo præ„ dicata fides, et gentilitate calcata in sublime „ se quotidie erigens vocabulum christianum, sed „ ipsa ambitio, potentia, magnitudo urbis, vide„ ri et videre, salutari et salutare, laudare, et „ detrahere, vel audire vel proloqui, et tantam „ frequentiam hominum saltem invitum videre, „ a proposito monachorum, et quiete aliena „ sunt „. Integrum necesse fuit recensere locum, ut in Roma tunc quamvis haud integra (ut mox videbimus) christiana, pium ab impio, religiosum ab irreligioso, rectum a perverso discriminetur. Idem *a*) in illa Isa. c. XXIV. verba *attrita est civitas vanitatis &c.* „ Ingeramus (inquit) „ hoc testimonium his, qui in conviviis non so„ lum gula et ebrietate, sed et auribus luxuriant, „ ut per omnes sensus animæ fortitudo mollescat. „ Atteretur civitas, vel spiritualis Babylon, quæ „ sedet in septem montibus purpurata, cuius sup„ plicia in apocalypsi Iohannis legimus. Pulcre„ que dixit urbem vanitatis, si enim de-cœlo et

„ terra

*a*) Comment. lib. VIII. T. III. p. 209.

„ terra et de omnibus quæ terrena ſunt dicitur:
„ vanitas vanitatum et omnia vanitas, quanto ma-
„ gis hoc de una urbe dicendum eſt, quæ orbis
„ pars modica eſt? „ Palam hinc eſt, Romam profanam non ceſſaſſe Babylonem eſſe, poſtquam chriſtianos accepit imperatores, quo temporis intervallo S. Hieronymus ſe Romæ *in Babylone verſatum, et purpuratæ meretricis fuiſſe colonum*, teſtatur: *a*) nec etiam poſt excidium. Qua de re S. Auguſtinus ſingulari capite in opere *de civitate Dei b*) agens *de vitiis Romanorum, quos patriæ non correxit everſio*, exclamat: „ O mentes amen-
„ tes, quis eſt hic tantus non error, ſed furor,
„ ut exitium veſtrum (ſicut audivimus) plangen-
„ tibus orientalibus populis, et maximis civita-
„ tibus in remotiſſimis terris publicum luctum
„ mœroremque ducentibus vos theatra quærere-
„ tis, intraretis, impleretis, et multo inſaniora,
„ quam fuerant antea, faceretis? „ Poſtquam deinde Scipionem laudaſſet, hanc probitatis in Romanis et honeſtatis everſionem metuentem ſubdit:
„ Sed in vobis plus valuit, quod dæmones impii
„ ſeduxerunt, quam quod homines providi præ-
„ caverunt. Hinc eſt quod mala quæ facitis, vo-
„ bis imputari non vultis; mala vero; quæ pati-
„ mini, chriſtianis temporibus imputatis. Neque
„ enim in veſtra ſecuritate pacatam rempublicam,
„ ſed luxuriam quæritis impunitam, qui depra-
„ vatis rebus proſperis, nec corrigi potuiſtis ad-
„ verſis. Volebat vos ille Scipio terreri ab ho-
„ ſte, ne in luxuriam flueretis: vos nec contriti

ab

*a*) Præfat. in lib. Didymi de Spiritu S. Opp. T. IV. p. 494.
*b*) Lib. I. c. 33. T. VII. p. 29.

„ ab hoste luxuriam repressistis: perdidistis utili„ tatem calamitatis, et miserrimi facti estis, et „ pessimi permansistis „. Ne hæc solos idololatras attinere viderentur, agit mox cap. 35. etiam *de falsis intra Ecclesiam christianis*, qui ad civitatem alteram *huius mundi* scilicet pertinent, *qui etiam cum ipsis*, inquit, *inimicis adversus Deum murmurare non dubitant.* Ad quos omnes revincendos compositum est insigne illud *de civitate Dei* opus S. Augustini, libris XXII. de quibus in lib. *Retractat.* c. 43. *cum sint*, inquit, *de utraque civitate conscripti, titulum tamen de meliore acceperunt.* Huc faciunt conscripti eodem suasore libri VII. historiarum Pauli Orosii, ubi perhibet esse, *qui malint inter barbaros pauperem libertatem, quam inter Romanos tributariam sollicitudinem sustinere*: quos Salvianus pene omnes *maioris reatus et criminosioris vitæ esse, quam barbaros*, palam *a)* edicit, eas nimirum gentes, quæ tunc Romano imperio parebant intra Italiam, Galliam, Hispanias, Africam &c. Neque enim Romani populi appellatio apud Salvianum coercenda est ad urbem, quam dicunt Romam, postquam universus orbis iure Romanæ civitatis donatus est, ut Baluzius adnotat ad citatum Salviani locum. *Vita enim*, ibidem pergit Salvianus, *ut dixi, et peccatis sumus deteriores, lege autem catholica sine comparatione meliores.* Prætereo, quam mox cap. 14. comparationem singilatim instituit: quæve lib. V. præsertim ad rem velut ex professo differit, hæreticorum in Romano imperio, qua late nimirum per Orientem præsertim patebat, facta exceptione:

*a)* De gubernat. Dei lib. IV. c. 13.

ne: „ Nam (inquit a) de Romanis hæreticis, quo-
„ rum innumera multitudo est, nihil dicimus, ne-
„ que aut Romanis eos aut barbaris comparamus:
„ quia et infidelitate Romanis sunt deteriores,
„ et fœditate vitæ barbaris turpiores. Sed hoc
„ nos non solum non iuvat, sed etiam supra id,
„ quod a nobis ipsis gravamur, gravat: quia et
„ ii, quos tales causamur esse, Romani sunt.
„ Unde intelligere possumus, quid mereatur om-
„ nis respublica, cum pars Romanorum offen-
„ dat Deum vita, pars et infidelitate pariter et
„ vita. Salvo eo, quod etiam ipsæ quondam
„ hæreses barbarorum de Romani magisterii pra-
„ vitate fluxerunt, ac perinde etiam hoc nostrum
„ est, quod populi barbarorum hæretici esse cœ-
„ perunt. „

## CAPUT XXVII.

*Idololatriam adhuc gliscentem Iulianus apostata conatus restituere. sæc. IV.*

Hæc Salvianus libro V. de gubernatione Dei, et passim etiam deinceps libb. VI. et VII. persequitur; quorum priore tamen maxime in idololatriam sui adhuc temporis circa medium sec. V. invehitur, eiusque reliquias in ludis, in quos gentilismi spurcitiis contaminatos passim invehuntur SS. Patres: nec genus hoc hostium deinceps penitus debellavit, et deiecit militans in terris Ecclesia. „ Colitur namque, et honoratur (ait c. 11. Salvianus) Minerva in gymnasiis, Venus in thea-
„ tris,

a) Lib. V. c. 3.

„ tris, Mars in arenis, Mercurius in palæstris: „ et ideo pro qualitate auctorum cultus est su„ perstitionum. Quidquid immunditiarum est, „ hoc exercetur in theatris; quidquid luxuriarum „ in palæstris; quidquid immoderationis in cir„ cis; quidquid furoris in caveis. Alibi est im„ pudicitia, alibi lascivia, alibi intemperantia, „ alibi insania, ubique dæmon; imo per singula „ ludicrorum loca, universa dæmonum monstra. „ Præsident enim sedibus suo cultui dedicatis. Ac „ per hoc in spectaculis istius modi non sola est „ illecebra, nec sola vitiositas. Admisceri enim „ huic christianum hominem superstitioni, genus „ est sacrilegii, quia eorum cultibus comunicat, „ quorum festivitatibus delectatur. „ Sunt hæc reliquiæ superstitionum paganicarum, quas sæpe iam antea incesserat, atque initio statim libri adhuc peiora in medium profert: „ Quid enim? „ Nunquid non consulibus et pulli adhuc genti„ lium sacrilegiorum more pascuntur, et volantis „ pennæ auguria quæruntur &c. „ Sed hæc eo minus mira videri debent, quod post seculum adhuc in ipsa Italia cultus idololatricus hinc inde obtinuisse legatur.

Porro dum Iulianus apostata idolorum cultum ab inferis post medium sec. IV. revocavit, passim mox eius cultores prodierunt, licet ex lege Constantis Constantini filii *a)* constet, illum sacrificia celebrare vetasse, Constantius etiam templa gentilium claudi iusserit, et Romæ clandestina sacrificia nocturna, ac universum cultum simulacrorum sub poena ca-



*a)* Cod. Theod. L. XVI. de paganis. Ib. LL. 4. 5. 6.

pitis vetuerit, ut etiam apud Sozomenum *a)* legere est. Lex, qua quidem Constans imp. 342. omnem superstitionem penitus eruendam censuerat, tamen vetat dirui ædes templorum ethnicorum extra muros, quæ serviebant postea ad instaurandam idololatriam Iuliano apostatæ, quem, qualis futurus esset, S. Gregorius Naz. cum Iuliano iuvene studiorum causa Athenis versatus ex corporis habitu et sermonibus divinavit; oratione vero IV. *b)* quæ est in Iulianum prima, qua ratione animi pravitatem sub modestiæ larva texerit, narrat, in clerum etiam cum Gallo adscriptus: „ adeo, ut divinos quoque libros plebi lectitarent: „ non minus sibi amplum et honorificum esse „ existimantes, quam aliud quidvis, imo omnium „ ornamentorum maximum præstantissimumque „ pietatis esse censentes. Iam sumtuosissimis quo-„ que martyrum monumentis et votivorum do-„ norum munificentiis, omnibusque aliis re-„ bus, quibus divinus timor insignitur, sa-„ pientiæ studium Christique amorem declara-„ bant; alter quidem vere et serio pietatem pro-„ fitens &c. „

Versipellem vero animum Iulianus (tanto periculosior hostis militantis Ecclesiæ, quæ iam regnum suum in terris in tuto posuisse visa est) semper, etiam cum aperte in persecutionem erumperet, ostendit, dum „ eum quoque (ut idem postea eadem in oratione *c)* et amplius orat. XXI. *d)* narrat) „ quo martyres affici solent, honorem „ athletis invidit. Ac proinde id molitur, ut ipse „ qui-

*a)* Lib. III. c. 16. *b)* n. 24. p. 88.
*c)* Ib. n. 58. p. 103. *d)* p. 407.

„ quidem et vim afferat, et interim afferre non „ videatur; nos contra et supplicia perferamus, „ et eo interim honore, qui pro Christi nomine „ patientibus haberi solet, careamus „. Quomodo vero id effectum iverit, postea S. Pater declarat, „ ut quod inhumanius erat, hoc est vim et „ tyrannidem populari turbæ, civitatibusque per„ mitteret „. Id quod postea Alexandrinorum exemplo demonstrat, dum Iuliani edicta *a*) commemorat „ quæ adversus sacras ædes dum pu„ blice proponebantur, tum privatim expleban„ tur, et votivorum donorum ac pecuniarum „ expilationem non magis ab impietate, quam „ ab avaritia manantem, et sacrorum vasorum, „ quæ profanis manibus petulanter et contume„ liose tractabantur, direptionem &c. „ Oratione V. quæ est invectiva in Iulianum secunda, eius immanitatem persecutus, qua indies ille adversus christianos furebat vehementius: „ Cum autem, „ inquit: *b*) per alia omnia esset grassatus, atque „ omne tyrannidis in nos et crudelitatis genus, „ ut leve et abiectum contempsisset ( nec enim „ ulla unquam natura ad malorum inventionem „ illius natura fœcundior et uberior fuit ) ad ex„ tremum Iudæorum quoque nationem in nos im„ misit . . . ipsis nimirum in patriam redire, ac „ templum instaurare, patriorumque rituum vi„ gorem renovare, ex ipsorum scilicet libris et „ arcanis fatale esse affirmans, ac benevolentiæ „ specie commentum hoc occultans „. Ipse nimirum utpote idololatriæ deditus, perinde a iudaicis quam christianis ritibus abhorrens, hoc facti-



*a*) n. 86. p. 120. *b*) n. 3. p 149.

ctitabat, sperans *sese, falsi prædictionem Domini convicturum esse*, ut Theodoretus *a)* loquitur; cum tamen, ut San-Maurenses editores iam notarunt, stultus potius ac invitus ad eam Christi prædictionem penitus adimplendam (quod cum S. Cyrillus Hieros. cathechesin XV. habebat, necdum penitus factum fuerat) contulerit, ut deinceps consensu omnium scriptorum, Ammiani etiam Marcellini Iuliani adulatoris, ac ipsorum Iudæorum S. Gregorius exponit: tum post enarrata Iuliani, Deo vindice, in bello Persico fata, summatim, quæ sub eo christiani a gentilibus perpessi sunt, mortuo iam Iuliano, ad fidelium animos erigendos complexus „ Non iam, (ait:) in sacras nostras ædes „ pravos oculos iniicient. Non iam aras, a purissimo et incruento sacrificio nomen habentes, „ scelesto sanguine contaminabunt: nec loca sacra „ per impia altaria probro ac dedecore afficient. „ Non iam sacrilega manu votiva dona diripient, „ et profanabunt, impietatem avaritia cumulantes. „ Non iam sacerdotum canitiem, diaconorum „ sanctitatem, virginum pudorem contumelia perfundent. Non iam in sanctorum incisorum viscera fœdos et impuros porcos immittent, ut „ simul et pabulo et visceribus saturarentur. Non „ iam martyrum sepulcris ignem admovebunt, ut „ per eorum ignominiam alios a certamine deterreant. Non iam sanctorum reliquias cum vilissimis ossibus per contemtum permixtas flammis absument, et in ventos spargent: ut eo honore, „ qui eiusmodi hominibus debetur, ipsos privent. „ Non iam cathedram pestilentiæ construentes, „ maledicta et convitia adversus episcopos, et pres-

*a)* Lib. III. hist. c. 17.

byte-

„ byteros, atque etiam prophetas, et apostolos,
„ Christumque adeo ipsum coniecta pro deliciis
„ habebunt. Non iam adversum nos festos ac
„ lætos dies agent, legis interdicto ab adulterina
„ doctrina nos excludentes, perinde atque eadem
„ opera linguas quoque nostras obstructuri. „ Hæc Gregorius Nazianz. altero post mortem Iuliani anno 364. quo eodem a successoribus eius nocturnorum temporum nefariæ preces, aut magici apparatus, quibus quam maxime addictus erat Iulianus, aut sacrificia sunt vetita.

Sacrorum christianorum præsules exterrebat recens christianæ religionis periculum a Iuliano apostata, ut cautos circumspectosque redderent christianos principes; qui tamen adhuc quidem augurum et flaminum privilegia, non ipsa penitus munia sustulerunt, ipsa templa anno adhuc 424. numerabantur, passimque circa urbem christiani sacrificiorum fumore obnubilabantur. Neque vero novas iterum radices capiens idololatria poterat tam cito ac facile evelli; cum non deessent, qui Romanos idolorum cultu deliniverunt, detinueruntque. Is quo loco fuerit anno Christi 384. ex Libanii oratione eo anno habita palam fit. Quo eodem tempore Symmachus præfectus urbis annonæ caritatem aliasque calamitates consueta gentilium calumnia christianis imputavit, quod videlicet puellis Vestæ atque idolorum sacerdotibus privilegia essent ablata, ausus etiam, profanarum religionum, altaris Victoriæ ac privilegiorum restitutionem repetere a Valentiniano imp. ut patet ex epistola S. Ambrosii ad Valentinianum *a)* ubi vel hoc a christiano principe

 peti

*a)* Cl. I. ep. 17. n. 9. p. 826.

peti potuisse vehementer incessit in hæc verba: „ Te imperatore hoc petitur, et postulatur, ut „ aram iubeas elevari, sumtum sacrificiis profanis „ dari? Sed hoc non potest sine sacrilegio decerni: „ unde rogo te, ne id decernas, statuas, vel in „ eiusmodi decreta subscribas. Convenio fidem „ tuam, Christi sacerdos: omnes conveniremus „ episcopi, nisi incredibile hoc et repentinum ad „ aures pervenisset hominum, quod tale aliquid „ esset vel in consistorio suggestum tuo, vel a senatu „ petitum. Sed absit, ut hoc senatus petiisse dica„ tur: pauci gentiles communi utuntur nomine. „ Et mox causam religionis esse protestatus, imperatorem se tanquam episcopum convenire, addit: „ Certe, si aliud statuitur, episcopi hoc æquo ani„ mo pati et dissimulare non possumus: licebit tibi „ ad ecclesiam convenire; sed illic non invenies „ sacerdotem, aut invenies resistentem. Quid re„ spondebis sacerdoti dicenti tibi: munera tua non „ quærit Ecclesia, quia templa gentilium muneri„ bus adornasti? Ara Christi dona tua respuit, „ quoniam aram simulacris vestisti: vox enim tua „ manus tua: et subscriptio tua, opus est tuum. „ Obsequium tuum Dominus Iesus recusat, et re„ spuit, quoniam idolis obsecutus es, dixit enim „ tibi: *non potestis duobus dominis servire.* „ Privilegia tua sacratæ Deo virgines non habent, „ et vindicant virgines Vestæ. Cur sacerdotes Dei „ requiris, quibus petitiones profanas gentilium „ prætulisti, societatem suscipere non possumus. Conquestos gentiles *de dispendiis* retundit iis, quæ proxime sub Iuliano acciderunt, „ Petunt etiam „ (inquit,) ut illis privilegia deferas, qui loquendi

„ et

„ et docendi nostris communem usum Iuliani lege „ proxima denegarunt: et privilegia illa quibus „ sæpe decepti sunt etiam christiani. „ Sequitur *a*) ipsa Symmachi præfecti senatus nomine ad imperatorem facta relatio, in qua haud veretur, provocare ad priores imperatores ethnicos, proximum etiam Iulianum, Valentinianum quoque seniorem. „ Repetimus (inquit) igitur religionum statum, qui „ reipublicæ diu profuit. Certe numerentur prin- „ cipes utriusque sectæ, utriusque sententiæ: „ proximus eorum (Iulianus) cæremonias patrum „ coluit, recentior (Valentinianus) non removit. „ Si exemplum non fuit religio veterum, faciat „ dissimulatio proximorum. „ Ubi simul Valens etiam indigitatur; quem ultra dissimulationem processisse iam notavimus; Zenonem item ad finem sec. V. oracula consulentem gentilium iam per secula muta. Relationem Symmachi apud S. Ambrosium sequitur mox ad eam S. Ambrosii responsio; de qua re iterum agitur in epistola S. Ambrosii ad Eugenium illum quondam Grammaticum, quem Arbogastes Valentiniani parricida purpura induit: isque (ut etiam an. 388. Maximus, ad quem susceptæ legationis suæ rationem reddit S. Ambrosius Cl. I. ep. 25. capta Roma, ad captandam civium benevolentiam fecerat) cum bis gentilium preces reiecisset, tandem tertio interpellatus „ a Flaviano præ- „ fecto et Arbogaste comite aram Victoriæ, et „ sumtus ceremoniarum, oblitus fidei suæ, con- „ cessit, „ ut Paulinus in vita S. Ambrosii loquitur, et S. Ambrosius *b*) in epist. 57. Cl. I. ubi postquam commemorasset, incassum petitionem ean-



*a*) p. 828. *b*) T. II. p. 1011.

dem factam Valentiniano legatione missa in Galliam, pergit: „ Sed ubi clementia tua imperii „ suscepit gubernacula, compertum est, postea „ donata illa esse præcellentibus in republica, „ sed gentilis observantiæ viris: et fortasse dicatur; imperator Auguste, quia ipse non templis reddideris, sed bene meritis de te donaveris. Verum nosti, pro Dei timore agendum esse constanter, quod etiam pro libertate frequenter fit non solum a sacerdotibus, sed etiam ab his, qui vobis militant, aut in numero habentur provincialium. Te imperante petierunt legati, ut templis redderes, non fecisti: iterum alteri postulaverunt, renisus es; et postea ipsis, qui petierunt, donandum putasti. Etsi imperatoria potestas magna est, tamen considera, imperator, quantus sit Deus? &c. „ Excusans se postea, quod scribenti in primordiis imperii sui non rescripserit, rationem a) pandit: „ Quia istud prævidebam futurum. Denique reposcenti litteras, cum ipse non rescriberem, dixi: hæc causa est, quod extorquendum ei arbitror. Tamen ubi causa emersit officii mei, pro his, qui sollicitudinem sui gerebant, et scripsi et rogavi, ut ostenderem in causis Dei timorem mihi iustum esse, nec pluris facere adulationem, quam animam meam. „

Refertur hæc epistola ad an. 393. quando iam senatus etiam Romani consulto senatoribus quidem non paucis gentilibus, sed Symmachi fato absterritis, cultus profanus fuit proscriptus ac plures

a) n. 11. p. 1012.

res deinceps quoque ad finem quarti huius, ac initium quinti seculi a Theodosio, Arcadio, et Honorio datæ sunt leges, quibus cultus ethnicus prohibetur, quæ habentur lib. X. cod. Theod. *de paganis.* Postea quam Theodosius renovasset proscriptionis decretum Cynesio præfecto prætorii in Oriente, Ioanni item et Gaudentio comitibus in Occidente id negotii commisit, ut templa idolorum clauderent, privilegia sacerdotalia, et quidquid ad nefandum cultum attineret, tollerent. Non deerant suo officio hac in re episcopi: ex quibus Marcellus in Syria, cum splendidum Apameæ templum everteret, paganorum concursu in frusta concisus est. Diutius steterat Alexandriæ Serapis templum, ita ut etiam christiani infamarentur, ac si eius religione tenerentur inolita salutaris Nili superstitione, qua irritatus Theophylus Alex. illud obsidens, cum duce Olympio philosopho Serapidis cultores illud obvallarent, occupatum funditus evertit. Circa eadem labentis seculi IV. tempora S. Martinus in Gallia similiter fanum diruturus, antistitem cæteramque gentilium turbam obsistentem primum habuit: cum teste Sulp. Severo in eius vita c. 13. „ pæne nulli in „ illis regionibus Christi nomen receperant: quod „ adeo (subdit) virtutibus illius exemploque con„ valuit, ut iam ibi nullus locus sit, qui non aut „ ecclesiis frequentissimis, aut monasteriis sit re„ pletus. Nam ubi fana destruxerat, statim ibi „ aut ecclesias aut monasteria construebat „. Constat ex S. Io. Chrysostomi epistolis *a)* in Oriente, Arabia, Phœnicia præsertim plures adhuc fuisse paga-



*a)* Epist. 53. &c.

paganos, quibus convertendis sedulam operam dabat missis presbyteris monachis præsertim, quos itentidem ad constantiam corroboravit ob maximas obiectas difficultates, ac ærumnas, quas sustinere debebant Evangelii præcones a gentilibus in furorem actis, atque in monachos insurgentibus. Hæc ad initia sec. V. pertinent, quo progrediente ex decreto concilii Carthagine celebrati ad Honorium an. 408. legati sunt missi, præsidium opemque postulaturi contra paganos et hæreticos, qui leges in se promulgatas, Stilichone extincto, cessare contendebant, quos quidem tunc dedocuit errorem lege 46. cod Theod. de hæret. an. 409. data. At vero ex concilio Carthaginensi an. 410. *a)* constat, id temporis cautum ab imperatore esse, *ne quis nisi libera voluntate christianæ religionis cultum amplecteretur.* Quod quidem, ut observant auctores vitæ S. Augustini *b)* ad calcem opp. *non aliud erat, quam cuivis religionem quamlibet sequendi optionem relinquere, nec non eadem opera, quidquid ad eam diem contra hæreticos paganosve constitutum fuerat, antiquare.* Afferunt ibidem Baronii coniecturam, legem eam latam esse, ne Donatistas et gentiles priorum legum severitate afflictos illis temporibus abalienari ab Honorio, atque ad Attali partes traduci contingeret, qui ab Alarico an. 409. imperator proclamatus fuerat. Qua de re quidquid sit, legem eam Honorius anno sequenti instinctu Patrum Africanorum cassavit. S. Augustinus vero, contra paganos temporum illorum calamitates christianæ religionis cultui adscribentes, non solum ipse libros de civitate Dei scripsit,

verum

*a)* Cod. Can. Afric. 107. *b)* lib. VI. c. 7.

verum etiam Orosio, ut eandem ob causam historiam suam scriberet, auctor fuit. Exstat S. Augustini epist. 232. T. II. p. 841. ad Madaurenses idololatras, quos nihilominus fratres, imo parentes suos appellat, quia apud eos literaturam et oratoriam artem didicerat, ut lib. II. c. 3. confess. meminit: quosve ad fidem allicit ob oculos positis fatis Iudæorum et gentilismi, quæ *scripturæ divinæ . . . ante longissima tempora futura esse testatæ sunt.* Quod idem hic nobis est propositum argumentum, ex parte demonstrandi Ecclesiam militantem regnum Christi in terris ex fatis monarchiæ Romanæ in scripturis V. et N. Testamenti prænuntiatis, mox persecuturi ea, quæ Romam propius attinent. Divinam vero, quam præmatura et tragica morte singuli experti sunt ultionem Ecclesiæ persecutoresRomæ debellatricis sanctorum, singulari libro persecutus est Lactantius *de mortibus persecutorum.* Quibus Iulianum iungit, breviter eorum nomina saltem recensens S. Hieronymus, in illa Zachar. XIV. verba: *et hæc erit plaga, qua percutiet Dominus omnes gentes, quæ pugnaverunt adversus Ierusalem*, ita commentando: „Hæc passos non esse Romanos, *a)* qui Ierusalem subverterunt, cunctis perspicuum est: nisi forte Iudæi illas nationes asserunt perpessuras, quæ contra auream et gemmatam Ierusalem sunt dimicaturæ: nos autem dicemus, omnes persecutores; qui afflixerunt Ecclesiam Domini, ut taceamus de futuris cruciatibus, etiam in præsenti seculo recepisse, quæ fecerint. Legamus ecclesiasticas historias: quid Valerianus, quid Decius, quid

„ Dio-

*a)* T. III. p. 1798.

„ Diocletianus, quid Maximianus, quid ſæviſſi„ mus omnium Maximinus: et nuper Iulianus „ paſſi ſunt; et tunc rebus probabimus, etiam iux„ ta litteram prophetiæ veritatem eſſe completam: „ quod computruerint carnes eorum, et oculi „ contabuerint, et lingua in pedorem et ſaniem „ diſſoluta ſit. Porro ſi ex hoc dicto hæreticis cru„ delitas Dei videtur oſtendi, audiant hæc univer„ ſa fieri, ut deficientibus malis ſuccreſcerent „ bona „. Manichæos hæc poſtrema attinent, qui tunc latenter in Oriente et Occidente ſerpebant, aperte vero graſſabatur Ariana præ cæteris hæreſis auctoritate velut prætoria ab imperatoribus, crudelibus non raro (ut modo vidimus) orthodoxorum præſertim præſulum perſecutoribus, de quibus modo relatus S. Hieronymus *a*) in cap. VI. Amos proph. „ Omnia (inquit) quæ de Amaſia et Ieroboam in„ terpretati ſumus, τροπολογικῶς ad hæreticos re„ ferenda ſunt: quorum ſacerdos Amaſias ſolet „ interdum mittere ad Ieroboam regem hæreti„ cum, atque hæreticorum patronum: et ſan„ ctos viros ac præcones fidei accuſare apud eum; „ et iubere doctoribus, ne prædicent in Iſrael, „ ne contra regis faciant voluntatem: quia Be„ thel, hoc eſt domus Dei, et falſa eccleſia ſancti„ ficatio regis ſit, et domus regni. Solent enim „ dicere: imperator nobis communicat; et ſiquis „ eis reſtiterit, ſtatim calumniantur: ergo tu „ contra imperatorem facis? Auguſti mandata „ contemnis? Et tamen conſideremus, quod multi „ reges chriſtiani, qui perſecuti ſunt Eccleſiam „ Dei, et Arianam impietatem in toto orbe fun-

„ dare

*a*) T. III. p. 1437.

„ dare conati sunt, vincant in scelere Ieroboam „ regem Israel „. Idem S. Hieronymus *a)* in epitaphio Nepotiani ad Heliodorum tragicum fere exitum tum Iuliani apostatæ cum aliorum sui ævi imperatorum, qui plerique Ecclesiæ infesti fuerunt hæresum aut etiam idololatriæ fautores indulgentiores, aut tyranni, recensens: „ Constantius „ (inquit,) Arianæ fautor hæreseos, dum contra inimicum paratur, et concitus fertur ad pugnam, in „ Mopsi viculo moriens, magno dolore hosti reliquit imperium. Iulianus proditor animæ suæ, „ et christiani iugulator exercitus, Christum sensit „ in Media, quem primum in Gallia denegarat, „ dumque Romanos vult propagare fines, perdit „ propagatos. Iovianus gustatis tantum regalibus „ bonis, fœdore prunarum suffocatus interiit, ostendens omnibus, quid sit humana potentia. Valentinianus vastato genitali solo, et inultam patriam derelinquens, vomitu sanguinis extinctus „ est. Huius germanus Valens Gothico bello victus „ in Thracia eundem locum et mortis habuit et „ sepulchri. Gratianus ab exercitu suo proditus, et „ ab obviis urbibus non receptus, ludibrio hosti „ fuit, cruentæque manus vestigia parietes tui, Lugdune! testantur. Adolescens Valentinianus et pene „ puer post fugam, post exilia, post recuperatum „ multo sanguine imperium, haud procul ab urbe „ fraternæ mortis conscia, necatus est: et cadaver „ exanime suspendio infamatum. Quid loquar de „ Procopio, Maximo, Eugenio, qui utique dum „ rerum potirentur, terrori gentibus erant? Omnes „ capti steterunt ante ora victorum et, (quod po-

„ ten-

*a)* Epist. 35. T. IV. p. 373.

„ tentissimis quondam, miserrimum est) prius ignominia servitutis, quam hostili mucrone confossi sunt. „

---

## Caput XXVIII.

### *Barbarorum incursiones.*

Observavimus supra suo loco intestina Romani imperii mala, cum Roma debellatrix sanctorum esset. Invalescebant iterum vergente seculo III. dum novas veluti vires colligunt inferi portæ contra militantem Ecclesiam: atque tunc etiam a diversis orbis plagis barbaræ gentes ingruebant. Burgundiones, Alemanni, Gothi Rhenum et Danubium infestabant, Orientem Scythæ et Persæ invaserunt, capto etiam Valeriano, qui fuit crudelissimus christianorum persecutor, perinde ac filius eius Gallienus, dum a triginta tyrannis imperium occupatur; ex quibus præcipuus Odenatus Palmyræ rex Orientem vindicatum occupat, victa tandem a Domitio Aureliano eius uxore Zenobia.

Accidit id, dum iam cum aliis Germaniæ gentibus Franci prodeunt, Gallias invadentes vergente sec. III. Deinceps varia sorte cum barbaris nationibus conflictum est, ac ancipiti sub christianis etiam imperatoribus, qui, ut vidimus, plerique erant Arianæ et deinceps aliarum hæresum contra mysteria SS. Trinitatis aut Incarnationis defensores ac orthodoxorum hostes. Sic, dum nova insurgunt contra militantem in terris Christi

Eccle-

Ecclesiam ac intestina sub ipsis christianis imperatoribus mala, vetera vicissim contra rempublicam, urbemque Romam invalescunt, emergentibus undique barbaris, pericula.

De calamitosis his temporibus scribit *a)* S. Hieronymus; „Horret animus, temporum nostro-
„ rum ruinas persequi. Viginti et eo amplius an-
„ ni sunt, quod inter Constantinopolim, et al-
„ pes Iulias, quotidie Romanus sanguis funditur.
„ Scythiam, Thraciam, Macedoniam, Dardani-
„ am, Daciam, Thessalonicam, Achaiam, Epi-
„ ros, Dalmatiam, cunctasque Pannonias, Got-
„ thus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Wan-
„ dali, Marcomanni vastant, trahunt, rapiunt.
„ Quot matronæ, quot virgines Dei, et ingenua
„ nobilia corpora, his belluis fuere ludibrio?
„ Capti episcopi, interfecti presbyteri, et diver-
„ sorum officia clericorum. Subversæ ecclesiæ,
„ ad altaria Christi stabulati equi, martyrum ef-
„ fossæ reliquiæ. Ubique luctus, ubique gemitus,
„ et plurima mortis imago. Quid putas nunc
„ animi habere Corinthios, Athenienses, Lacæ-
„ dæmonios, Arcadas, cunctamque Græciam,
„ quibus imperant barbari? Et certe paucas ur-
„ bes nominavi, in quibus olim fuere regna non
„ modica. Immunis ab his malis videbatur Ori-
„ ens, et tantum nunciis consternatus. Ecce ti-
„ bi anno præterito (395) ex ultimis Caucasi ru-
„ pibus immissi in nos, non iam Arabiæ, sed
„ Septentrionis lupi, tantas brevi provincias per-
„ currerunt. Quot monasteria capta? Quantæ

„ fluvio-

*a)* Epist. XXXV. T. IV. p. 274.

„ fluviorum aquæ humano cruore mutatæ sunt? „ Obsessa Antiochia et urbes reliquæ, quas Halis, Cydnus, Orontes, Euphratesque præterfluunt. Tracti greges captivorum: Arabia, „ Phœnice, Palæstina, Ægyptus, timore captivæ. „ Non mihi si linguæ centum sint oraque centum, „ ferrea vox, omnia pœnarum percurrere nomina possim „. Ingentia sunt hæc, sed parva in comparatione eorum malorum, ac calamitatum, quibus imperium Romanum affectum atque confectum est sub christianis imperatoribus, qui ut modo singillatim memoravimus, in gremio Ecclesiæ indebitam sibi haud raro circa sacra christiana arrogantes potestatem, in viscera eius, aut imprudentes manus iniecerunt, aut impii sævierunt; vicissim barbaros, quos evocarunt ipsi, conductitios milites, facti paulatim iisdem obnoxii, experti deinceps sunt truculentissimos hostes ad perniciem ac interitum imperii, occidentalis primum, ut mox videbimus, et post mille annos, ut in decursu tractatus patebit, etiam orientalis, adhuc in ruina iacentis, occidentali per Francos restaurato.

Erant iam in aula Constantini barbari, merebaturque exercitus ad minus dimidia pars. Eis Constantius auxit stipendia tum ob intestinas turbas, cum ob Persas in Oriente superiores (quo pertinet S. Iacobi Nisib. sermo *de bello* a) notabilis admodum) irruentesque undique barbaras alias gentes ethnicas, quales etiam Franci, Mauri, Alani et Hunni erant. Dum Salvianus *b)* omnes barbaros

a) T. V. Bibl. PP. p. XXXIII. *b)* lib. IV. c. 13.

ros aut ethnicos, aut hæreticos esse dicit, de suo tempore loquitur adolescente nimirum sec. V. quo plerique erant Ariani: nempe ex commercio cum Arianis Romanis sub imperatoribus, quos notavimus, Arianismi patronis, seu ut idem Salvianus *a)* loquitur *de Romani magisterii pravitate*, agens de Wandalis et Gothis: de quibus his Isidorus in chronico „ GOTHI, ( ait, ) ad Istrum „ bifarie in Fridigerno et Athalarico divisi sunt „ regibus. Sed Fridigernus Athalaricum Valen„ tis Ariani imperatoris auxilio superans, suaden„ te eodem in huius beneficii gratiam ex catholi„ co Arianus cum omni gente Gothorum effectus, „ errorem secutus est eorum „. De his S. Gregorius Nazianzenus *b)* locutus „ qui nos, (in„ quit) bello lacessunt, barbari, quos Trinitas „ soluta coniunxit. Quin hoc quoque nomine „ sceleratiores sumus, quod non exteros exteri, „ nec ignotos ignoti ( quæ res nonnihil etiam „ calamitatem levat ) verum nos ipsos mutuo, „ et quasi domestici domesticos populamur, et „ incessimus, aut si mavis, eiusdem corporis „ membra consumimus invicem, atque consumi„ mur „. Immania sunt, quæ deinceps persequitur Arianorum facinora atque crudelitatis genera, sub Valentis nimirum imperio, postquam Gothi an. 377. in solutæ pacis pœnam Thraciam populati sunt, postea a Theodosio devicti, sed identidem ipsi in imperii viscera etiam acciti.

Qua de re memorabilis admodum est S. Ambrosii epistola *c)* ad Valentinianum imp., qua ei



*a)* lib. V. c. 3. *b)* Orat. 33. n. 2. p. 604. *c)* T. 2. p. 888

legationis successum narrat, eius nomine Treviros ad Maximum imperatorem an. 386. susceptæ: dum illi, quasi cum Bautone colludenti, Maximus barbaros immissos exprobrat a Bautone nimirum hoc socero Arcadii imperatoris, sub quo postea teste Prospero in chron. Radagarius rex Gothorum Italiæ limitem vastaturus ingressus est. *Ex hoc*, subdit, *Ariani, qui Romano procul orbe fugati, barbararum nationum, ad quas se contulere, præsidio erigi cœpere.* Bauto vero, cuius filiam Arcadio nupsisse Philostorgius perhibet, idem est, ut San-Maurani editores S. Ambrosii coniiciunt, Romanus consul, cui S. Augustinus Mediolani panegyricum dixit; quem vero Maximus ibidem regnum sub specie pueri, Valentiniani nimirum, vendicare voluisse memorat: *Quasi ego*, sunt a) Maximi verba, *non habeam, quos possim adducere, cum mihi tot millia barbarorum militent, et annonas a me accipiant.* Quærit in responsione S. Ambrosius n. 7. & 8. quos immiserit barbaros Bauto? „Et quid mirum, (pergit) si hoc Bauto fe-
„ cisset transrhenanus genere, cum tu miniteris
„ imperio Romano barbarorum auxilia, et turmas
„ translimitanas, quibus commeatus provinciali-
„ um tributa solvebant? Vide autem, quid intersit
„ inter tuas minitationes, et Valentiniani augusti
„ pueri mansuetudinem! Tu flagitabas, quod bar-
„ barorum stipatus agminibus Italiæ te infunderes:
„ Valentinianus Hunnos atque Alanos appropin-
„ quantes Galliæ per Alemanniæ terras reflexit.
„ Quid habet invidiæ, si Bauto barbaros cum
„ barbaris fecit decernere? Quoniam dum tu mi-
litem

a) Ib. n. 4. p. 889.

„ litem Romanum occupas, dum is adversum se „ utrinque prætendit, in medio Romani imperii „ sinu Iuthungi populabuntur Rhetias, et ideo „ adversus Iuthungum Hunnus accitus est. Idem „ tamen, quia de finitimo proterebat Alemanniam, „ et iam de vicinia mali urgebat Gallias, coactus „ est, triumphos suos deserere. Confer utriusque factum. Tu fecisti incursari Rhetias, Va„ lentinianus suo tibi auro pacem redemit „. Non est hic locus, commentarium pro illustranda patria historia scribere in hæc S. Ambrosii verba.

Ea tamen in memoriam revocant, quæ sunt sub Valentiniano seniore cum Alemannis, ab eo ad Nicrum cæsis, ne se mutuo deinceps invaderent, tractata, quibus non obstantibus Romani eorum ditiones invadentes, castella passim extruxerunt ad Nicrum, quorum hodie vestigia supersunt, quædam etiam proximis annis recens ad vicum Kungen in Wirtembergia detecta.

Sed, ut ad nos redeamus, Romani præterea, corrupto milite principem nationis Alemanniæ captum trucidarunt. Hoc, et atrociorem adhuc proditionem in Saxones ex Cuniano referens Tillemontius *a)* subdit, mirum iam videri non debere post tantam christianorum imperatorum perfidiam, Deum casum Romani imperii permisisse, iisque gentibus illud tradidisse, adversus quas fractæ fidei eiusmodi facinora designaverant; quibus par est scelus eiusdem Valentiniani in Gabinium Quadorum regem, ad mensam proditorie occisum teste Ammiano. Atrociore adhuc perfidia eodem

Q 2 teste

*a)* Hist. des Emp. an. 371.

teste Ammiano Valentiniani frater Valens imp. (de quo similem perfidiam in Gothos paulo ante audivimus) non semel insidias struxit Paræ Armeniæ regi, cuius fœderati auxilio in bello Persico adiutus fuerat. Quæ idem Ammianus et Iordanus, vulgo Iornandes, perhibent Gothorum gesta cum utriusque imperii orientalis et occidentalis sive principibus sive iis, quorum arbitrio principes illi regebantur, eadem perfidiæ specimina præbent.

Sed omnium atrocissima sunt illa, quod hi ipsi barbarorum horumce opera ad principum suorum proditione et imperii perditionem usi sunt. Acciderunt hæc Honorii et Arcadii tempore imbecillorum principum, quorum ille Stiliconis, hic Ruffini, hocque ab exercitu trucidato, Eutropii eunuchi consilio regebatur. Ruffinus in orientem Hunnos; in Thraciam Gothos accersivit: utque Alaricum ad depopulandam Græciam circa finem sec. IV. sic Stilico eundem postea impulit, ut Arcadio bellum indiceret; Alaricus vero contra Honorium revertitur cum trecentis millibus, Radericum alii cum ducentis, alii cum quadringentis millibus militum processisse dicunt; Attilam postea Hunnorum regem, cum quingentis millibus: contra quos, quod armis confici non potuit, iterum perfidia tentatum est etiam sub Theodosio iuniore, contra Attilam frustra quidem et in perniciem propriam, incassum tentato Edecone legato, ut Attilæ necem inferret. Erant Hunni gentiles, nihilominus apud Attilam, ne Roma deprædaretur, plus potuit S. Leo P.

Leo P. quam Aetii virtus bellica, qui, ut contra Francos primum feliciter decertavit, ita etiam Attilam in Gallia prælio vicerat; sed quoque Aetius hic, ut sub Honorio Stilico, invidorum simultate neci datus est a Valentiniano iuniore: qui ipse quoque violentam mortem subiit a patricio, dum, interim Maximo trucidato, iterum S. Leo intercessit, ne a Genserico Roma præda militum fieret, paulatim concidente occidentali imperio, ac demum in Augustulo extincto, deiiciente eundem solio Odoacre Herulorum rege, quos vero Theodoricus Gothorum rex Roma brevi expulit, regnumque Italicum constituit. Sic, ait Iornandes Gothus *lib. de regn. success.* „ Hesperidum „ regnum Romanique populi principatus, quod „ DCCIX. V. C. anno primus Augustorum Octa„ vianus Augustus tenere cœpit, cum hoc Augu„ stulo periit; Gothorum dein regibus Romam „ tenentibus „. Orientale imperium sub Theodosio iuniore Attilæ tributarium, sub Marciano respirasse, visum est. Post eum Leo Thrax imperium opera Asparis iurati Ariani obtinuit, qui cum Leonem postea non ad vota haberet, Vandalos advocavit: dumque apud populum ob hæresim exosus esset, concurrentes etiam ex suis eremis monachi imperatorem adiurarunt pro fide adversus Asparem Arianum; quem eiusque familiam Zeno occulto Leonis iussu cum trucidasset, in præmium Ariadnem Leonis filiam in matrimonium accepit et postea imperium, ut tamen teste Prospero in chron. *Infanda Arianorum hæresis, quæ se nationibus barbaris miscuit, catholicæ nomen fidei toto orbe diffusæ præsumeret.*

Hinc Visigothorum regnum in Hispania et Gallia, Vandalorum in Africa, Ostrogothorum in Italia, devicto Odoacre Herulorum rege a Theoderico Ostrogothorum rege.

Sub Theoderico Ariano quidem catholica pacatior fuit Ecclesia, nec infelix reipublicæ status, ut universim Salvianus iam sæpe citatus de barbaris quibusvis, sive paganis sive hæreticis melius, quam de Romanis sentit. Is postquam lib. IV. de paganis egisset, Romanam rempublicam vel iam mortuam, vel certe extremum spiritum agentem luget. Lib. V. de hæreticis idem agit, ultra modum quidem, etiam de errore excusans illos: „Nos „(inquit. c. 2) eos iniuriam divinæ generationi „facere certi sumus, quod minorem Patre filium di- „cant. Illi nos iniuriosos Patri existimant, quia „æquales esse credamus. Veritas apud nos est; sed „illi apud se esse præsumunt. Honor Dei apud nos „est; sed illi hoc arbitrantur honorem divinitatis „esse, quod credunt. Inofficiosi sunt; sed illis „hoc est summum religionis officium. Impii „sunt, sed hoc putant, veram esse pietatem. „Errant ergo, sed bono animo errant, non odio, „sed affectu Dei, honorare se Dominum, at- „que amare credentes. Quamvis non habeant „rectam fidem, illi tamen hoc perfectam Dei „æstimant charitatem. Qualiter pro hoc ipso „falsæ opinionis errore in die iudicii puniendi „sint, nullus potest scire, nisi iudex. Interim „idcirco eis, ut reor, patientiam Deus commodat, „quia videt eos, etsi non recte credere, affectu „tamen piæ opinionis errare: maxime cum

„sciat

„ ſciat, eos ea facere, quæ neſciunt, noſtros au-
„ tem negligere, quod credunt, ac per hoc il-
„ los magiſtrorum peccare vitio, noſtros ſuo;
„ illos ignorantes, noſtros ſcientes; illos id fa-
„ cere; quod putent rectum, noſtros quod ſciant
„ eſſe perverſum. Et ideo iuſto iudicio illos pa-
„ tientia Dei ſuſtinet, et nos animadverſione ca-
„ ſtigat: quia ignoſci aliquatenus ignorantiæ po-
„ teſt, contemtus veniam non meretur. Sic enim
„ ſcriptum eſt: „ *Servus, qui neſcit voluntatem Domini ſui, et non facit eam; vapulabit paucis. Qui autem ſcit eam, et non facit eam, vapulabit multis.* „ Non ergo miremur, quod multis cæ-
„ dimur, quia non inſcientia, ſed rebellione
„ peccamus. „ Deinceps, quantum ad vitam et converſationem pertinet, per totum illum librum diſſertationem inſtituturus, *Quid eſt*, orditur, *in quo eis aut præponere nos, aut etiam comparare poſſimus?* Idque per ſingula capita deinceps diſcrimen oſtendit, atque epiſt. IX. ad Salonium epiſ. cui libros de gubern. Dei inſcripſit, de illis eandem reddit rationem, et pandit occaſionem operis, *multiplices chriſtianorum pene omnium morbos, atque a cunctis in Eccleſia poſitis, non ſolum non poſtponi omnia Deo, ſed prope cuncta præponi. Nam et ebrioſi in ebrietatibus Deum ſpernere videntur, et cupidi in cupiditate, et impudici in libidine, et cruenti in crudelitate, et in his omnes penes omnes* &c. Sic in his aliisque omnibus barbaros cum Romanis contendens, hos illis deteriores deſcribit.

## Caput XXIX.

### *Capta Roma, Apocalyptica Babylone et bestia, Roma sacra efflorescit.*

Totus in eo est B. Bossuet tum in commentario, cum in aliis scriptis super Apocalypsin S. Ioannis, ut a capite 4. usque ad decimum nonum veluti serie quadam historica descripta, demonstret fata urbis septicollis Romæ sub nomine Babylonis, imperiique Romani bestiæ apocalypticæ (prout alias sub bestiarum nomine regna in prophetis designantur) usque ad captam ab Alarico Gothorum rege urbem; ita etiam tria illa væ, de quibus cap. IX. 12. *Væ unum abiit, et ecce veniunt duo Væ, et* cap. XI. 14. *Væ unum abiit, et ecce væ tertium veniet*, perinde omnes Apocalypsis partes usque ad caput XX. inter se vinctas partitur. Id quod succinctius in demonstrationibus *de excidio Babylonis a)* apud S. Ioannem corollario demonstrationis secundæ, deinceps articulatim demonstratione tertia per capita manifeste ob oculos ponit, et declarat. De excidio autem Romæ Babylonis apocalypticæ in Alarico potissimum subsistendum ratus, eidem Radagaisum, de quo supra, iungit, qui tertio post Alaricum anno Italiam ingressus est, dum ab anno sequenti deinceps imperium Romanum invaderent Vandali, Hunni, Franci, Burgundiones, Suevi, Alani, Herules, quibus successerunt Longobardi, Alemanni, Saxones, quos decem illos reges seu cornua Apoc. XVII. 12. interpretatur, non

a) T. III. opp. p. 744. seqq.

non computatis Gothis, qui urbis excidio singulariter deputati sunt, Alaricus nempe et Radagaisus, quorum ille hæreticus, hic gentilis erat; gentilismumque, dum Alaricus primum an. 410. urbem aggressus est, in urbe obtinuisse ac recens iterum dominari cœpisse ex Orosio catholico lib. VII. et Zozimo (adde Sozomenum L. IX. c. 5.) ethnico scriptore lib. V. &c. hist. c. 41. ostendit. *a*)



*a*) Radagaise marchoit avec deux cents mille hommes, et selon la coutume des barbares il avoit voué à ses Dieux le sang des Romains. Les Païens publioient à Rome, qu'il venoit un ennemi vraiment redoutable, que le culte des dieux rendroit puissant contre Rome, où leurs autels etoient méprisés; et ils disoient que les sacrifices de ce roi Païen etoient plus à craindre, que ses troupes, quoiqu' innombrables et victorieuses. Les blasphemes se multiplioient dans toute la ville, dit un historien du temps (Orose) et le nom de Jesus Christ etoit regardé plus que jamais comme la cause de tous les maux. Si Dieu, resolu à la vengeance eût livré la ville à ce Païen, ceux de la même religion n'auroient pas manqué d'attribuer la victorie aux dieux, qu'il adoroit. Mais son Armée fut taillée en pieces, sans qu'il en restât un seul, pas même le roi. Dans le même tems Alaric, l'autre Roi des Goths, s'etoit rendu redoutable aux Romains: tantôt reçu dans leur alliance, et combattant avec eux, tantôt indignement traité, enfin il assiega Rome. On y cherche de vains secours, en appellant des divines Toscans, selon l'ancienne coutume; et on se portoit avec tant d'ardeur aux ceremonies païennes, qu'un Païen a bien osé ecrire, que le Pape S. Innocent fut obligé d'y consentir. Personne n'en a cru Zozime, un si grand calomniateur des chretiens: mais son recit ne laisse pas de faire sentir dans Rome un prodigieux attachement à l'idololatrie. Car il est bien constant par tous les auteurs, que les Etruriens, ou Toscans furent appellés. C'est ainsi, que Rome assiegée vouloit recourir a ses anciens dieux. Approchant le temps de sa perte, on a etabli pour empereur Attale, Païen d' inclination, qui aussi faisoit esperer le retablissement du Paganisme. En effet, dans la propre année que Rome fut prise, le tyran crea consul un Tertullus, zélé idolatre, qui commenca la magistrature, selon la coutume des gentils par les vains

Qui S. Innocentio tum Rom. sedis episcopo hic invidiam concitare nititur; econtra vero Orosius profitetur, accidisse, „ quo magis illa urbis irruptio „ indignatione Dei acta, quam hostis fortitudine „ probaretur, ut beatus Innocentius, Romanæ Ec- „ clesiæ episcopus tanquam iustus Lot subtractus a „ Sodomis, occulta providentia Dei apud Raven- „ nam tunc positus peccatoris populi non videret „ interitum. „ Tum operis ab Orosio suscepti (monitu S. Augustini ad calumnias idololatrarum calamitates temporum illorum neglectui cultus idolorum tribuentium) institutum prodit, præsertim autem lib. II. c. 3. quo respiciens hoc Romæ excidium, similemque Babylonis ortum et Romæ, similia bona et mala, sed non similem exitum et defectum ob oculos ponens gentiles incessit Orosius. „ Intelligant, (inquit) hi, qui insipienter utique de „ temporibus christianis murmurant, unum De- „ um disposuisse tempora, et in principio Baby- „ loniis, et in fine Romanis; illius clementiæ esse, „ quod vivimus, quod autem misere vivimus, „ intemperantiæ nostræ. Ecce similis Babylonis „ ortus et Romæ, similis potentia, similis ma- „ gnitudo, similia tempora, similia bona, similia „ mala, tamen non similis exitus, similisve de- „ fectus. Illa enim regnum amisit, hæc retinet; „ illa

presages des oiseaux, et qui faisant valoir dans le senat la qualité de Pontife, qu'il esperoit bientôt avoir, vouloit revivre avec elle toute la religion païenne. Ainsi l'idololatrie étoit encore une fois devenue dans Rome la religion dominante, Dieu l'ayant ainsi permis pour ne point laisser douteux le sujet des ses justes vengeanes. Cette grande ville hâtoit son supplice, les propositions qu' on faisoit à l'Empereur, furent inutiles; Rome fut prise par Alaric, et tout y fut desolé par le fer, et par le feu.

„ illa interfectione regis orbata, hæc incolumi
„ imperatore secura est, et hoc quare? Quoniam
„ ibi in rege libidinum turpitudo punita, hic chri-
„ stianæ religionis continentissima æquitas in rege
„ servata est: ibi absque religionis reverentia,
„ aviditatem voluptatis licentia furoris implevit:
„ hic et christiani fuere, qui parcerent, et chri-
„ stiani, quibus parcerent, et christiani propter
„ quorum memoriam, et in quorum memoria
„ parceretur. Quapropter desinant religionem la-
„ cerare, et lacessere patientiam Dei: propter
„ quam habent, uti et hoc quoque impunitum
„ habeant, si aliquando desistant „. Infra *a*) rem
idem Orosius aperte omnino ob oculos ponit
exemplo Radagaisi regis Gothorum pagani et Scy-
thæ: „ Qui, ut mos est barbaris huiusmodi gen-
„ tibus, omnem Romani generis sanguinem diis
„ suis propinare devoverat. Hoc igitur Romanis
„ arcibus imminente, fit omnium paganorum in
„ urbe concursus, hostem adesse, cum utique
„ virium copia, tum maxime præsidio deorum
„ potentem: urbem autem ideo destitutam, et
„ mature perituram, quia deos et sacra perdide-
„ rit. Magnis querelis ubique agitur, et conti-
„ nuo de repetendis sacris celebrandisque tracta-
„ tur. Fervent tota urbe blasphemiæ, vulgo no-
„ men Christi tamquam lues aliqua præsentium
„ temporum opprobriis gravatur. Itaque ineffa-
„ bili iudicio Dei factum est, uti quoniam in per-
„ mixto populo piis gratia, impiis pœna debeba-
„ tur, oportebatque permitti hostes, qui insuadi-
„ bilem in plurimis, et contradicentem civitatem
„ seve-

*a*) lib. VII. c. 37.

„ severioribus solito flagris coarguerent, non tamen eos, qui indiscrete evectos intemperata cæde delerent, duo tunc Gothorum populi cum duobus potentissimis regibus suis per Romanas provincias bacharentur: quorum unus christianus propiorque Romano, et (ut res docuit) timore Dei mitis in cæde, alius paganus, barbarus et vere Scytha, qui non tantum gloriam aut prædam, quantum inexsaturabili crudelitate ipsam cædem amaret in cæde: et hic iam sinu receptus Italiæ, Romam e proximo trementem terrore quassabat. Itaque si huic ultionis potestas permitteretur, quem Romani ob hoc præcipue timendum arbitrabantur, quia deorum favorem sacrificiorum obsequiis invitaret; et immoderatior cædes sine fructu emendationis arsisset, et error novissimus peior priore crevisset: quandoquidem in pagani, et idololatræ manus incidisse, non solum paganis residuis de instaurando cultu idolorum esset indubitata persuasio, sed etiam christianis periculosa confusio, cum et hi terrerentur præiudicio, et illi confirmarentur exemplo. Quamobrem iustus dispensator humani generis Deus perire paganum hostem voluit, et christianum prævalere permisit, ut pagani blasphemantesque Romani, et illo confunderentur perdito, et hoc punirentur immisso: maxime cum imperatoris Honorii admiranda in rege continentia, et sanctissima fides non parum divinæ misericordiæ mereretur„. Infra l. c. idem Orosius omnia brevi complexus: „ Igitur (inquit) ingrata Roma, quæ sicut nunc sensit, non ad remittendam, sed ad reprimendam idololatriæ

„ præ-

„ præsumtionem, iudicis Dei obliquam misericor-
„ diam, ita continuo propter vivorum mortuo-
„ rumque sanctorum piam recordationem Dei
„ iram passura non plenam, si forte confusa pœ-
„ niteat, et per experientiam fidem discat, ab in-
„ cursu Alarici regis, et hostis, sed christiani ali-
„ quantulo ad tempus spacio differtur„. Quæ hic dilata dicuntur, acciderunt hæc nono Kal. Iul. eiusdem anni, quo in conc. Carthag. ad Honorium imp. decreta est legatio, de qua supra locuti sumus, ad obtinendam retractationem legis, nequis nisi libera voluntate christianæ religionis cultum amplecteretur. Quam ethnicos illius ætatis pro omnimoda libertate conscientiæ accepisse, ex Zozimo colligere licet, dum lib. V. tradit, concessum aditum ad dignitates tum forenses, tum militares ab Honorio omnibus, retenta sua cuiusque religione, atque adeo legem an. 408. 18. Kal. Dec. antiquatam, et quidem ob Generidum gentilem ab imperatore Dalmaticis legionibus præfectum.

Tunc maxime blasphemiam illam ingeminabant gentiles, mala hæc et calamitates nonnisi ab iratis ob religionem christianam diis immissas. Quam ob rem Victorianus ep. 111. S. Augustinum rogat, sibi proponi, quæ ad calumnias has reponeret, quod copiose fecit S. Doctor alias in suis etiam sermonibus: et postea absens ep. 122. ad Hipponenses suos tangit hanc rem, estque argumentum sermonis *de urbis excidio*, ubi inter alia: *a*) „ Horrenda (ait) nobis, nuntiata sunt, strages
„ facta, incendia, rapinæ, interfectiones,
„ excruciationes hominum. Verum est, multa
„ audivi-

a) T. VI. p. 623. n. 3. p. 624.

„ audivimus, omnia gemuimus, sæpe flevimus, „ vix consolati sumus; non abnuo, non nego, „ multa nos audisse, multa in illa urbe esse com- „ missa „. Solatur tamen postea suos auditores ob iustos in ea urbe et sanctos, eos etiam, qui in bello eo mortui sunt; tunc vero illorum partem recenset *a)* „ quæ ante hostile incendium in mul- „ tis ex multa parte migraverat. Migrarunt, qui „ fugerunt, migrarunt qui de corpore exierunt: „ multi præsentes utcunque latuerunt, multi in „ locis sanctis vivi salvique servati sunt. Manu „ ergo emendantis Dei correpta potius civitas illa, „ quam perdita, tanquam servus sciens volun- „ tatem domini sui, et faciens digna plagis, vapu- „ lavit multis „. Sic in memorata illa ad Victoria- num epistola nihil melius tam ethnicis, quam chri- stianis reponi posse, declarat, quam gravioribus pæ- nis dignos esse, qui Domini voluntatem, quam ignorare non possunt, aspernantur, ac ii, qui eam ignorant. In sermone autem illo *de urbis excidio* inter illos, qui salvi evaserunt, initio sta- tim *b)* n. 2. censentur *multi, qui in locis sanctis ne tangi potuerunt.* Quod hic paucis habet, edis- serit mox in exordio lib. 1. *de civit Dei c.* 1. quos libros, ut iam indicavimus, edidit, aliquot post annos ob memoratam paganorum calumniam scriptos; utque etiam Orosius in procemio histo- „ riæ suæ, „ quod pagani neque futura meditan- „ tes, neque recolentes præterita ex urbis expu- „ gnatione, nec non aliis Romani imperii cala- „ mitatibus ansam arriperent blasphemandi &c. „ præceptum sibi memorat a S. Augustino „ tragi-

„ ca

*a)* n. 8. p. 628. *b)* p. 624.

„ ca veluti, quæ possset colligere in monumentis „ historiarum, ut hinc intelligeretur, pluresne „ a christianis temporibus huiusmodi clades evenis- „ sent „. At multo ampliorem campum sibi viginti duobus libris *de civitate Dei* S. Augustinus aperiens, exordium tamen ac veluti argumentum operis eodem anno, quo Alaricus Romam depopulatus est, cœpti, hinc sumit, occasionemque defensionis suæ, ut ex ipsa inscriptione statim cap. 1. palam fit *de adversariis nominis Christi, quibus in vastatione urbis propter Christum barbari pepercerunt.* Adversarios hic Romanos gentiles intelligit, quibus ipsis Alaricus eiusque exercitus confugientibus ad loca sacra pepercit; „ An „ non, (sunt *a*) verba S. Augustini) etiam illi „ Romano Christi nomini infesti sunt, quibus „ propter Christum barbari pepercerunt? Testan- „ tur hoc martyrum loca et basilicæ Apostolorum, „ quæ in illa vastatione urbis ad se confugientes „ suos, alienosque receperunt. Huc usque cruen- „ tus sæviebat inimicus; ibi accipiebat limitem „ trucidatoris furor; illo ducebantur a miseranti- „ bus hostibus, quibus etiam extra ipsa loca pe- „ percerant, ne in eos incurrerent, qui similem „ misericordiam non habebant. „ Huius ipsius rei iterum meminit *b*) ubi argumentum suum ex strage Radagaisi Gothorum regis gentilis urget, uno die cum exercitu divina erga suos suamque Ecclesiam in sede Petri providentia prostrati: „ Nam (in- „ quit) si ille tam impius cum tantis et tam impiis „ copiis Romam fuisset ingressus, cui pepercis- „ set? Quibus honorem in locis martyrum de- „ tulisset?

*a*) T. VII. p. 3. *b*) Ib. lib. V. c. 23. p. 140.

„ [illegible]! in quæ pericula Deum timeret!„ Alaricum, quem christianum Socrates a) Sozomenus et alii testantur, se velim [illegible] a nescio quo, teste Orosio b), hoc præceptum suis dedit, *ut si qui in sancta loca præcipue ac sanctorum Apostolorum Petri et Pauli basilicas confugissent, hos imprimis inviolatos securosque esse sinerent.* Tum relatis iis, quæ paulo ante ex eodem Orosio de S. Innocentio P. memoravimus, pergit: „ Discurrentibus itaque per urbem barbaris, forte „ unus Gothorum, idemque potens et christia„ nus, sacram Deo virginem iam ætate provectam „ in quadam ecclesiastica domo reperit: cumque „ ab ea aurum argentumque honeste exposceret, „ illa fideli constantia esse apud se plurimum, et „ mox proferendum spopondit, ac protulit. „ Dumque expositis opibus, attonitum barbarum „ magnitudine, et pondere ac pulchritudine, igno„ ta etiam vasorum qualitate intelligeret, virgo „ christi ad barbarum ait: Hæc Petri aposto„ li sacra ministeria sunt. Præsume, si audes, de „ facto tu videris! Ego quia defendere non valeo, „ neque tenere audeo. Barbarus vero ad reve„ rentiam religionis timore Dei et fide virginis „ motus, ad Alaricum per nuntium hæc retulit, „ qui continuo reportari ad apostoli basilicam „ universa, ut erant, vasa imperavit „. Narrat deinceps, qua id pompa factum fuerit, *hymnos Deo Romanis barbarisque* concinentibus. Demum subdit, „ mysterium hoc, quod in transferendis va„ sis, dicendis hymnis, ducendis populis fuit, „ tanquam magnum cribrum fuisse arbitror, per

„ quod

a) Socrat. lib. VII. c. 10. b) lib. VII. c. 39.

„ quod ex congregatione populi Romani tanquam
„ ex magna massa frumenti per omnia ex univer-
„ so ambitu civitatis latebrarum foramina efflu-
„ xere grana viva, sive occasione sive veritate
„ commota, omnia tamen de præsente salute cre-
„ dentia, ex horreo dominicæ præparationis ac-
„ cepta sunt, reliqua vero sicut stercora, et ve-
„ lut paleæ, ipsa vel incredulitate vel inobedien-
„ tia præiudicata, ad exterminium atque incendi-
„ um remanserunt„. S. Hieronymus, qui tam acerbe in prooemio lib. I. et III. in Ezechielem, et alibi hanc Romanæ urbis vastationem deplorat, *qua clarissimum terrarum omnium lumen extinctum, imo Romani imperii truncatum caput*, perinde porro perversum, depravatumque moribus statum incessit, ut iam supra notavimus, hoc etiam agit cap. 26. epistola, quæ est inter Augustinianas 223. *a)* obscurius quidem gentiles æque ac christianos sugillans. „ Multi (ait) utroque
„ claudicant pede, et ne fractis quidem cervici-
„ bus inclinantur, habentes affectum erroris pri-
„ stini, cum prædicandi eundem non habeant li-
„ bertatem. „ Erasmus Roterod. et Lovanienses theologi, ut editores Maurenses adnotant, significari putant, captam a Gothis Romam non agnoscere manum Dei, sed accersitis copiis moliri rebellionem, ut notat etiam Baronius ad an. 410. quo capta est Roma: quove referri possunt ultima hæc eiusdem epistolæ verba: „ capta
„ Ierusalem tenetur a Nabuchodonosor, nec Iere-
„ miæ vult audire consilia: quin potius Ægyptum
„ desiderat, ut moriatur in Taphnis, et ibi ser-



*a)* T. II. pag. 361.

„ vitute pereat sempiterna „. Idem S. Doctor memorat de S. Innocentii P. antecessore S. Anastasio ep. 16. quod Roma illum diu possidere non potuerit, ne totius mundi caput sub tanto everteretur episcopo. Ep. 154. *Ad Principiam* exponit brevius a S. Augustino indicatam barbarorum humanitatem, eamque expertas esse Marcellam et filiam eius Principiam, quas in domo sua repertas ad basilicam S. Pauli deduxerunt extra urbem. De alia muliere ad S. Petri basilicam, ut eius pudicitiæ consuleretur, deducta a milite testatur Sozom. lib. IX. c. 10. Capite nono autem asylum memorans *in æde Petri*, *quo*, inquit, *qui refugerunt*, *urbem restaurarunt*. *Non iam* (ait ad hunc locum Bossuetus *de excidio Babylonis*) *regno nobilem*, *sed totam Ecclesiæ consecratam imminutam incredibilem in modum*, *sive civium multitudinem*, *sive amplitudinem opum*, *atque operum spectaveris*.

Lege eundem copiosius hæc alibi edisserentem in *historia religionis veteris et novi testamenti*, triumphum crucis nempe Domini et suæ sanctæ Ecclesiæ, quomodo veluti ex cineribus Romæ profanæ excisæ sacra effloruerit. Hoc laudatus Orosius, ut scriberet adversus vaniloquam pravitatem eorum, qui alieni a civitate Dei ex locorum agrestium compitis et pagis pagani vocantur, sive gentiles, in prooemio *histor.* egisse se dicit, ac demonstrasse, „ regnasse mortem avidam sangui-
„ nis, dum ignoratur religio, quæ prohiberet a
„ sanguine: ista illucescente, illam constupuisse:
„ illam concludi, cum ista prævalet: illam peni-
„ tus

„ tus nullam futuram, cum hæc sola regnabit:„ Civitas Dei nempe supra montem posita, dum *Lapis* ille *qui percusserat statuam factus est mons magnus, et implevit universam terram* Dan. II. 35. Lapis ille de quo Matth. XX. 44. *Qui ceciderit super lapidem istum confringetur: super quem vero ceciderit, conteret illum.* Quod experti sunt Iudæi et gentiles. Civitas hæc Dei in monte conspicua est, in vertice montium septicollis Romæ: *Ut*, Romam serm. I. in nat. apost. Petri et Pauli, alloquitur S. Leo M. circa ipsa ea tempora, queis eius fata plangimus; Vaticanam cathedram, soliumque tenens, *gens sancta, populus acquisitionis, civitas sacerdotalis, et regia per sacram beati Petri sedem caput orbis effecta, latius præsideres religione divina, quam dominatione terrena. &c.* Nempe dum, collapso imperio, hierarchia novo lustro instructa in sua arce sede Romana, throno cæsarum, pontificatu, quem summum illi gentili superstitione sibi arrogarunt, ostentaruntque, in vera religione Ecclesia catholica splendorem accepit. „ In pontificatu (sunt verba Augustini Steu-„ chi Eugubini in Laurent. Valla lib. I. in princ.) „ etsi non illa veteris imperii magnitudo, species „ certe non longe dissimilis renata est, qua gentes „ omnes ab ortu et occasu haud secus Romanum „ pontificem venerantur, quam omnes nationes olim „ imperatoribus obtemperabant &c. Nisi Deus „ Romano imperio everso, pontificatum restituis-„ set, in quo Romana maiestas renasceretur, fu-„ turum erat, ut Roma nullo tempore excitata ac „ restituta, inhabitabilis posthac, fœdissima boum,

„ pecorumque futura esset habitatio „. D. Giraudeau, qui nuper sub tit. *l'Evangile médité, et distribué pour tous les jours de l'année en suivant la concorde des quatres Evangelistes*, insignem commentarium super quatuor evangelia edidit duodecim voluminibus, vol. VI. meditat. 153. eos incessit, qui hodie ingenti sane numero offenduntur florenti Ecclesiæ statu, ac livido oculo aspiciunt honorem, divitias et pompam, quibus circumdati sunt successores apostolorum: nec comprehendere volunt, quomodo non obstante spiritu humilitatis, qui idem semper est, ac esse debet, locum habeat exterior hæc status mutatio; noluntque animadvertere, quomodo ex suis crepundiis ac prima fundatione sua eluctata in hunc præsentem statum Ecclesia, regnumque Christi in terris perficienda fuerit ac elevanda. Nec comparant præsentem gloriam Ecclesiæ cum mediis, quibus huc pervenit: ansamque scandali inde arripiunt, unde in admirationem rapi oportuisset. Vellent hodie caput Ecclesiæ in eadem abiectione externa, et penuria, qua fuerunt apostoli &c. *a)*

Salva

a) Pour moi lorsque je vois le Chef des chretiens, le Successeur de saint Pierre assis sur le trône des Cesars, regner dans Rome, et de cette capitale du monde chrétien faire entendre sa voix pastorale à tous les peuples de l'univers; lorsque je reflechis sur la maniere, dont c'est opéré ce prodigieux changement, je ne puis m'empecher, de m'ecrier: Le doigt de Dieu est ici: lorsque je compare la splendeur et la magnificence du Vatican avec l'obscurité et l'horreur des prisons Mammertines, lorsque je me dis à moi meme: celui qui a gémi dans ces affreux cachots, est honoré dans cette superbe basilique, et son successeur habite ce somptueux palais; la même Religion que conduisoit en secret quelques fideles aux pieds du S. Apostre humilié sous les fers, conduit publiquement tous les peuples du monde aux pieds du S. Pere,

Salva non solum fuit semper Romanæ sedis dignitas, dum mox altero anno 411. post Alaricum crudelior avariorque Ataulphus defuncti Alarici successor Romam rebellare meditantem, ipsumque etiam Romanum nomen abolere in animo habuit; verum etiam, ut iam supra memini, salutem suam Roma S. Leoni M. P. in acceptis referre debuerat, cum ab Attila Hunnorum rege, qui se flagellum Dei nominarat, postea peteretur, armis in provincias Romanas conversis, sub eodem adhuc pontifice a Genserico etiam an. 455. depopulata, qua tandem Augustulus ab Odoacre Herulo expulsus, eam reliquit cum regno Theoderico Gotho, ab eius gentili Totila proximo seculo iterum incensam. „ Sic ceciderat (exclamat Bossuetus *a*) admonitione quarta et ultima,) „ Babylon, cuius figuram Roma in Occidente gessit„. Et dudum ante Otto Frising. postquam de imperio Zenonis Isauri, de Augustulo Romano, et irruptione in urbem Romam sub Odoacre esset locutus, pergit: *b*) „ Exclamare, contra re„ rum mutabilium miserias tempore et loco exi„ gente cogimur. Ecce enim regnum illud ma„ ximum ac potentissimum, ac quod solo nomi-

R 3 „ ne

son successeur rayonnant sous sa tiare: un tel spectacle, je l'avoue, me ravit, me transporte, me penetre de respect, de joie, et de reconnoissance. Je ne crains pas d'appliquer à cet evenement les paroles de la sainte Vierge dans son Cantique: Dieu a conversé les tyrans de leur trône, et il y a placé ceux, qu'ils tenoit dans humiliation. Eglise sainte, triomphez; et que toute la glorie en soit à votre céleste époux, qui a opéré sur la terre de si grands prodiges, que vos vrais enfans s'en rejouissent, et en triomphent avec vous!

*a*) De excidio Babylonis T. III. p. 720. *b*) lib IV. c. 31.

„ ne gentes terrebat ante, orbem concutiebat, iam „ paulatim decrescendo, et ex prima irruptione, „ quæ sub Alarico facta est, dehonoratum, post- „ modum in conculcationem barbaris patuit. Et ut „ apertiora, quæ diximus, fiant, misera urbs pri- „ mo ab Adalrico, secundo a Genserico capta tan- „ tum, ac populata, nunc vero ab Odoacre non „ solum capta, sed iure principis in potestatem ac „ imperium per XIV. annos lacrymabiliter subacta „ invenitur. Et inde quod, sicut superius dixi, „ non solum ortus eius, sed et finis Babylonico „ similis apparet imperio. „ Id cum pluribus expli- casset, ad Clodovei regnum Francicum delapsus, cuius soror Audeflede Theoderico regi nupta fuit, concludit: „ Sicut supra me dixisse memini, cum „ Roma parturiretur, Babylonia finem accepit; sic „ et modo cum regnum Francorum parturiretur, „ Roma sub Augustulo suo in ultima senectute a „ conditione sua MCCXXII. anno barbaris tradi- „ ta, occasum minatur. „

---

## Caput XXX.

*Romanum imperium accisum: Ecclesia militans regnum Christi in terris, præparatus mons domus Domini in vertice montium.*

Audiendus iam est, qui, dum hæc circa Romam, Romanumque imperium agerentur, vixit Salvianus, quem Gennadius tempore Gelasii R. P. adhuc vixisse refert, in senectute bona defunctum circa finem sec. V. Baluzius in notis ad eundem Salvianum ex loco quodam lib. VII. c. 10. de Litorii calamitati-

bus

bus colligit, non multo post annum 439. scripsisse eum libros de gubernatione Dei, adeoque antequam Italia, et tot aliæ gentes Attilam flagellum Dei, Roma et Africa Gensericum, idem de se testatum, aliæque provinciæ imperii Romani invasiones alias expertæ essent. Sic vero lib. VI. c. 12. Salvianus ad rem loquitur. „ Vastata est Italia tot iam cladibus: er-
„ go Italorum vitia destiterunt? Obsessa est urbs Ro-
„ ma, et expugnata: ergo desierunt blasphemi ac
„ furiosi esse Romani? Inundarunt Gallias gentes
„ barbaræ: ergo, quantum ad mores perditos spec-
„ tat, non eadem sunt Gallorum crimina, quæ
„ fuerunt? Transcenderunt in Hispaniæ terras po-
„ puli Wandalorum: mutata quidem est sors Hi-
„ spanorum, sed non mutata vitiositas. Postre-
„ mo, ne qua pars mundi exitialibus malis esset
„ immunis, navigare per fluctus bella cœperunt,
„ quæ vastatis urbibus mari clausis, et eversis Sar-
„ dinia ac Sicilia, id est, fiscalibus horreis, atque
„ abscissis velut vitalibus venis, Africam ip-
„ sam, id est, quasi animam captivavere reipublicæ.
„ Ecquid! ingressis terram illam gentibus barbaris
„ forsitan vel metu vitia cessarunt! Aut sicut corrigi
„ ad præsens etiam nequissimi quique servorum
„ solent, modestiam saltem ac disciplinam terror
„ extorsit? Quis æstimare hoc malum possit? Cir-
„ cumsonabant armis muros Cirtæ, atque Cartha-
„ ginis populi barbarorum, et ecclesia Carthagi-
„ nensis insaniebat in circis, luxuriabat in theatris
„ &c „. Ipsum hoc S. Augustinus de Romanis in Africam post captam urbem profugis perhibet,
„ quod (ait) incredibile forsitan erit, si a nostris
„ posteris audietur, Romana urbe vastata, quos

„ pestilentia ista (ludorum) possedit, atque inde „ fugientes Carthaginem pervenire potuerunt, in „ theatris quotidie certatim pro histrionibus insani- „ rent „. Hæc ille lib. I. de civit. Dei. c. 32. et mox c. 33. *de vitiis Romanorum, quos patriæ non correxit eversio,* alia, quæ iam supra retulimus. Salvianus vero de municipiis etiam Romanis, quæ nos propius attingunt, isque suis oculis vidit, lamentatur. Ac quidem de ludis agens, sibi veluti obiiciens: „Sed videlicet, (ait *a*)responderi hoc potest, „ non in omnibus hæc Romanorum urbibus agi. „ Verum est. Etiam plus ego addo, ne quidem „ nunc agi, ubi semper acta sunt antea. Non enim „ hoc agitur iam in Moguntiacensium civitate; sed „ quia excisa atque deleta est. Non agitur Agrip- „ pinæ, sed quia hostibus plena. Non agitur Tre- „ virorum urbe excellentissima; sed quia quadrup- „ lici est eversione prostrata. Non agitur denique „ in plurimis Galliarum urbibus et Hispaniarum. „ Et ideo væ nobis, atque impuritatibus nostris, „ væ nobis atque iniquitatibus nostris! Quæ spes „ christianis plebibus ante Deum est, quando quidem „ ex illo tempore in urbibus Romanis hæc mala „ non sunt, ex quo in barbarorum iure esse cœ- „ perunt? Ac per hoc vitiositas, et impuritas, qua- „ si germanitas quædam est Romanorum hominum „ &c „. Cap. 14. de Trevirensi *summa urbe* Gallorum agens, paucos nobiles, qui excidio superfuerant, incessens, *quasi*, ait, *pro summo urbis deletæ remedio Circenses ab imperatoribus postulabant.* Et iam antea *b*) „ Vidi siquidem (ait,) ego ipse „ apud Treviros domi nobiles, dignitate sublimes

„ licet

*a*) lib. VI. c. 7. *b*) lib. VI. c. 13.

„ licet iam spoliatos atque vastatos, minus tamen „ eversos rebus fuisse, quam moribus. Quamvis „ enim depopulatis iam atque nudatis aliquid supe- „ rerat de substantia, nihil tamen de disciplina, „ adeo graviores in semet hostes externis hostibus „ erant, ut licet a barbaris iam eversi essent, a se „ tamen magis everterentur. Lugubre est referre, „ quæ vidimus, senes honoratos, decrepitos chri- „ stianos, imminente iam admodum civitatis „ excidio, gulæ et lasciviæ servientes „. Idem librum VII. de GUBERNATIONE DEI exorsus, obiectionem illam solvendam suscipit, qua forte cuique in mentem veniat, „ hinc maxime probari, quod „ non respiciat res humanas Deus, quia cum Ro- „ mani quondam pagani et vicerint, et regnaverint, „ nunc christiani et vincantur, et serviant „. Et postea c. 8. de barbaris gentibus quæstionem instituens quærit: „ Quid est, quod Deus noster maximas „ reipublicæ opes et locupletissimos Romani nomi- „ nis populos in ius potissimum ignavissimorum „ quondam hostium dedit? Quid? nisi ut agnosce- „ remus scilicet, quod supra dixi, meritorum hoc „ fuisse, non virium, utque ipsum hoc nobis in „ confusionem caderet et pænam, quod ignavissi- „ mis traderemur &c. „ Et postea c. 12. „ Iudi- „ camur itaque etiam præsente iudicio a Deo: et „ ideo excitata est in perniciem ac dedecus nostrum „ gens, quæ de loco in locum pergens, de urbe „ in urbem transiens, universa vastaret. Ac pri- „ mum a solo patrio effusa est in Germaniam pri- „ mam, nomine barbaram, ditione Romanam: „ post cuius exitium arsit regio Belgarum, deinde „ opes Aquitanorum luxuriantium; et post hæc

„ corpus omnium Galliarum; sed paulatim, idipsum „ tamen, ut dum pars clade cæditur, pars exem- „ plo emendaretur. Sed ubi apud nos emendatio, „ aut quæ pars Romani orbis, utut afflicta corrigi- „ tur „? Fuit adhuc tunc pastoribus ampla in suis sermonibus de *Calendis Ianuarii* invehendi in paganicas superstitiones materia. Ex quibus S. Petrus Chrysologus Ravennatensis episcopus Serm. CLV. *a)* „ Hodie, (inquit,) gentiles deos suos fœditatibus „ exquisitis, excogitato dedecore, et ipsa turpitu- „ dine turpiores videndos trahunt, distrahunt, per- „ trahunt, quos faciunt non videndos „. Pia mater Ecclesia eo die singularem in liturgia habuit missam *ad probibendum ab idolis*, ac ieiunium illis diebus indixit ad inveteratam illam adhuc per secula tollendam maniam, qua orbis Romanus iam christianus tenebatur, de quo sæpe laudatus Salvianus lib. VI. *pene omnia*, inquit, *fiunt*, *quæ etiam quondam pagani veteres frivola atque irridenda duxerunt*.

Liceat hic paululum obtutum convertere in divinum illum legis gratiæ profectum, atque admirabile discrimen naturæ et gratiæ, salvo ac integro mysterio illo, quod D Paulus in electione gentium et reiectione Iudæorum spectans *b)* exclamat: *O altitudo divitiarum scientiæ et sapientiæ Dei* &c. Quod hic etiam deprehendere est, ubi Romæ ruinam Romanique imperii provinciarum ad barbaras gentes translationem præ oculis habemus Dum in Romanis ingenio et disciplinis veluti natura excultis tam *frivola atque irridenda*, tantam vitæ et morum perversitatem deprehen-

*a)* pag. 218. Edit. Aug. *b)* Rom. XI. 33.

prehendimus, malignitatem vero hanc naturæ in barbaris nationibus religionis christianæ cultura tam facile cicuratam conspicimus. Memorabilia cum primis sunt S. Remigii Remensis episcopi verba, quibus Clodoveum Francorum regem allocutus est, dum eum ipso Natali Domini an. 496. sacro baptismatis fonte abluit: *Mitis depone colla Sicamber.* Prævenisse veluti regem gens barbara est visa, ut enim S. Gregorius Turonensis testatur a) „ conveniens cum suis, priusquam „ ille loqueretur, præcurrente potentia Dei omnis „ populus acclamabat: mortales deos abigimus pie „ rex, et Deum, quem Remigius prædicat immor„ talem, sequi parati sumus „. Quis non obstupescat ad subitam illam barbaræ Francorum gentis, cum primum iugo Christi colla subdiderunt, mutationem, dum non solum ipsimet mitescunt, verum etiam mansuefaciunt alias, in quas paulatim ditionem suam porrigunt, nationes, citoque formam Ecclesiæ, statumque ecclesiasticum, politiam sacram ac ordinem hierarchicum divinæ institutioni ac religionis christianæ dignitati consentaneam legitima potestate præcipue in suis conciliis exhibuerunt, ac liberrime per suorum principum pietatem exeruerunt. Id factum iuxta consilium a S. Remigio datum Clodoveo: *Sacerdotibus tuis honorem debebis deferre, et ad eorum consilia semper recurrere. Quod si bene tibi cum illis convenerit, provincia tua melius potest constare.* Secus dum imperatores, in Oriente præsertim, fecerunt, colluvies hæresum inundavit imperium, atque in causa fuit, ut status hierarchicus

impotens

a) lib. II. c. 31.

impotens esset, fidem et mores fidelium integros præstare, quibus iratum divinum numen barbaras in pœnam commeritam immisit nationes.

Attamen stetit, ac effloruit inter has Romani imperii ruinas christiana religio Ecclesiaque per orbem, dum iam Africam Vandali, HispaniamGothi, Galliam Franci, Italiam permixti Barbari occupassent sec. V. superabatque sua amplitudine regna mundi, ac factus mons magnus implevit terram.

Stetit cumprimis, et enituit in arce sua Roma, ut ibi esset caput Ecclesiæ, ubi caput imperii fuerat. Semper fuit Romana Ecclesia invicta contra hostes quoscumque, sive eam persequentibus imperatoribus ethnicis, sive etiam, ut vidimus, christianis infestantibus; ornata semper pontificibus revera summis, ac plerisque sub Roma gentili quidem pro fide Christi profuso sanguine martyribus, redditaque postea Ecclesiæ pace pro eiusdem fidei integritate imperterritis pugilibus, plerisque omnibus ob singularem vitæ sanctitatem quinque prioribus seculis in sanctorum album relatis. Tales etiam nunquam iisdem temporibus per reliquum orbem catholicum defuerunt præpositi hierarchæ ac doctores Ecclesiæ, qui aut scriptis suis orthodoxam eiusdem doctrinam contra hæreticos quoscumque, ac eorum fautores etiam summos principes integram et illibatam conservarunt, aut contra eosdem legitimam Ecclesiæ potestatem sustentarunt sartam tectamque, sive dispersi per orbem ecclesiis suis præsidentes, sive in concilia coacti: ubi summa auctoritate quævis fidei, morum ac disciplinæ capita definierunt exemplo apostolorum

rum

rum Act. XV. auctoritateque cœlitus afflante (qua profecto nullus in humanis pollet legislatorum, utcumque sublimis sit ac potens, ut possit dicere: *visum est Spiritui sancto et nobis*) editis decretis seu canonibus communierunt; confluentibus gentibus, et dicentibus: *Venite ascendamus ad montem Domini, et ad domum Dei Iacob, et docebit nos vias suas &c.*

Extat canonum collectio sub ipso apostolorum nomine, quæ vel hinc saltem id nomen tuetur (nec ipsis æquioribus diffitentibus Protestantibus, quos studiose in hanc rem citavi in præfatione ad PRINCIPIA THEOLOGIÆ CANONICÆ) quod canones inde ab apostolicis temporibus in Ecclesia sancitos complectatur quoad priores saltem quinquaginta, cæteris deinceps superadditis, ut fit, factumque est imprimis in constitutionibus, quæ perinde ut illi canones dicuntur apostolicæ, admodum quidem interpolatæ, ut tamen iudicio doctorum, etiam Protestantium, multa contineant, quæ ad primitivam, Græcæ præsertim Ecclesiæ disciplinam spectent, sicut et canones apostolici. Ingens rerum copia continetur hisce canonibus quoad politiam ecclesiasticam, ritus sacros et disciplinam in oblatione sacrificii, ac Eucharistiæ communione, ieiunia et abstinentiam ciborum, hierarchiam imprimis ac tribunal, iudiciumque ecclesiasticum apud hierarchas, et ipsorum mutuam communionem, litteras communicatorias, statas per annum synodos, subordinationem fixis alioquin sedibus, et limitibus diœcesium ac parochiarum; quoad ordinationem item sacram, simoniacam, cœlibatum, varias irregularitates, vitam et honestatem clericorum sacro ministerio deputatorum: de severa porro quorumvis crimi-

criminum censura pœnisque ecclesiasticis, laicorum excommunicatione maiori ac minori, depositione et suspensione clericorum aut communione laica: de bonis etiam ecclesiasticis, eorumque usu canonico et administratione, contra dilapidatores eorumdem ac direptores; demum quicumque contumelia affecerit regem aut magistratum, quod pœnas luat. Commemoratos canones apostolicos Guil. Beveregius contra Dallæum vindicavit, edíditque cum amplissimis notis sub tit. CODEX CANONUM ECCLESIÆ PRIMITIVÆ ILLUSTRATUS, atque observavit, in antiquioribus monumentis ecclesiasticis, tum maxime conciliis œcumenicis ad hos canones respici, ac passim quidem in concilio Nicæno: cuius concilii canones solos cum Sardicensibus ceu complemento, ut ex causa Apiarii cum clero Africano palam fit, sec. V. Ecclesia Romana admisit, quemadmodum Innocentius I. ad Theophilum Alexandrinum testatur, et ad populum Constantinopolitanum: „ Canonibus porro, ( scilcit ) obsequendum „ esse, qui Nicææ sunt decreti, quos solos consectari decet Ecclesiam catholicam, et iuxta eos iudicare „. Sed res tum erat de canonibus synodi Constantinopolitanæ, quos detrectavit Ecclesia Romana cum Occidente, veluti antiquæ disciplinæ adversos, haud patiens, *ea robur accipere*, ut idem ait, *quæ adversus canones gesta sunt*, Ecclesia Romana in hac re cumprimis tenace: „ Apud nos enim, „ ( Innocentii successor Zosimus inquit ep. 7. ) inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui statuta „ Patrum sanxere reverentiam „. Agitur hic de primatu, quem ecclesiæ Arelatensi pontifex Romanus adscripsit. Taceo, quæ de codice canonum

Eccle-

Ecclesiæ Romanæ sub nomine S. Leonis M. Iustellus, Petrus de Marca, et Quesnellus in differt. XII. ad opera S. Leonis disputant, suum quisque, quem edidit, efferendo.

De decretalibus summorum pontificum epistolis dicemus postea ad seculum octavum, quo primum comparuit collectio illa Isidoriana, in qua complures sunt sub nomine Romanorum pontificum primæ Ecclesiæ ætatis compilatæ ex monumentis ecclesiasticis, passim etiam illis, quæ ad primam hanc Ecclesiæ epocham, quam sec. V. concludimus, pertinent, ex scriptis scilicet SS. Patrum, pontificumque etiam Romanorum, qui inde ab apostolis pro cura regimineque Ecclesiæ catholicæ ipsis ceu successoribus D. Petri apostolorum principis incumbente competenteque, sollicitudinem auctoritatemque in quibusvis causis ecclesiasticis exeruerunt. Pertinent ad primam ætatem omnes illæ pontificum R. decretales, quas Dion. Exiguus suæ collectioni canonum inseruit a Siricio P. usque ad Anastasium II. habueruntque Romani pontifices iam hac etiam sub epocha vicarios suos per provincias, et legatos, divinumque primatum suum, contra quosvis refragarios, æmulos imprimis, urbe imperiali superbientes, Constantinopolitanos episcopos, non obstantibus imperatorum in œcumenicis conciliis Constantinopolitano I. et Chalcedonensi conatibus: quibus nec in aliis quibuscunque rebus ecclesiasticis cesserunt hierarchæ pro data sibi a Christo potestate, sive fidem, sive politiam, ac disciplinam Ecclesiæ attinerent, ac mores vitamque christianam apud tribunal

bunal

bunal sacrum. Amplissima istud tribunal auctoritate non caruit ætate hac prima, quando cum interiore forum externum coniunctum fuit; quando impetita nunquam ab ullo principum ipsa ecclesiastica iurisdictio: quando iuxta canones pœnitentiales, ab Ecclesia ex plena, nulli humanæ potentiæ competente, ei vero a Christo concessa retinendi, remittendique potestate constitutos, imposita publica et privata pœnitentia fuit, ac inflictæ canonicæ pro qualitate criminum pœnæ; licet Ecclesia sub ethnicis adhuc imperatoribus pressa gemuerit, ut Tertullianus testatur sec. II. sub Alex. Severo, „ Ibidem etiam (ait) exhor-
„ tationes, et castigationes, et censura divina. Nam
„ et iudicatur magno cum pondere, ut apud
„ certos de divino aspectu, summumque futu-
„ ri iudicii præiudicium est, siquis ita deliquerit,
„ ut a communicatione orationis et conventus,
„ et omnis sancti commercii relegetur „.

---

## Caput XXXI.

*Status Ecclesiæ militantis, Romanique imperii et urbis fata sec. VI. efflorescente in regno Francico, regno Christi in terris.*

Posteaquam iam ad finem secul. V. Clodoveus Francorum rex late Burgundis, Westgothis, Boiis, Alemannis dominatus, Romanos Gallia expulisset, Theodoricus Gothorum rex Romam an. 499. ingressus, solemni pompa regno Italiæ potitus est, Vandalis, Alanis, Hunnis, Herulis reliquam

liquam fere Europam et Africam occupantibus, plerisque omnibus Arianæ hæresi, aut adhuc gentilismo addictis; ita ut Clodoveus cum suis ad fidem christianam conversus unus catholicus princeps ineunte sec. VI. haberetur; dum etiam in Oriente Anastasius imp. perinde ac antecessor eius Zeno, ac multo adhuc amplius hæresi Eutychianæ patrocinaretur: quippe qui non solum Henoticum Zenonis, quo Semi-eutychianorum causa agebatur, recepit, verum ultra etiam progressus est instigante Io. Alexandrino, qui aperte concilium Chalcedonense cum epistola S. Leonis P. reiecit, catholicis episcopis in exilium eiectis. Perseverabat etiam tunc schisma Acacianum Orientem inter et Occidentem. Equidem pacis conciliandæ causa Hormisdas P. ab Anastasio imp. interpellatus, legatos in Orientem misit; sed cum formulæ articulis ad faciendam unionem subscribere detrectaret, in irritum omnia abierunt: donec postea sub Iustino Anastasii successore, nova legatione missa, restituta est communio.

Maior vero fuit sedis apostolicæ dignitas, quando Gothi Roma sunt potiti, quam postea ea iterum imperatoribus restituta, ut vel Silverii et Vigilii PP. fata demonstrant. Iustinianus imp. equidem Iustino I. mortuo succedens, cum in confessione fidei, quam mox an. 528. publicavit, concilii Ephesini et subiectionis ad sedem Apostolicam mentione nulla facta, Nestorianismi se suspectum redderet, epistolis sese purgavit *a)* ad Patriarcham Cpolitanum et ipsum Ioannem P. datis: „ Nec enim „ patimur, (ut in epistola ad patriarcham scribit,) ut



*a)* L. cognoscere 7. de summa Trinitate.

„ quidquam eorum, quæ ad ecclesiasticum spectant „ statum, non etiam ad eiusdem (Rom. P.) referatur beatitudinem, cum ea sit caput omnium „ Dei sacerdotum, vel eo maxime, quod quoties „ in his locis hæretici pullularunt, sententia et recto iudicio illius venerabilis sedis coerciti sint. „ In utraque epistola unitatis cum sede apostolica præcipuo studio significato, subdit in epistola ad papam; „ Ideoque omnes sacerdotes universi orientalis tractus et subiicere, et unire sedi vestræ sanctitatis „ properavimus. „ Iam antea declaraverat l. 5. „ Cum recta utique irreprehensibilis fides, quam „ prædicat sancta Dei catholica et apostolica Ecclesia, nullo modo innovationem recipiat, nos sequentes sanctorum apostolorum, et eorum, qui „ post eos in sanctis Dei ecclesiis conversati sunt, „ dogmata, iustum fore existimavimus, cunctis „ manifestum facere, qualiter de fide, quæ in nobis est, sentiamus, insistentes, et inhærentes „ traditioni et confessioni sanctæ Dei Ecclesiæ catholicæ. „ Idem l. 6. sequenti contestatur.

Iustiniani successor Iustinus II. mox etiam orthodoxam fidei professionem per totum publicavit imperium, in qua contestatur, pace, quam Christus introiens mundum annuntiavit, obstringi se ad invitandum quosque, *ut omnes credentes in eum ad eandem Ecclesiam se conferant.* Faciendum hoc fuit, tum ob hæreses per Orientem imprimis grassantes, cum ob schisma, quod occidentalem quoque Ecclesiam distrahebat, cui ansam antecessor dederat, aliquando prævertens ecclesiastica iudicia. Unde ei accidit, quod aliis ante eum impp. accidisse

vidimus,

vidimus, rebus hierarchicis sese miscentibus, dum causam concilii Chalcedonensis agere se putat, novis turbis per tria, ut vocabant, capitula Occidentem pariter et Orientem commovit: re in apertum ac diuturnum schisma abeunte. Alias vero nimium Iustinianus sese negotiis religionis miscuisse, ab ipsis etiam Protestantibus arguitur, qui tamen, quod ad politiam ecclesiasticam pertinet, principi tribuunt. In quibus vero quamvis multas leges dederit Iustinianus, contestatur tamen haud semel tantum, se in suis sanctionibus sequi *sacras per omnia regulas*, canones nempe ecclesiasticos: *Quod enim*, ut ait l. 45. c. de eccl. *sacri canones prohibent*, *id etiam et nos per nostras abolemus leges.* Id vero ei iam Procopius *a)* vitio dat, quod cum detrimento reipublicæ nimis sese religionis rebus dederit, neglectis, quæ ad bella gerenda pertinent; quæ tamen strenue quidem in Italia per Belisarium gessit, vindicata Africa quoque, in qua ineunte hoc sec. VI. gravissimam persecutionem Trasimundus Vandalorum rex Arianus movit catholicis, restituto in Italia per eundem Belisarium insuper imperio, recuperataque Roma, quam is strenue contra Vitigen propugnavit, obsidionemque altero anno nempe 538. solvere compulit, quæ vero iterato postea capta est a Totila Gothorum rege, iam an. 541. Italiam occupante et postea Neapolim, ubi dum in monte Cassino S. Benedictum accessit, ab eo percipit, Romam se ingressurum, ut S. Gregorius M. narrat *b)* lib. II. dial. c. 15. simulque prophetiam S. Patris, Romam a gentibus non fore exterminandam, sed tempestatibus coruscis, et turbinibus ac terræ

 motu

*a)* Lib. III. de Bello Goth. c. 32. *b)* T. II. p. 240.

motu fatigatam in se ipsa marcituram. „ Cuius pro-
„ phetiæ ( subdit S. Gregorius ) mysteria nobis iam
„ facta sunt luce clariora, qui in hac urbe dissoluta
„ mœnia, eversas domus, destructas ecclesias tur-
„ bine cernimus, eiusque ædificia longo senio lassa-
„ ta, quia ruinis crebrescentibus prosternantur,
„ videmus „.

De tempore loquitur S. Gregorius, postquam Narses, qui Italiam Gothis, victo Totila, iterum eripuerat, irritatus, satisque Belisarii territus Longobardos e Pannonia advocaverat sub Iustino imp. a Cosroe Persarum rege, ( qui in religionem christianam dirum in modum sævierat, aususque est Cosroe iste pro pacis conditione statuere Heraclio christiani nominis eiurationem, ) sæpe devicto: dum præterea Orientem Avari et Saraceni undique infestant, nec permittunt Occidenti succurrere, atque in Italia vix Roma servata est et Ravenna. Post Tiberium tanden Iustini II. successorem cum Mauritius imperator de Persis assiduis Romani imperii hostibus multas reportaret victorias, ac Franci etiam Longobardos fatigarent in Italia, aliquamdiu respirasse Roma visa est, sed mox iterum a Longobardis Francorum devictorum timore solutis, premitur omni fere præsidio vacua; dum interim Exarchus Ravennas etsi bello gerendo impar, ut S. Gregorius *a*) queritur, lucrum ex publicis calamitatibus captans, paci toto nisu repugnat, atque ea, quam postea idem S. Pontifex cum Longobardis, Etruriam obtinentibus, fecerat, temere violata esset, ut amare deflet *b*) ipse ad Mauritium imp. scribens, atrocius

*a*) Lib. II. ep. 46. *b*) Lib. V. ep. 40.

atrocius ob perfidiam Exarchi bellum recruduit. Interim etiam Francia in tria regna divisa, inter se odiis præsertim duarum reginarum pugnat. In Oriente porro Mauritio regnante hæreticorum ora conticuerunt, et prava, quæ sentiebant, eloqui non præsumebant teste S. Gregorio *a)* qui interim in suis lucubrationibus assiduus ad formandos hierarchas hierarchiæque dignitatem, ac auctoritatem conservandam totus incumbit, id persæpe dolens, quod ad sæcularia negotia tantopere sit distractus; *b)* sæpe etiam quietem, qua ante pontificatum in monasterio fruitus esset, deperditam lugens *c)* pacem tandem Romanos inter et Longobardos, renitente quidem semper Exarcho, ad finem sec. VI. pepigit, missis etiam ad Agilulfum Longobardorum regem legatis, cuius uxor Theodelinda catholicæ religioni addictissima erat.

Orthodoxa tamen fides, nullibi gentium integra ac incontaminata effloruit, præterquam in regno Francico, atque apud reges Franciæ post fata S. Sigismundi regis Burgundiæ, quem ab Ariana hæresi ad fidem catholicam convertit S. Avitus Viennensis, qui etiam Clodoveo gratulatur epist. 41. non solum quod religionem christianam, sed etiam fidem catholicam professus sit: id quod in epistola ad Childebertum Franciæ regem singulariter extollens ac deprædicans S. Gregorius: *Esse autem*, (scribit *d) regem, quia sunt et alii, non mirum est; sed esse catholicum, quod alii non merentur.*

In Hispania sub regno Gothico Ariana hæresis dominabatur, Arianis regibus omnibus hoc

 seculo

a) Lib. XI. ep. 46. b) Prol. lib. I. dial. T. II. p. 151.
c) Lib. I. ep. 5. p. 491. seqq. d) Lib VII. ep. 6

seculo ab Alarico an. 506. usque ad an. 586. Recaredo primo rege catholico post Leovigildum Arianum patrem et interfectorem S. Hermenegildi M. Hunc Mariana lib. III. c. 12. primum regem Hispaniæ catholicum dicit, a patre in consortium regni susceptum, postea vero ob fidem catholicam occisum. Statim sub Recaredo effloruit res catholica in Hispania, crebris celebratis conciliis, quibus aliquando etiam rex aderat religionis studiosissimus: pro qua re ut in concilio Toletano III. an. 589. c. 3. Patribus contestatur, „ quanto subditorum gloria regali excellimus, „ tanto providi esse debemus in his, quæ ad Deum „ sunt, vel nostram spem augere, vel gentibus „ a Deo nobis creditis consulere. Ita erit consum„ matio iustitiæ, si eandem fidem intra univer„ salem Ecclesiam teneamus, et apostolica moni„ ta in apostolico positi fundamento servemus. „ Memorat postea Suevorum gentis infinitam multitudinem, „ quam (ait) præsidio cœlesti nostro „ regno subiecimus, alieno licet in hæresin de„ ductam vitio, nostro tamen ad veritatis origi„ nem studio revocavimus „. Perhibet laudatus Mariana lib V. c. 14. contigisse Recaredo, „ quod „ (ait) haud scio, an regum ullis, ut in religione „ permutanda, quod propemodum necesse erat, „ motus existerent, sed neque diuturni admodum, „ neque graves: et severitas animadversionis „ non modo invidiosa non esset, quia necessario „ suscipiebatur, et cum bonis omnibus, tum in„ fimo cuique gratissima „. Paratissimos ad hoc habuit, quos ipse in laudato sermone in conc. Tolet. III. habito allocutus est, sacrorum præsules: qui qua-

quales, quamque insignes pastores fuerint, acta conciliorum hoc seculo in Hispania celebratorum perhibent, ac præclaræ pro regno Christi in terris leges.

Ex actis concilii Bracarensis I. constat sec. VI. in Hispania (ubi Martinus Bracarensis concinno ordine collectionem canonum publicavit) extitisse codicem canonum, quibus Ecclesia regeretur, auctoritate legali præditum, cuius epitomen, sequenti sec. VII. factam ab Isidoro Hispalensi, ut censet C. de Aguirre, ipseque edidit T. III. concil. Hisp. Collectioni illi decretales pontificum adiectæ fuerunt exemplo Dionysii Exigui in sua collectione canonum Romæ eodem seculo facta, qui etiam eidem codicem Africanum sub titulo synodi apud Carthaginem Africanorum inseruit: ubi sec. V. codex ecclesiæ orientalis, auctus sec. VI. a Ioanne Scholastico patriarcha Constantinopolitano, auctoritate hierarchica pollebat, ampliatus deinceps canonibus Africanis.

In Africa porro sec. VI. Ferrandus diaconus breviarium canonum edidit, summaria tantum exhibens, et citans, quibus ex conciliis ac decretalibus quæque sint repetenda. Scripsit autem circa ea tempora, quibus Africa iterum in potestatem Romani imperii an. 533. est redacta, Belisario victum Constantinopolim abducente Gilimerium ultimum Vandalorum regem, qui vita et regno privaverat piissimum Hildericum, a quo exules ob fidem catholicam episcopi revocati fuerant, dirissime habiti in persecutione Vandalica ab Arianis, sub Trasimundo imprimis rege Hilderici antecessore.

Locorum intercapedo ecclesiam Africanam tutam præstabat a novis illis periculis, quibus imperio ecclesiæque Orientali iuncti exponebantur ob varias illic grassantes hæreses, Eutychianam præprimis ac Monotheliticam, quas quavis vi, ut vidimus, sustentarunt imperatores ineunte adhuc seculo VI. dum a superstite impio Anastasio an. 512. plus quam trecenti monachi Maronitæ, totidemque a Severo Acephalorum capite in Syria trucidati sunt pro fide synodi Chalcedonensis, nullo respectu habito theocratiæ illius ecclesiasticæ, nuspiam magis, quam in conciliis œcumenicis conspicuæ, repræsentantibus nempe collegium apostolorum, quibuscum Christus se in eorum successoribus futurum promisit usque ad consummationem seculi, eadem, qua ipse a Patre missus erat, illos potestate mittens ad prædicandum evangelium. Neque etiam Vigilius P. in damnatione trium capitulorum, ut vocabantur scripta quædam Theodori Mopsuesteni, Theodoreti et Ibæ, tergiversabatur, præterquam quod vereretur, concilium Chalcedonense peti: quo timore diu adhuc detenta fuit ecclesia occidentalis, non modicam partem schismate inter se disiuncta.

Iam meminimus frequentium conciliorum in regno Francico, inde ab eius exordio habitorum. Ad votum antistitum Ecclesiæ principes leges in conciliis de disciplina ecclesiastica latas, aut etiam pietate principum suggestas lege porro firmarunt: qualis extat *Præceptio* gloriosissimi regis Guntramni ad episcopos et iudices regni sui de observando die

Domini-

Dominico, et aliis, edita in confirmatione concilii II. Matisconensis anno 585. Pertinent huc, quæ S. Greg. Turonensis refert *a)* de legatione sua cum aliis episcopis ad Guntramnum R. an. 588. de suggesto a rege consilio congregandæ synodi nationalis, dum contra „ iuxta consuetudinem canonum ( sunt verba Gregorii ) placebat gloriosissimo nepoti vestro ( Childeberto II. ), ut unusquisque metropolita cum provincialibus suis coniungeretur: et tunc, quæ non rationabiliter in regione propria fiebant, sanctione sacerdotali emendarentur. Quæ enim causa extat, ut in unum tanta multitudo conveniat? Ecclesiæ fides periculo ullo non quatitur, hæresis nova non surgit. Quæ erit ista necessitas, ut tanti debeant in unum coniungi Domini Sacerdotes? Et ille ( Guntramnus ): Sunt multa, inquit, quæ debeant discerni, quæ iniuste gesta sunt, tam de incestis, quam de ipsis, quæ inter nos aguntur, causis. Sed præcipue illa Dei causa extat omnibus maior, ut inquirere debeatis, cur Prætextatus episcopus gladio in ecclesia fuerit interemtus. *b)* Sed et de iis, qui pro luxu-

*a)* Lib. IX. Hist. Franc. c. 20.

*b)* Quod de Prætextato Rotomagensi ep. hic notatur, palam facit, quo loco immunitas eccles. tunc fuerit. Quam causam ad synodum Paris. an. 577. deferens Chilpericus, sic Patres alloquitur: „ Quamvis venerandi pontifices, regia potestas reum maiestatis legibus condemnare possit: ego tamen hunc, qui falsum sibi nomen pastoris usurpat, coniurationis contra me factæ auctorem sacris non contradicens canonibus, vestræ audientiæ repræsento. Vid. Aimon lib. III. c. 26. add. conc. Matisc. II. can. 9.

„ ria accusantur, debet esse discussio, ut aut „ victi sanctione sacerdotali debeant emendari, „ aut certe si innocentes inveniuntur, publice „ error criminis auferatur. Tunc iussit, ut in „ calendis mensis quarti hæc synodus prolon„ garetur. „ Multa hæc continent ad disciplinam ecclesiasticam illius ævi illustrandam, commonstrandamque primum adolescentis tunc monarchiæ Francicæ pietatem. Ut vero nihil proclivius est, viribus ac potentia pollentes excedere, ac extra orbitam abripi, etiam dum religione se ferri videntur, ac tunc maxime; ab hierarchis sui muneris gnaris intra sphæram revocati sunt reges Francorum, iugi evangelii haud impatientes. Sic dum Chilpericus indiculum quemdam errorum de SS. Trinitate misisset S. Gregorio Turonensi, respondit *a*) hic: „ Hac credulitate „ relicta pie rex, hoc te oportet sequi, quod nobis „ post apostolos alii doctores Ecclesiæ reliquerunt. „ Narrat porro Gregorius, acerrime se regi restitisse unacum Salvio Albigensi episcopo reliquaque tunc congregata synodo, rege sic ad saniora revocato.

Extra regnum Franciæ S. Gregorius P. ut exstirpato gentilismo fidem catholicam sanam ac integram in Anglia plantaret, Augustinum et socios misit; qui fidem a S. Patritio cumprimis finiente sec. V. Britanniæ illatam, sed ab Anglo-saxonibus fere suffocatam restituerunt, atque gentem illam ad fidem christianam converterunt, ac sacram hierarchiam ordinarunt auctoritate apostolica, institutis Londinensi, et Eboracensi metropolitis. Idem

*a*) Lib. V. hist. Franc. c. 44.

Idem sanctissimus pontifex sicubi adhuc alibi idolorum cultus obtineret, ad eum penitus extripandum tota contentione incubuit. Ex eodem S. Gregorio lib. II. dial. c. 8. constat, S. Benedictum in Cassinum commigrantem adolescente seculo hoc sexto invenisse ibi „ idolum, quod contrivit, subvertit aram, succendit lucos, atque in ipso templo Apollinis oraculum beati Martini, ubi vero ara eiusdem Apollinis fuit, oraculum sancti Ioannis construxit, et commorantem circumquaque multitudinem prædicatione continua ad fidem vocabat. „ Promiscue tunc adhuc vixisse, inter christianos, paganos, ex Iustiniani l. 56. C. de episc. an. 533. data discimus, qua iubet, *ut nullus Iudæus, vel paganus, vel hæreticus servos christianos habeat.* Tempore S. Gregorii Sardiniæ partem incolebant quidam populi, Barbarinici dicti, quos ipse *a)* scribit, ut insensata animalia vivere, Deum verum nescire, ligna autem et lapides adorare. Ad eos convertendos dum episcopum Felicem et Cyriacum servum Dei abbatem S. Andreæ misit, ab iis didicit non hos solum, sed rusticos fere omnes in Sardinia idololatriæ deditos. Hæc ad annum 593. et 594. referunt scriptores vitæ S. Gregorii San-Maurenses editores operum eiusdem: et ad an. 597. pontificatus Gregorii octavum Corsorum conversionem, dum ad eum de hac re perscriberet Petrus Aleriensis episcopus, alium adhuc episcopum ordinavit ea in insula non procul a monte, quem plurimi adhuc idolorum cultores incolebant. Citant ibidem epistolam ad Agnellum Terracinensem ep. ex qua constat,

a) Lib. IV. ep. 23. 24.

constat, hoc in pago quosdam tunc adhuc arbores coluisse. Biennio post Brunichildem reginam hortatus est, ut ab idolorum cultu sibi subditos populos coerceret, cum multi christianum nomen professi et ad ecclesias concurrerent, et a cultu dæmonum non discederent, qui cultores nimirum arborum de capitibus animalium sacrificia exhibebant.

Eundem apostolicum zelum S. Gregorius in reducendis ad Ecclesiam catholicam hæreticis exeruit, ac severiorem quidem, ut nullo non tempore factum fuit, contra Manichæos, divinam maiestatem incomparabili blasphemia dividentes, secumque committentes. De quibus ad Cyprianum diaconum scribens *a*) patrimonii Ecclesiæ Romanæ in Sicilia curatorem, „ de Manichæis, (inquit) qui in possessionibus nostris sunt, frequenter dilectionem tuam admonui, „ ut eos persequi summopere debeat, atque ad fidem catholicam revocare: quod, si tempus exigat, „ per te; et si pro aliis causis non licet, per alios solerter inquire. „ Vicissim vero Iudæos remissione oneris pensionum allectare ad suscipiendam fidem studens, ad eundem perscribit: „ Nec hoc inutiliter „ facimus, si levandis pensionum oneribus eos ad „ Christi gratiam perducamus: quia etsi ipsi minus „ fideliter veniunt, hi tamen, qui de eis nati fuerint, fidelius baptizantur. Aut ipsos ergo, aut „ eorum filios lucramur. Et ideo non est grave, „ quidquid de pensione pro Christo dimittimus. „ Hinc etiam argumentum status temporalis Ecclesiæ habemus, qualis non minus alibi gentium effloruit pietate catholicorum principum, Franciæ imprimis a Clodovæo, in Hispania a Recaredo, in Anglia ab Eduino. CA-

*a*) lib. IV. ep. 6.

## Caput XXXII.

*Status Ecclesiæ fideique orthodoxæ in Oriente collabescens, accisus per sectam Mahumetanam, in Occidente accrescens sec. VII.*

Ineunte sec. VII. S. Gregorium monuit Maximus Salonitanus ep. de Sclavis, per Histriam aditum sibi in Italiam parantibus. Ad eundem quoque annum Baronius refert, quæ Paulus diaconus narrat de irruptione in Venetam provinciam facta a Chagano Avarum rege, quibuscum semper fere pugnandum in Oriente fuit Mauritio imp. parum vero eidem Occidens (quod vehementer afflixit S. Gregorium, atque expostulandi contra eum apud Phocam eius successorem fuit causa) curæ fuit, dum Longobardi aliique barbari Italiam, Siciliam, Sardiniam, Dalmatiam depopulantur. *Qualiter quotidianis gladiis, et quantis Longobardorum incursionibus, ecce iam per triginta quinque annorum longitudinem premimur, nullis explere suggestionis vocibus valemus*, ad Phocam *a)* scribit, qui an. 602. Mauritium throno deiecit, cum filiis crudelissime trucidatum. Cum Mauritio dum ob vitam monasticam simultatem habuisset, ut sancto huic instituto (quod superiore seculo S. Benedictus iam etiam extra Italiam in Sicilia per S. Placidum, et Gallia per S. Maurum propagaverat, ipse S. Gregorius *b)* in Anglia per S. Augustinum et socios) securitatem præstaret, concilium an. 601. celebravit.

Mortuus

*a)* Lib. XIII. ep. 33. *b)* T. V. ed. Labb. 1607. &c.

Mortuus S. Gregorius an. 604. ſucceſſores paucis ultra annum menſibus habuit: Sabinianum et Bonifacium III. quem octo non amplius menſium pontificem, fuerunt tamen ex Proteſtantibus, qui facerent caput Antichriſtianæ cathedræ S. Petri, quod eum Phocas imp. papam œcumenicum edixerit. Sedi Apoſtolicæ autem ſemper iam a ſeculis cum impp Orientis (qui omnium hæreſum in ſe patrocinium ſumſerunt, atque etiam ſchiſma orientale ex arrogantia regiæ ſuæ Cpolis ceu novæ Romæ foverunt) fuit decertandum uſque ad exilia, carceres, et mortem. A Chriſto repetunt prærogativam ſuam Romani pontifices D. Petri ſucceſſores, cui Chriſtus ſuam Eccleſiam, ſuæ fidei ſuperædificatam, ſingulariter teſtimonio amoris præcipui præ cæteris agnos et oves, ex interpretum ſententia paſtores cum fidelibus populis commiſit, ſingulariter etiam claves regni cœlorum concredidit. Quod vero Chriſtus Petro demandavit, ut aliquando confirmaret fratres ſuos, id eius ſucceſſoribus, ſi unquam, certe illis his faciendum fuit ſeculis, quibus impp. Græci paſtores Eccleſiæ reliquos, quos ſibi obnoxios habebant, in tranſverſum egerunt, ac fidem, unitatemque Eccleſiæ, cuius centrum Romana ſedes ſemper eſt agnita, et agnoſcitur a catholicis omnibus, ſubvertere allaborarunt; quaſi vero, inquam, ſedes apoſtolica, quæ a Chriſto Domino acceptam apoſtolica ſucceſſione ſemper tuita eſt integerrimam fidem, axioma aliquo loco haberet, a Phoca acceptum tyranno immaniſſimo, impiiſſimoque, cui quidquid obſervantiæ pontifices exemplo etiam S. Gregorii,

ceu

ceu crudelem bestiam demulcentes ob rabiem, præstiterunt tunc imperium tenenti, mandante apostolo præstiterunt etsi discolo, omnia equidem in scelera profuso: qui ignavia sua et muliebri mollitie barbaris locum dedit invadendi, occupandique imperii provincias, capta etiam a Cosroe Persarum rege urbe Hierosolymitana, ab Heraclio tandem an. 628. insigni victoria, et deinceps pluribus præliis prostrato et effugato, compulsoque, et urbem et S. crucem Domini, quam abstulerat, restituere.

At dum iterum negotiis religionis se miscent imperatores, atque ipse etiam Heraclius a Sergio patriarcha inductus est edita Ecthesi in favorem Monothelitarum et errorem ipsorum, aut dissimulationem saltem veritatis catholicæ, in eam quidem se a Cyro et Sergio patriarchis pertrahi passus est etiam Honorius P.; attamen mox iterum Ioanne. IV. pontifice in concilio Romæ apostolica fides firmata fuit contra conciliabulum Cpolitanum, reiecta etiam Ecthesi Heraclii, et postea typo Constantis imp. quo silentium non ferendum in professione fidei est indictum. Idem porro Ioannes IV. P. epist. ad Constantinum imp. et in dialogo cum Pyrrho, atque etiam S. Maximus martyr fidem Honorii P. luculenta apologia vindicarunt. Unde potuit postea S. Agatho P. confidenter in Orientem ad Constantinum Pogonatum imp. scribere, facta D. Petri mentione: *Apostolica eius Ecclesia nunquam a via veritatis in qualibet erroris parte deflexa est*: nec vel ad momentum ob Honorium communio Ecclesiæ catholicæ cum Roma-

na

na sede interrupta est. Interim vero uti fidem catholicam invicte assertam diximus a Ioanne P. ita etiam factum Romæ in conciliis sub eius successoribus Theodoro et S. Martino, quem inter Martyres ecclesia ( cum S. Maximo abbate sanguinem pro fide fundente ) celebrat, qui nempe vi abductus Cpoli in carcerem detrusus, in Chersonesum relegatus, post quatuor menses ærumnis confectus obiit. Dum vero postea a S. Agathone P. redintegrata videri poterat fides in synodo œcumenica VI. an. 681. succedentibus eidem etiam sanctitate conspicuis pontificibus plerisque; schisma quidem exortum est an. 687. in ecclesia Romana, mox tamen sequenti anno sopitum electione S. Sergii P. qui toto, quod reliquum fuit, huius seculi tempore usque ad an. 701. sanctissime gubernavit ecclesiam Romanam.

At vero ecclesias patriarchales in Oriente plerumque obsederunt hæretici Eutychiani ( Iacobitæ etiam postea dicti a Iacobo Syro ) Alexandriæ quidem post S. Eulogium, Antiochiæ autem post S. Anastasium ad finem usque sec. XI. fere omnes, gemente Antiochia sub tyrannide Barbarorum: urbe etiam Hierosolymitana an. 637. sub S. Sophronio patriarcha in potestatem Saracenorum redacta: Armenis vero ab Ecclesia catholica scissis a septimo hoc usque proxime sequentibus seculis.

In Hispania, Wisigothis regibus ad fidem catholicam reversis, magnam licet partem sub Arabum dominatu degentem, compluribus celebratis conciliis Toletanis fides catholica contra Monothelitas stabilita, disciplina quoque ecclesiastica

egregie

egregie stetit S. Isidoro Hispalensi præsertim et S. Ildephonso Toletano episcopis. Quanta seculo VII. fuerit sacerdotii et regni consensio, mutua declarant consilia in conventibus ac conciliis, ad ea etiam statuenda, quæ regis regnique ordinationem attinent. Secundum acta conc. Tolet. III. an. 633. postquam „ rex cum magnificentissimis „ viris ingressus, primum coram sacerdotibus Dei „ humo prostratus, lacrymis et gemitibus pro se „ interveniendum Dominum postulavit „ electio regis statuitur, „ ut defuncto in pace principe pri„ mates totius gentis cum sacerdotibus successio„ nem regni consilio communi constituant, ut „ dum unitatis concordia retinetur, nullum pa„ triæ gentis dissidium per vim atque ambitum „ oriatur „. In Tolet VI. an. 636. postquam can. 2. cautum esset de custodia salutis regum, et defensione prolis præsentium principum, canon. 3. sequens legitur: „ Sanctum concilium simul et „ cum consensu christianissimi principis suorum„ que optimatum et illustrium virorum hanc pro„ mulgamus placituram Deo sententiam: ut quis„ quis succedentium temporum regni sortitus sit „ apicem, non ante conscendat regiam sedem, „ quam inter reliqua conditionum sacramenta pol„ licitus sit, nullum non catholicum in suo re„ gno degere; si vero postquam ad regni guber„ nacula accesserit, ipse temerator huius extiterit „ promissi, ipse sit anathema Maranatha in con„ spectu sempiterni Dei, et pabulum efficiatur „ ignis æterni, et omnes, qui cum eo consen„ serint. „

In Britannia cum essent plura regna, nec omnes reges christiani, peterentque nihilominus mutua connubia, V. Beda lib. I. c. 21. narrat de Penda rege, non potuisse filiam a rege Northumbriæ obtinere, *nisi fidem christianam, ac baptisma cum gente, cui praeerat, acciperet.* Subdit vero V. Beda, regem Penda, audita prædicatione veritatis et promissione regni cœlestis speque resurrectionis et futuræ immortalitatis, libenter se christianum fieri velle, confessum esse, tametsi virginem non acciperet. Socer vero regis Penda fuit religiosus rex Osviu, cui eodem teste Beda lib. III. c. 29. Vitalianus P. testimonium in literis dedit: „ Quia non solum Dei cultor extitit, sed etiam „ omnes subiectos suos, meditatur die ac nocte, ad „ fidem catholicam atque apostolicam pro suæ „ animæ redemtione convertere. „ Cuiusmodi modo in Hispania memoravimus utriusque ordinis conventus seu concilia pro causis utriusque status, talia etiam circa finem sec. VII. quædam sub Ina rege concilia, et deinceps in Anglia, uti et in Gallia, fuerunt celebrata.

Ad finem fere seculi Traiectis in Belgio est imprimis notabile habitum concilium de sanctis viris mittendis ad prædicandum evangelium: postquam iam S. Kilianus apostolus Franciæ orientalis et Thuringiæ cum duobus sociis, instigante Geila Gosberti Franconiæ ducis uxore, Herbipoli cæsi essent an. 689, dudum vero ante in Bavaria S. Emmeramus Ratisbonensis episcopus an. 653. martyrio coronatus. Saxones occidentales a Berino, quem Honorius P. illuc ad prædicandum evangelium

lium

lium miserat, cum suo rege Cunegildo baptismum susceperunt; ad finem quoque seculi in Frisia et Saxonia SS. Wilibrordus ac Suibertus evangelii præcones extitere; in Anglia vero Eduinus rex cum plurimis suorum a S. Paulino episc. e S. Augustini sociis, eo a S. Gregorio M. missis, ad fidem conversus est, ut apud vener. Bedam in historia Angl. lib. II. legere est. Ad nos SS. Columbanus, Magnus et Gallus, eius socii, diverterunt, (instituto passim monastico ordine ad dilatandum Christi evangelium) Bataviam, Westphaliam, Frisiam, Franconiam, Helvetiam, Sueviam obeuntes. Sic Ecclesia militans regnum Christi in terris dum in Oriente decrescit, in Occidente incrementa accipit, armatura apostolica; cum illic novus armatur hostis, nova armatura, gladio nempe religionem christianam persequens, eaque profligata suam inducturus Mahometes.

Dum nempe imperatores in Oriente, neglecto imperio, religionis se rebus miscent, atque omnia in Ecclesia perturbant, super omnes alios imminentes in Oriente hostes Saracenorum Arabum gens caput effert Mahomede duce, sectam suam christianæ religioni opponente, quæ hodieque totum imperium Ecclesiamque orientalem olim florentissimam tenet, per Europam, Asiam, et Africam diffusa, epochamque suam ab Hegira, quam vocant, anno Christi 622. repetit.

Missum se a Deo venditans primum Mahomed ad idololatriam in Arabia patria sua exterminandam, non nisi patriarcharum in vet. Test. restituere religionem præsetulit: unde circumcisionem indu-

xit, ac polygamiam indulsit. Nec Christo honorem magni prophetæ negavit; offensus vero tot de eo inter christianos controversiis, sibi in animum induxit, Christi divinitatem, doctrinamque de SS. Trinitate adversam esse Deo, quem unum summum, ac verum colendum ab omnibus, deprædicabat; ingenio, facundiæ, enthusiasmo fraudes iungens, atque arma contra adversantes quosque; probitatem etiam morum statuens inter suos, ac humanitatem seu erga egenos liberalitatem congruenter præcepto christiano charitatis, sectam celeriter provexit seculo VII. pervasitque potiorem orbis tunc cogniti partem in Asia et Africa, brevi etiam contigua Europæ plaga infecta: quippe quæ se analogia quadam iudæis quoque commendabat, et christianis, de præcipuis fidei capitibus inter se dissidentibus: quibus accedebat simplicitas quædam dogmatis, utpote brevissimi argumenti, captui etiam vulgari accomodata. Mortuo Mahomede an. 633. Omar tertius, quem nominant, Califa capta an. 636. Hierosolyma, securitatem tamen christianis dedit rebusque ecclesiæ, concesso quoque libero religionis christianæ exercitio, stata lege, ne religionis causa vis inferretur, etsi secta in hoc tota sit, ut armis sese protogaret, tam rapido cursu progressa, ut an. 674. Cpolin obsidione cinctam non uno anno tenuerit; at frustra, imperatore tunc Constantino Pogonato.

Is orthodoxam fidem in conc. Cpolitano III. generali VI. assertam suscepit, prout iam Romæ præformata omnia erant in concilio, legatis epistola insigni instructis, in qua luculenta erat fidei

confessio,

confessio, cui acclamatum a concilii Patribus. Multo tamen postea seorsim in Trullo addiderunt orientales episcopi canones, quos, quidquid moliretur imperator, confirmandos non existimavit, aut suscipiendos occidentalis Ecclesia; quæ quoad rem suam in fide catholica consentiens, solo alicubi ob tria capitula secum commissa est dissensu. Quod disciplinam attinet, in conciliis provincialibus egit in Gallia, Hispania, Anglia; unde iam in Germaniam nostram coloniæ tum monachorum, tum etiam fidei præconum, ut iam meminimus, felicissimo omine sunt deductæ, faventibus seculi principibus, imprimis vero Ecclesiam militantem regnum Christi ornare gestientibus regibus plerisque Francorum.

Quos inter primus in hoc seculo Clotarius II. Childebertum secutus, qui an. 595. edicto caverat: „ Qui episcopum suum noluerit audire, et „ excommunicatus fuerit, perennem condemna„ tionem apud Deum sustineat, et de palatio „ nostro sit omnino extraneus, et omnes faculta„ tes suas parentibus legitimis remittat „. Clotarius vero an. 615. statuit, „ ut canonum sta„ tuta in omnibus conserventur, et quod per „ tempora ex hoc prætermissum est, dehinc per„ petualiter observetur. „ Tunc singillatim immunitates ecclesiasticas tam personalem, quam realem concordantibus legibus Boioariorum, Alemannorum et Ripuariorum communiens generatim constituit: „ Quidquid parentes nostri, ante„ riores principes, vel nos per iustitiam visi su-

„ mus concessisse, et confirmasse, in omnibus de-
„ beat confirmari. „

Habebantur iam tunc conventus illi in regno Francico tam celebres utriusque ordinis tam ecclesiastici, quam civilis, tum seorsim pro rerum argumentis et materia, cum etiam coniunctim in concordia sacerdotii et imperii, ad utrumque reipublicæ statum rite et ordinatim in una consociatione, pro cuiusque status politia et iuribus, conformandum conciliandumque: quam in rem est eiusdem Clotarii dicti an. 615. constitut. c. 24.
„ Quicunque hanc deliberationem, quam cum
„ pontificibus aut fidelibus nostris in synodali con-
„ cilio instituimus, temerare præsumserit, in
„ ipsum capitali sententia iudicetur, qualiter non
„ debeat similia perpetrare „. Iam in ipsa præfatione harumce legum declaraverat, quæ sit ipsi mens, et præstitutus finis: „ Felicitatem regni
„ nostri in hoc magis magisque divino interce-
„ dente suffragio succrescere non dubium est, si
„ quæ in regno, Deo propitio, nostro acta, sta-
„ tuta, atque decreta sunt, inviolabiliter nostro
„ studuerimus tempore custodire, et quæ con-
„ tra rationis ordinem acta vel ordinata sunt, ne
„ ut antea contingant, disposuerimus „. His vestigiis Sigebertus rex insistens an. 650. in epist. ad Desiderium archiep. Caduricensem edita a Baluzio T. I. epist. 78. Capitular. *Nos*, inquit, *statuta canonum et ecclesiasticas regulas, sicut parentes nostri in Dei nomen conservaverunt, ita et nos conservare optamus.* Agit porro de conciliis suo cum præscitu celebrandis. Notatu imprimis digna

digna ad concordiam sacerdotium inter et imperium impp. Francorum lib. V. cap. 222. ad episcopos verba: „ Volumus vos scire voluntatem „ nostram, quod nos parati sumus vos adiuvare, „ ubicunque necesse est, ut ministerium vestrum „ adimplere valeatis: simulque vos admonemus, „ ut propter humilitatem nostram et obedientiam, „ quam monitis vestris propter Dei timorem ex„ hibemus honorem a Deo nobis concessum con„ servetis, sicut antecessores vestri nostris antecess„ soribus fecerunt. „

## Caput XXXIII.

*Status Ecclesiae, in Germania praesertim, efflorescens, et Ecclesiae Romanae. Imperii epocha nova Sec. VIII.*

Enatum hinc est ius Capitularium regum Francorum, quorum collectio edita a Stephano Baluzio prostat, corpus vero concinnatum est tum ex synodorum episcopalium decretis, cum etiam ex conventibus illis seu synodis huiusmodi optimatum utriusque reipublicae, episcopis, et abbatibus una ex parte, ex altera ducibus et comitibus primoribus regni, quae magna celebritate sub stirpe Carolingica fuerunt institutae, auctoritate etiam apostolica, praesentibus pontificiis legatis, ac postea ab ipsis pontificibus roboratae, veluti Isaac episc. Lingonensis in praefatione suae collectionis testatur, capitularia Karlomanni, quibus cudendis interfuit sanctae Romanae et apostolicae ecclesiae

 legatus

legatus Bonifacius archiepiscopus Moguntinus, confirmata fuisse auctoritate apostolica an. 742. a papa Zacharia, qui illa omnibus Ecclesiæ Dei fidelibus irrefragabiliter observanda constituit.

Ad finem circiter huius seculi VIII. primum comparuerunt iam in vulgus notæ pseudonymæ epistolæ decretales Isidorianæ, quas hodie passim ad invidiam pontificiæ auctoritati, quæ ei iure primatus in Ecclesiæ catholicæ per orbem regimine competit, conciliandam ingeminant, quibus forte eæ non nisi ex nomine innotuerunt, nec oculos unquam subierunt. Accidit hoc novissimis hi annis potissimum, postquam ab iisdem Febronius secutus doctores Gallos nonnullos præteriti impri mis seculi, ius pontificium novum velut in ax verti existimavit, iniuria sane ex eorum ipsorummet Protestantium maxime confessione, qui dum illas falso antiquissimorum Romanorum pontificum nomina præleferre ostenderunt, simul etiam fontes ipsarum haud ignobiles, anteriores pontifices et doctores sec. IV. V. ac VI. Damasum, Leonem et Gregorium M. Hieronymum, Augustinum, imperatores etiam Theodosium atque Iustinianum indicarunt.

Et siquidem res ipsa spectetur, in eo, quod maxime criminantur circa pontificis Romani in Ecclesia potestatem, ne quid de ipso iure dicam primatus, quem a Christo in D. Petro acceptum eius successores semper ex sententia omnium doctorum catholicorum obtinent, ad anteriora etiam ac prima Ecclesiæ secula assurgere licet; cum nunquam non ad Romanam sedem et pontifices pertinuerint

tinuerint

tinuerint causarum ecclesiasticarum cognitiones ac iudicia rerum personarumque, et quidem hierarcharum cumprimis, si forte ipsi deessent muneri suo, aut turbarentur in officio vel personis, iniurias vel facientes, vel ipsi perpessi ab aliis, maxime post frequentationem conciliorum, postquam Constantinus pacem Ecclesiæ reddidit: ut passim id accidisse nemo ignorat sub ipso iam Constantino, et deinceps in Oriente præsertim; qui tamen minus pontifici Romano fuit obnoxius, quam Occidens, ubi Romana sedes ius etiam patriarchale exercet.

Atqui vero hoc ipsum sibi se proposuisse, Isidorus compilator statim in procemio declarat, ut pressis oppressisque hierarchis, imprimis episcopis, præsidium præsto sit: *Multi enim*, inquit, *pravitate et cupiditate depressi, accusantes sacerdotes oppresserunt.* Idque potissimum ipso suo opere agit, ut non tam hierarchicum ordinem deprimat, aut episcoporum auctoritati quidquam detractum velit, quam ut eos tutos a violentia et oppressione præstet apostolicæ sedis auctoritate, ad quam gravati, aut condemnati refugiant, ut iam canone Sardicensi cautum fuerat.

Nolim ego aut iam in superioribus dicta ad rem repetere, aut dictis exempla ubique obvia hic recoquere. Silentio etiam prætereo, quo vigore pontifices Romani hoc, in quo nunc versamur, sec. VIII. auctoritatem suam in orientali præsertim Ecclesia exercuerint, detrectantes, quidquid Iustinianus imp. moliretur, synodum Quini-sextam, quam vocant, canonesque Trullanos,

repudiando etiam synodum, quæ illic œcumenica credebatur in caussa imaginum, in qua intrepide et constanter imperatoribus iconoclastis, quibus tamen Romæ adhuc imperantibus obnoxii erant, sese opposuerunt, Gregorio II. in epist. dogmatica Leoni Isaurico maiorum exempla in memoriam revocante: *imperatores, qui pie in Christo vixerunt, ecclesiarum pontificibus obedire minime recusarunt, nec eos vexarunt.* Solemne hoc etiamnum seculo fuit in Oriente, ut imperatores thronum adepti, professionem fidei Romam mitterent. Sicque E. m. r. C. in t. in arca sua stetit.

Pietatem regum Francorum, quam iam testatam reddidimus, in Ecclesiam, ordinem hierarchicum, Romanum præsertim pontificem, etiam Bavariæ duces, qui Germaniam cum Francis, Alemannis et Saxonibus partiebantur, haud pridem ad fidem conversi æmulati sunt, missionem illuc a Gregorio II. Romano pontifice accipiente S. Corbiniano, atque mox post S. Corbinianum, S. Bonifacio Germaniæ apostolo, ordinato quidem Romæ ab eodem pontifice, sed nulli sedi affixo episcopo, cum facultate constituendi episcopos ac sedem metropoliticam, quam Coloniæ antea erectam, Moguntiam transtulit auctoritate apostolica, accepto pallio a pontifice; idemque etiam S. Bonifacius Bavariam in quatuor divisit dioeceses. Extant porro ad S. Bonifacium Gregorii II. et III. nec non Zachariæ PP. decretales epistolæ ad ordinanda quævis tam circa fidem, quam disciplinam Ecclesiæ. Sunt hæc omnia anteriora decretalibus Isidorianis fictitiis usque ad Siricium P. a quo et eius

eius successoribus genuinæ prostant ad omnes per orbem cath. ecclesias.

Est hic S. Bonifacius M. qui ex Anglia profectus Romæ a Gregorio II. P. episcopus inauguratus in Germaniam, præstito obedientiæ iuramento, remissus est: cum iam prius presbyter Saxoniam adiisset cum Evaldo et altero socio, quibus submersis Rheno S. Bonifacius evadens, ut rediret, haud absterritus est, acceptis a Gregorio litteris inscriptis: *Universo populo provinciæ Altsaxonum.* Altsaxones passim cum Baronio dictos putant, quod, qui ab his propagati erant in Angliam etiam, adhuc Saxones vocarentur. Io. Schiltero autem lib. II. *de reb. eccl. germ. c.* 8. simpliciter sic dicti videntur Saxones trans Albim vicini Thuringis. „ Vetus enim ( ait ) Saxonia ab „ Albi versus septentrionem, ad oceanum pro- „ tensa, Thuringia vero usque ad Albim, quæ „ postea a Saxonibus occupata discrimen dedit Sa- „ xoniæ veteri et novæ. Et nescio an vox Hol- „ satorum veteres Saxones innuat „? Cæterum S. Bonifacius ab an. DCCXVI. usque DCCLV. labores apostolicos indefesse persecutus est per Hassiam, Eichsfeldiam, Thuringiam, Frisiam, Galliam, Sueviam, Bavariam: ecclesias et episcopatus constituendo, dividendo opportune iam institutos: iuxta antiquissimam Ecclesiæ formam binas per annum synodos celebrando &c. Demum futurorum præsagus, constituto sibi prius in sede Moguntina successore laborum apostolicorum socio Lullo, ultimam missionem ad Frisios suscipiens, occisus ab illis muneri apostolico glorioso martyrio coro-

coronidem imposuit. Commendatus etiam est S. Bonifacius, mortuo iam Pipino seniore Maiore-domus, Carolo Martello, ab hoc vero, ut a S. Willibaldo in eius vita refertur, „ dominis sanctis, „ et apostolicis in Christo Patribus, episcopis, „ ducibus, comitibus, vicariis, domesticis, seu „ omnibus agentibus iunioribus nostris, seu mis„ sis decurrentibus et amicis nostris, „ potissima Germaniæ parte regno Franciæ subiecta, quod reiecta tunc regia Merovingica stirpe, Pipinum, qui iam Maior-domus regni gubernacula moderabatur, regem accepit Caroli Martelli filium, magni patrem a S. Bonifacio inauguratum, consiliante quoque Zacharia P. sede Romana a Longobardis circumdata, qui tunc maxima parte Italiæ, exarchatu etiam iam erant potiti, quem recuperatum Pipinus Romanæ sedi cum pentapoli adscripsit, urbis Ravennæ clavibus ad sepulcrum S. Petri depositis.

Donationem postea eius filius Carolus M. capto Desiderio, extinctoque Longobardorum sibique vendicato Italiæ regno, ampliatam confirmavit. Instantibus porro apud Pipinum legatis imperatoris Græci, ut, quæ eripuerit Longobardis, restitueret, respondit Pipinus teste Anastasio, sese suscepisse hosce labores, et sumtus tantos fecisse, non ut imperium defenderet, sed ut, si quid Longobardis eriperet, D. Petro acquireret. Non fit in donatione Pipini speciatim Romæ mentio, ob Romanos, ut coniicitur, libertatis avidos. Eo tamen attinet, quod Hadrianus P. epist. 35. Carolo insinuat, petitque, ne quid iuris, quod pater

ter Pipinus concesserat, decerperet: „Quæsumus „ (ait,) vestram regalem potentiam, nullam no- „ vitatem in holocaustum, quod B. Petro S. re- „ cordationis genitor vester detulit, et vestra ex- „ cellentia amplius confirmavit, imponere sata- „ gat &c „. Sic S. P. Q. R. epist. 36. et alibi iuxta Pipini monita profitentur, se fideles servos esse Romanæ ecclesiæ et Pauli papæ. Ut patritio vero et advocato ecclesiæ R. Leo III. an. 795. *missis legatis ad pium regem Carolum claves confessionis S Petri simul et vexillum Romanæ urbis direxit:* uti iam ante quinquennium patriarcha Hierosolymitanus claves sacri sepulcri cum vexillo transmiserat.

---

## Caput XXXIV.

### *Imperatores Græci iconoclastæ Ecclesiæ hostes.*

Una disparuit, Roma fere sola excepta, Romanum imperium in Occidente, quod hactenus in quodam tractu Italiæ adhuc cum orientali imperio cohærebat, ipsa etiam Roma frustra a Lombardis tentata et obsessa. Imminebant porro imperio Græcorum imperatorum in Oriente Saraceni, unam post alteram diripientes provinciam. Forte ad conciliandos in tanto periculo Mahumedanorum animos, qui omnem divinitatis sub quibuscumque imaginibus cultum abhorrebant, Græci imperatores, iam assueti, magisterium sibi religionis arrogare et usurpare, deferre in hoc sectæ Mahumedanæ voluerunt, ad implendam mensuram patrum suorum, ut bellum imaginibus indicerent,

rent, atque adeo sanctis ipsis in coelis cum Christo regnantibus, et in terris, gaudente nimirum Ecclesia militante communione ecclesiæ triumphantis iuxta apostolum dicentem Eph. II. 19. *Iam non estis hospites et advenæ, sed estis cives sanctorum, et domestici Dei, superædificati super fundamentum apostolorum et prophetarum ipso summo angulari lapide Christo Iesu.* In quo etiam, et propter quem in sacrificio eodem incruento, quod Christus in cruce cruentum Patri obtulit, communicamus; et memoriam facimus imprimis gloriosæ virginis genitricis Dei, nec non beatorum apostolorum et aliorum, quos Dei amicos sanctos colimus, et in eorum etiam imaginibus veneramur, „ ut cum illis sanctis, (sunt verba S. Augu-„ stini *a)* qui in hac, quam suscepimus, fide de-„ functi sunt, societate, et spei communione te-„ neamur. „ Ut nempe iuxta symbolum apostolorum, *credamus et sanctorum comunionem*, sicut articulum hunc symboli Eusebius Gallicanus interpretatur, *sed sanctos non tam pro Dei parte, quam pro Dei honore veneramur.*

Hanc iam sanctorum communionem atque in eorum etiam imaginibus cultum, qui ubique in Ecclesia catholica orientali et occidentali obtinuerat, imprudens non minus, quam impius, Asiatico fastu et tyrannide apud imperatores Græcos, aggressus est Leo Isauricus primus in hoc debellator sanctorum; nequaquam apud se reputans, dum iam undique ab hostibus circumdaretur premereturque, se concitaturum orthodoxos omnes, commu-

*a)* Serm. 181. de temp.

communionem sanctorum professos: atque etiam cœlum irritaturum, et ad vindictam de sanctis suis provocaturum divinum numen. Frustra is monitus et deterritus fuerat pro officio a S. Germano Cpolit. patriarcha, contumeliose, inflicta etiam alapa, habito, ac deposito postea.

Gregorius II. P. gravissimas ad eundem, quæ extant act. IV. synodi VII. pro cultu imaginum habitæ, dedit literas; opportune etiam neglectum imperii imperatori exprobrans, quem hactenus apud Græcos imperatores notavimus, quod posthabuerint imperii undique lacessiti curam, negotiis religionis distenti. Sed nil nisi minas retulit pro salutaribus monitis Gregorius II. Nec est veritus Leo characterem bestiæ in impudentia frontis manusque scribentis gerens, se in literis ad Gregorium P. ἀρχιερέα καὶ βασιλέα pontificem et imperatorem nominare, comminatus, missurum se Romam satellites, qui S. Petri imaginem confringerent, ipsumque Gregorium in exilium deportarent, sicut a Constantio factum meminimus S. Martino P. Cpolin vi abducto, ibique in carcere per annum integrum detento: quod etiam legatis Gregorii III. successoris secundi accidit ad Leonem hunc Isauricum in causa imaginum missis, nulla synodorum ratione habita Romæ celebratarum, commota hic in Occidente illicque in Oriente orthodoxa plebe, quæ Anconæ etiam et alibi statuam imperatoris deiecit.

Strenue tunc imprimis pro sanctis S. Io. Damascenus pugnabat in suis operibus, ac orationibus, invectus in imperatorem, palamque edicens, non ad eum pertinere rem, legitima ecclesiastica potestate

testate

testate decidendam: *Penes imperatores non est*, inquit orat. II. de imaginibus, *ut ecclesiis leges sanciant. Attende, quid dicat apostolus*: Quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia primum apostolos, dein prophetas, tertio pastores ad perfectionem Ecclesiæ: *non adiecit*: *imperatores. Verbum loquuti non sunt reges, sed apostoli et prophetæ pastoresque et doctores* &c. Sic etiam pro honore sanctorum missis undique litteris laborabat cum aliis monachis, quos idcirco Constantinus Copronymus Leonis filius præprimis persecutus est, iussos ab obviis quibusvis lapidibus impeti post pseudosynodum Cpoli an. 752. habitam a pseudopatriarcha Constantino, quem olim monachum, eiurare monachatum voluit. De præfecto Thraciæ refertur, imperatoris iussu monachos et sanctimoniales omnes Ephesum vocasse, quibus conditionem proposuit, ut eadem hora uxores ducerent, qui recusaverit, erutis oculis Cyprum deportandum. Quod et executioni mandatum.

Bellum in imagines dum vixit, continuavit Copronymus, an. 775. divinam ultionem in morte expertus. Reliquit filium Leonem, qui impietatis avitæ hæres aliquamdiu quidem a persecutione abstinuit, postea vero aut morte aut verberibus affecit in carcerem deiectos, qui adfuerunt piis Irene uxoris suæ studiis, quæ postea cum filio Constantino imaginum cultum restituit, literis ad Adrianum P. a Tharasio etiam patriarcha datis pro convocanda synodo, cui Adriani legati præsederunt, Cpoli celebratæ an. 787. In Occidente quidem vox προσκύνησις scrupulum movit,

vit, ne latriæ cultus, adoratioque soli Deo debita sanctis deferri videretur, Patribus in conc. Francofordiæ an. 794. Ipseque Carolus M. libros de hac re, quos Carolinos vocant, ad Hadrianum cum legatis misit: quibus respondens pontifex quod satisfecerit Carolo, dubitare non sinunt pia huius studia, quæ prosecutus est erga orthodoxam fidem, catholicam Ecclesiam, eiusque caput Romanum pontificem.

---

## Caput XXXV.

*Imperium Occidentis ablatum iconoclastis impp. Græcis: Carolus M. Imperator Romæ salutatur, a Leone III. coronatus.*

Sic imperatoribus Græcis, dum quæ Dei Christique Ecclesiæ in communione sanctorum regnantibus in terra, usurpant et turbant, auferuntur ea, quæ sunt Cæsaris. Videbantur sibi illi zelo unius Dei cultus abduci: acsi vero honor ac veneratio sanctis, Deo intime coniunctis, atque ipso Deo in cœlesti gloria beatis impensa in eorum imaginibus divino quidquam detraheret cultui: dumque agnoscere nolunt cum Ecclesia Romana, regnare sanctos cum Christo in terris Apoc. VI. Romanum amittunt imperium.

Implere scilicet festinabant mensuram patrum suorum, quos paulo ante intelleximus ab Eutychianorum ac Monothelitarum partibus persecutores Ecclesiæ Dei, imprimisque iniurios in Christi vicarios pontifices Romanos, eorum impia re-

scripta, ecthesin et typum, reiicientes, damnante demum eadem cum Monothelitis in concilio Lateranensi S. Martino, qui ob carceres, omnisque generis calamitates et exilium, in quo ærumnis confectus defunctus est, Christi confessor gloriosus fieri meruit cum agminibus martyrum, quos notavimus, præsertim monachorum.

Perseveravit adhuc eadem persecutio ineunte sec. VIII. sed eadem constantia resistentibus summis pontificibus, Constantino imprimis antecessore Gregorii II. quem eiusque successorem cognominem modo percepimus, Leoni Isaurico iconoclastæ fortiter sese opposuisse: uti postea murum tanquam aheneum se obiecere pro domo Dei (quæ est Ecclesia militans regnum Christi cum sanctis in terris) Constantino Copronymo Stephanus III. et Paulus I damnato Cpolitano conciliabulo, in quo sacrarum imaginum cultus fuerat reprobatus: dum iterum sub utroque tyranno gloriosam martyrii coronam reportarunt athletæ viri ac complures sanctæ mulieres, monachi vero sub Constantino Copronymo simul cum Stephano, Basilio, Petro, Andrea trecenti triginta novem. Sub Leone IV. item Copronymi filio, ipsa eandem ob rem matre Irene despecta degeneri filio et odiosa, proceres aulæ flagris cæsi, ac in monasteria detrusi sunt; ex illis vero Theophanes sub flagris martyr occubuit.

Qui igitur omnes hi iuncti sunt animabus interfectorum subtus altare, quos Apoc. VI. 10. &c. S. Ioannes memorat clamantes voce magna et dicentes: *Usquequo Domine, sanctus et verus non*

*iudi-*

*iudicas, et non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra? Et datæ sunt illis singulis stolæ albæ: et dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum, et fratres eorum, qui interficiendi sunt, sicut et illi.* Commentatores huc interpretantur illud, quod generatim dicitur Apoc. II. 26. *Qui vicerit, et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, et reget eas in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringentur; sicut et ego accepi a Patre meo.* Adsunt nempe Christo veluti assessores Sancti, astituri imprimis aliquando venturo iudici, de quo Apoc. XII. 5. *Qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea* Deus, cuius ore Apoc. XIX. 15. perhibetur procedere gladius ex utraque parte acutus, *ut in ipso percutiat gentes, et ipse reget eas in virga ferrea* &c. Prout nimirum psalmus II. habet contra reges terræ et principes, qui *astiterunt*, et *convenerunt in unum adversus Dominum et adversus Christum eius*, dicentes: *Dirumpamus vincula eorum, et proiiciamus a nobis iugum ipsorum:* quos nempe vicarios in terris constituit constitutus a Patre rex super Sion montem sanctum eius &c. Christus Dei filius, idem qui mox prosequitur: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu; ego hodie genui te. Postula a me, et dabo tibi gentes hæreditatem tuam, et possessionem tuam terminos terræ. Reges eos in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringes eos. Et nunc reges intelligite: erudimini, qui iudicatis terram. Servite Domino in timore, et exultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pe-*

U 2 *reatis*

*reatis de via iusta.* Id quod contigit imperatoribus illis, de quibus hactenus locuti sumus, tandem etiam imperio deiectis; uti olim pariter experti sunt imperantes Romæ debellatricis sanctorum: quod est Apocalypsis S. Ioannis, ut vidimus, argumentum. Refert S. Gregorius Turon. lib. II. c. 38. iam Clodovæum ab Anastasio imp. codicillos de consulatu accepisse, in basilica S. Martini tunica et balteo indutum, qui *ab ea die tanquam consul et Augustus vocitatus sit.* Anastasius bibl. vero narrat, Gregorium II. (qui in epist. ad Leonem imp. veluti parietem quemdam intergerinum se nominat, Romæ eo consilio constituta pontificis sede, ut pacem Orientis et Occidentis conciliet) compescuisse consilium Italorum, ut sibi eligerent imperatorem, et Cpolim ducerent. Oblatus tamen Carolo Martello consulatus Rom. fertur; certe Patricii Romani dignitas postea Pipino et Carolo M. fuit delata a pontificibus Romanis.

At demum Romæ anno seculari 800. Carolus M. imperator salutatur, et coronatur non apud Iovem capitolinum, sed ad sepulcrum D. Petri in Vaticano a Leone III. P. M. in sede apostolica successore eiusdem apostolorum principis, ubi Ecclesiam, adversus quam portæ inferi non prævalebunt, sanguine suo fundavit, a Roma debellatrice sanctorum in crucem instar magistri sui actus sub Nerone antesignano persecutorum Ecclesiæ Christi eiusque sanctorum, quos dum in eorum imaginibus inhonorant iconoclastæ imperatores, Neronis Romanorum imperatoris successores, Romam

mam perdunt cum Romani imperii reliquiis illis, quas necdum perdiderant horum etiam antecessores christiani, perinde ac ethnici christianæ orthodoxæ fidei hostes æmulique in persequendis sanctis, qui sub throno Dei clamant quotidie: *usquequo non vindicas sanguinem nostrum* &c.

Non diu in Oriente conservatus est honor imaginibus sanctorum deferendus, an. 818. a Leone Armeno Michaelis Curopalatis successore iconomachiæ addictissimo sublatus: iterumque in monachos præsertim conversa est persecutio: in qua insignia imprimis trophæa invictissimus abbas Theodorus Studita, alios etiam fidei confessores literis ad constantiam animans, ipsumque imperatorem, spreto, ob dogma iam sententia concilii œcum. extra controversiam positum, indicto congressu, S. Ioannis Damasceni fere verbis paulo antea allatis allocutus: „ Ne tentes o imperator! ecclesiasticum statum dissolvere. Ait enim apostolus: „ Quosdam quidem posuit apostolos, deinde prophetas, tertio pastores et doctores ad perfectionem sanctorum. Non dixit, reges. Tibi quidem o! imperator, civilis status et exercitus commissus est: hæc igitur cura; Ecclesiam autem „ pastoribus et doctoribus, ut ait apostolus, derelinque. At si non vis hoc facere: si quis „ pervertendæ fidei nostræ causa aliquid de cœlo „ nobis annuntiaverit, ipsum non audiemus; tantum abest, ut te audituri simus „. Necato an. 820. Leoni Armeno successit Michael Balbus, qui (mox Leone sævior futurus uti etiam filius eius Theophilus, renitentes quoque exquisitissi-

mis tormentis afficiendo) dissimulavit aliquanto animum, persecutionemque stitit, ac revocatis exulibus et vocatis episcopis orthodoxis collationem instituit, quam tamen detrectarunt catholici per epistolam, quæ est inter Theodori Studitæ lib. II. 86. imperatori suggerentes; „ iubeat magna ipsius et a Deo confirmata manus ad communem „ utilitatem a vetere Roma suscipi declarationem, „ prout olim et ab initio paterna traditone transmissus mos fuit. Hæc enim suprema est ecclesiarum Dei, in qua Petrus sedem primus tenuit, „ ad quem Dominus dixit: Tu es Petrus, et „ super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, „ et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. „

## Caput XXXVI.

*Schisma orientale; Status regiminis ecclesiastici et imperii occidentalis Sec. IX.*

Sed hæc surdis tunc auribus dicebantur in Oriente; non solum enim his nihil profectum est, verum etiam, qui post Theophilum adhuc infans, agente matre Theodora religiosissima fœmina Theophili coniuge, imaginum cultum restituit Michael Porphyrogenitus, iunior dictus seu tertius, Ecclesiæ postea adhuc maius vulnus inflixit deposito S. Ignatio, et in eius locum Photio suffecto. Quo d tunc certatim faciebant imperatores Græci, quasi pila ludentes cum patriarchis Cpolitanis, quos tamen, ceu novæ Romæ pontifices sedis imperialis, veteri Romæ obtendebant, ac præfer-

re

re videri volebant; ut tamen ipsi sibi sacrilege legitimam ecclesiasticam potestatem arrogantes, usurpantesque, episcopos ad nutum suum esse vellent.

Photius Nicolao I. per legatos subrepere conatus est, dum ipse pontifex Cpolin illos mitteret, iique violenter inducti permitterent, ut S. Ignatius in conciliabulo exauctoraretur, publice detractis sacris vestibus. Qua de re Nicolaus P. certior factus ex actis conciliabuli ad se per Leonem secretarium imperatoris delatis, eadem acta et legatorum suorum rescidit in concilio Romæ: cumque nihilominus Photius potentia imperatoris suffultus sedem teneret, Nicolaus, ex pluribus provinciis convocato iterum concilio, eundem depositum excommunicavit; quod vero vicissim Photius Cpoli Nicolao P. iterato intentavit.

Licet vero Michaele mortuo successor Basilius S. Ignatium restituerit, hoc tamen pariter defuncto, in eius locum Photium revocari curavit in concilio Cpoli, quod Græci schismatici pro octavo generali habent, sublata e symbolo particula *Filioque* ob processionem nimirum Spiritus S. a Patre Filioque in concilio Cpolitano I. necdum symbolo addita; quæ iam superiore seculo VIII. sed sine violatione pacis rursum in controversiam mota est quæstio, missis etiam a Constantino tunc imper. ad Pipinum regem legatis; veluti etiam hoc seculo IX. in causa imaginum a Michaele et Theophilo impp. ad Ludovicum Pium legatio missa est, quæ scriptam professionem fidei simul attulit, integerrimam cæteroquin, atque etiam circa imaginum cultum multa moderatione temperatam. Epi-

ſcopi tunc a Ludovico Pariſios eam ob cauſam vocati a Nicænæ II. ſynodi fide non diſſentiebant quidem, eam tamen non admittendam exiſtimarunt. Re ad Eugenium II. delata, miſſi a Ludovico Ieremias Senonenſis, et Ionas Aurelianenſis epp. a pontifice impetrare non potuerunt, ut aliquid per œconomiam indulgeretur Græcis, quod ſeptimæ ſynodi decretis non conſentiret. Iam ſub Pipino an. 767. reiecta fuit Græcorum de proceſſione Spiritus S. doctrina a conciliis etiam in Galliis, quæ diverſa erant in rebus huiusmodi religionem propius attinentibus a conventibus illis regni Francici.

Conventus illi ex utroque ſtatu eccleſiaſtico et politico ſic quidem conſtabant, ut eccleſiaſtica ab eccleſiaſticis ſeorſim, atque ſic etiam monaſtica a monachis ſeparatim, negotia vero regni a principibus regni, ducibus et comitibus tractarentur; quibus vero ob terras ac feuda, quæ poſſidebant, accenſebantur etiam epiſcopi et abbates, inde ab efflorеſcente regno Francico regalibus huiuſcemodi potiti: querulante ſolo Chilperico, ut apud Gregorium Turon. *a*) legere eſt, de divitiis ad eccleſias, honoreque ſuo ad epiſcopos translatis. De Carolo M. idoneus cumprimis in hac re teſtis eſt Eginhardus coævus ſcriptor vitæ eiuſdem c. 32. et alibi. Guilielm. Malmesburienſis *b*) de Germania nominatim agens, „Carolus magnus, (ſcribit,) „pro contundenda gentium illarum ferocia om-„nes pene terras eccleſiis contulerat: conſilioſiſ-„ſime perpendens, nolle ſacri ordinis homines

„tam

*a*) lib. VI. c. 66. *b*) lib. VI.

„ tam facile, quam laicos fidelitatem domini reiice-
„ re. Præterea ſi laici rebellarent, illos poſſe ex-
„ communicationis auctoritate et potentiæ ſeveri-
„ tate compeſcere „. De Caroli M. filio ac ſucceſſore Helmoldus *a)* teſtatur: „ Ludovicus Pius,
„ paternis per omnia votis concordans epiſcopos
„ principes effecit regni „. Conſtat apud omnes, primas in aula principum ſub regno Francico ac præcipuas epiſcopos et abbates obiiſſe functiones et munia, ad legationes etiam apud exteros, domi vero ad maxima adhibitos negotia: immunitates vero, quas Eccleſiæ eccleſiaſticisque ac religioſis perſonis perinde ac rebus certatim contulerunt pii quique, ex quo religionem chriſtianam ſuſceperunt, excolueruntque principes imperatoreſque Romani, eas reges imperatoresque ſtirpis Francicæ auxerunt potius, quam ut quidquam iis diminui paterentur, Carolingica imprimis ſtirps religione ac pietate ad imperium Occidentis evecta, atque adeo Carolus M. ille hoſtium Eccleſiæ, imprimis Romanæ ſedi incubantium Longobardorum regni everſor, infidelium Saracenorum in Hiſpaniam etiam excurrentium terror, ac Hunnorum in Pannonia (contra eos movit, dum perfidos Boiarios ad officium revocat) religionis chriſtianæ apud Saxones gentiles ſtator, quos toties rebelles invicta perinde conſtantia, ac chriſtiana patientia, iterum iterumque in arma proruentes iam ab anno 772. ipſe aliquando Saxoniam etiam cum Ludovico octenni filio accedens, ineunte tandem ſec. IX. perdomitos in fidem recepit, et Chriſto obſequentes reddidit. Iam Gregorius Turonenſis et

U 5 Marius

a) Chr. lib. I. c. 43.

Marius episc. Avent. apud Duchesne T. I. p. 214. 310. &c. in continuat. chronici S. Prosp. prælia memorat, quibus Saxones Clotario rege ad officium fuerint revocati. Meminit etiam Fredegarius, eos, quos *paganissimos* vocat, a Carolo Martello iterum subactos fuisse: dumque iterum rebellarent, a Pipino fusos, plurimos eorum christianos effectos baptizatos fuisse, „ videntes se (addit) contra impetum Francorum rebellare non posse; propriis viribus destituti, petierunt, sibi christianitatis sacramenta conferri „. Integra tamen gentis conversio Carolo M. in acceptis referenda est post bellum triginta trium annorum teste Eginhardo in vita Caroli M. translatis illis, qui erant cis Albim trans fluvium ad litus Francicum an 805. Testatur tamen idem Eginhardus, plus regis pietatem et munificentiam fecisse in eiusmodi conversionibus, quam terrorem: „ Nam, (addit) se quisquis commiserat eius egregiæ fidei, ritus spernendo profanos, hunc opibus ditans, ornabat honoribus amplis „. Exemplum in hoc secutus fuit Pipini patris, de quo Beda *a*) in sua histor. „ Ipse quoque (scribit) imperiali auctoritate iuvans, ne quis prædicantibus quidquam molestiæ inferret, multisque eos, qui fidem suscipere vellent, beneficiis attollens; unde factum est, ut multos opitulante gratia divina in brevi ab idololatria ad fidem converteret „. Teste Eginhardo post bellum Saxonicum maximum fuit, quo Hunnos et Avaros in Pannonia expugnavit Carolus, atque duras eorum cervices ad suscipiendam religionem christianam inflexit: cui Alcuinus apud Guil.

*a*) lib. V. c. 11.

Guil. Malmesbur. testimonium reddit, „ documentum ingens ( inquit ) magnanimitatis, et „ fortitudinis Caroli, qui omnem ætatem triverit „ in bellis contra paganos Deo rebelles „. Præter Avaros et Hunnos etiam Sclavorum apostolus dici potest, his per Pipinum filium subiugatis. Adam Bremensis in historia ecclesiarum septentr. meminit, Carolum M. quidem Hamburgum constituisse Sclavorum Danorumque metropolim, sed cum obstacula obmoverentur, sub Ludovico Pio Caroli filio ex fundata ab illo Corbeia nova Anscharium inde apostolum Danorum progressum esse. Eginhardus *consilio imperatoris et Romani pontificis auctoritate* Ebbonem Remensem archiep. evangelium Danis prædicasse, memorans subdit: Ludovicum Pium concilii ordinatione Anscharium Hamburgensem archiepiscopum ecclesiis septentrionalibus regendis præfecisse auctoritate Paschalis P. *legatum in omnibus partibus unacum Ebbone Remensi archiepiscopo, qui legationem ante susceperat.* Sub Ludovico II. imp. Anscharii sedes ex urbe Hamburgensi in Bremensem est translata. Messuit augusta gens Carolingica pietatis suæ in Deum eiusque Ecclesiam militantem, regnum Christi in terris, fructum in concordia sacerdotii et imperii, quo aucta cumprimis fuit in Carolo M.

Utinam vero pares sibi Carolus seros nepotes habuisset, neque vero dispares imperio, impares ingenio Carolos Calvos, Crassos, Simplices, Ludovicos Balbos, Infantes, quorum aut discordia, aut ignavia ac imbecillitate augusta res disperiit dissipata. Carolus Calvus Romæ coronam imperialem

Ludovici

Ludovici Germanici posteris extortam teste Regi-
none vi auri comparavit; post obitum vero Ca-
roli Crassi Romæ deliberatum est, de eligendo im-
posterum, aliquo Italiæ regulo cum imperatorio
titulo, teste Sigonio: prodieruntque sic in scenam
Guido et Lambertus filius eius, dum contra ex-
pulso Roma Guidone Arnulphus, iam an. 887.
Carolo Crasso patruo a proceribus Germaniæ in
conventu Francoford. in consortium imperii datus,
Romæ an. 889. coronatur a papa.

Meminimus ad seculum superius VIII. pseu-
donymarum epistolarum decretalium priorum
pontificum Romanorum, quas alii probabilius
ad initia huius seculi IX. a Riculpho archiep.
Moguntino ex Hispania allatas, ut scribit Hinc-
marus Rhemensis in opusculo contra nepotem c.
54. atque in lucem productas existimant; hæ ip-
sæ decurrente eodem seculo IX. sub Nicolao I. P.
in controversiam, non vero ipsa R. P. in Ec-
clesiæ regimine auctoritas, deductæ sunt ab eo-
dem Hincmaro Rhemensi archiep. et aliis episco-
pis Gallicanis in celebri causa Rothadi Suessionen-
sis episcopi, ut adeo causandi tantopere ratio non
sit, quasi, nemine suppositionem advertente, ad
nostra usque tempora sese insinuaverint in poli-
tiam ecclesiasticam. Id porro, quidquid sit, cer-
te Ecclesiæ Romanæ nequaquam fraudi esse, aut
dari culpæ potest: ut enim nihil dicam de Dio-
nysii Exigui codice canonum Ecclesiæ Romanæ,
quem nonnisi genuinis decretalibus auctum Hadria-
nus I. P. Carolo M. regi transmisit, Leo IV. cir-
ca medium sec. IX. consultus ab episcopis Angliæ
de

de his decretalibus ( fuit igitur et illic gentium de illarum fide facta disquisitio ) pontifex earumdem nullam rationem habens, respondit, sedem apostolicam admittere regulas *præsulum Romanorum Silvestri, Siricii, Innocentii, Zozimi, Cœlestini, Leonis, Gelasii, Hilarii, Symmachi, Hormisdæ, Simplicii, et Gregorii iunioris, qui omnino sunt, et per quos iudicant episcopi, et per quos episcopi simul iudicantur.* Ut adeo iniuria dicat Dupinius *a)* Isidorianas illas statim epistolas summos pontifices, in quorum gratiam confictæ fuerint, avide arripuisse, et ubique promulgare conatos esse. Potius, ut pluribus demonstrat Pet. Ballerinius in dissertatione singulari de hac re, inserta parti tertiæ tractatus, *de antiquis collectionibus et collectoribus canonum*, eo potissimum spectabat prædicta decretalium collectio, ut episcopis, qui accusabantur, prospiceret. „ Id quidem, ( inquit de illorum compila„ tore Ballerinius, *b)* in apocryphis, quæ con„ flavit, documentis multo clarius elucet „. Et postquam quædam, quæ ipse compilator de hoc suo scopo in præfatione dicit, attulisset, „ Ean„ dem enim ( pergit ) semper de accusatis epi„ scopis curam ac sollicitudinem præsefert; cum„ que apostolicæ sedis auctoritatem prædicat, eo

*a)* De antiqua Ecclesiæ disciplina dissert. II. p. 154. &c.

*b)* Idem in Vindiciis auctoritatis pontificiæ contra Febronium demonstrat c. 5. eas neque in gratiam solum Romanorum pontificum ob ipsorum potestatem augendam fuisse confictas: neque ea, quæ pro eadem potestate in iisdem decretalibus traduntur, novi aliquid induxisse: neque, si quid ex præsumta illarum auctoritate facilius propagatum, usuque receptum, ius falsum constituisse.

„ semper omnia refert, ut episcopi accusationi„ bus impetiti, et condemnati, si se gravatos sen„ tiant, ad illam confugiant, quæ synodorum sen„ tentias retractare, et si iustum putaverit, irri„ tas reddere potest „. Addit, idem quoque consilium maxime perspici in capitulis Hadriano P. tributis, *a)* quæ ex his decretalibus Isidorianis præsertim decerpta, earumdem veluti compendium dici queant. „ Pleraque enim, ( subdit, ) „ illorum capitulorum eo spectant, ut ne episco„ pi accusari a quibuslibet possint: nec, si accu„ sentur, accusatoribus facile deferatur, sed ex „ multis causis tum accusatores repellere, cum „ iudices liceat recusare: ut synodorum retracten„ tur iudicia, et alia eiusmodi generis in apocry„ phis ( decretalibus Isidorianis ) similiter ingesta, „ ex quibus, si omnia ad episcoporum, qui ac„ cusantur, expoliantur, deponuntur, patroci„ nium, defensionem, atque præsidium collata, „ atque conficta credantur, nemo iure possit re„ vincere „. Variis hæc dicta comprobantur appellationum ad sedem apostolicam occasionibus hoc seculo nono in Gallia adversus duriora synodorum iudicia, veluti in Theodulphum Aurelianensem, qui fuit in carcerem detrusus, perinde ac Rothadus Suessionensis episcopus: ubi primum decretalium Isidori iniecta est mentio, ac mota controversia sub Nicolao I. ab Hincmaro Rhemen-

*a)* Capitula hæc, quæ sub nomine Hadriani P. R. circumferuntur, rectius inscribuntur in cod. msc. biblioth. S. Victoris: *Capitula collecta ex diversis conciliis, sive decretis Romanorum pontificum ab Agilramno Metensi episcopo, et Adriano papæ oblata.* Id quod is egit in propria appellationis ad Romanum pontificem causa.

si;

si; paulo etiam post contra Hincmarum Laudunensem episcopum illius nepotem sub Hadriano II. Nicolai I. successore, Caroli etiam Calvi interventu, epistola eius nomine ad pontificem data Hincmari Rhemensis opera. Quam hodie, absque synodi apud nos provincialis spe, renovatam faciem, revocatamque scenam, quis non videt?

---

## Caput XXXVII.

### *Status ecclesiasticæ hierarchiæ et imperii Sec. X.*

Ineunte sec. X. ipso anno seculari Ludovicus Infans Arnulphi filius, ultimus stirpis Carolingicæ a Germaniæ proceribus pro imperatore agnoscitur; Lambertus vero ab Italis pro imperatore habetur, an. 910. interfectus. Porro anno 904. Berengarius filius Gislæ, filiæ Ludovici Pii, a Ioanne X. imperator coronatur, cum iam an. 912. Ludovicus III. quem modo diximus ultimum ex Carolingis, mortuus esset, atque Guido Spoletanus, et Berengarius Foroiuliensis, alter Galliæ, alter Germaniæ regnum sibi dum despondent: „ se ipsos, „ (ut Sidonius initio L. VI. de regno Italiæ) prorsus unacum Ecclesia perdiderunt, ea tempora „ in rempublicam inferentes, quibus nulla alia „ tetriora et fœdiora fuisse principum nequitia, „ vel populorum insania, in tota antiquitate reperiuntur „. Sed et diremtum tunc fuit Italicum trans alpes (quas inde ab Arnulpho regum nullus amplius transgressus fuit) imperium a cisalpino. Ludovicum, Conradum et Henricum reges

Hunga-

Hungarorum et Normannorum invasiones ac bella civilia domi continuerunt; neque hi Germaniæ reges titulum imperatoris gessisse, a diligentissimo Conringio notantur. Nec etiam aliarum præterquam imperii Germanici rerum omnes hi sategerunt.

Fuissent tunc feliciora orientalis Ecclesiæ schismate solutæ, quam occidentalis tempora sub Leone Sapiente imperatore, qui vero obiit an. 911. haud infelix legum Iustinianarum reformator, retractatorque eorum, quæ Iustinianus limites suos egressus statuit, miratus in sua Novella secunda constitutione, „ cum sacrosancti divinique canones, et quicunque alii de sacerdotio ac episcoporum creatione statuere, in optimum numerisque omnibus plenum editi sint canones, quomodo non veriti nonnulli sint, sacras divinasque leges, tanquam illæ absolutæ non essent, promulgatis aliis legibus abrogare „? Et Novella constit. 16. „ Vetus verbum (ait) quod de rebus suis dicenti aures esse aperiendas monet ... Dignum itaque, sacram legem de rebus suis præcipientem audire imperatoria nostra maiestas rata, et in eandem cum illa sententiam descendit, et statuit &c. „

In Occidente fuisse tunc communem usque ad Ottonum tempora Capitularium regum Francorum usum, pontificia auctoritate confirmatum, apud Baluzium legere est in præfatione, Romaque, eodem teste Baluzio in exordio præfationis ad suam collect. horum Capitularium, malis oppressa civilibus et diuturnis ac frequentibus discordiis seditionibusque vexata, cum tot malorum, quæ pertulerat, finem

finem oraret, huc velut ad sacram anchoram confugit, ut a Lamberto imp. per Ioannem IX. pontificem peteret in synodo Ravennatensi c. 1. et 5. uti Capitularium Caroli ac filiorum nepotumque eius auctoritas confirmaretur, et quæ perperam acta essent, legaliter, id est, secundum eadem Capitularia emendarentur &c.

Attamen Regino abbas Prumiensis, dum inde pulsus in monasterio S. Maximini prope Treviros ineunte sec. X. iussu Rathbodi archiepiscopi libris duobus de ecclesiasticis disciplinis et religione christiana collectionem canonum, quibus legibus regitur Ecclesia militans regnum Christi in terris, faceret, usus quidem etiam est subinde Capitularibus regum Francorum, potissimum autem canonibus antiquis conciliorum ac sinceris Romanorum pontificum decretis, rarius pseud-epigraphis decretalibus ab Isidoro collectis. Cum esset miseranda facies sedis apostolicæ hoc seculo, facile fuit, subterfugere eius iudicium in causis præsertim episcoporum, ob quas, ad illud deferendas, ut proximis seculis vidimus, lis mota fuerat decretalibus Isidori: fuitque quidem an. 941. in synodo Suessionensi deposito Arthaldo consecratus Hugo Heriberti comitis filius; at iterum an. 947. Arthaldus decreto synodi Verdunensis restitutus; Hugone tamen sedem invadere nitente, inter duos litigantes in synodo Meldensi an. 962. episcopus constitutus Odalricus. Si fuisset tunc in Romana sede vigor, vel ipsa decretalium Isidori auctoritate vicissitudini isti in Rhemensi ecclesia prospici facile potuisset; sed nulla tunc earum mentio fuit

iniecta; sicuti postea in concilio Rhemensi an. 991. ubi Arnulphus archiepiscopus, reus maiestatis læsæ agebatur, accusantibus Hugone et Roberto regibus, substituto in illius locum Gerberto; cuius tamen electioni Ioannes XV. se opponens, misso legato Arnulphum restitui iubet, in carcere quidem detentum, sed ab ipso Gerberto facto pontifice demum in integrum restitutum. Provocarunt Patres concilii Rhemensis an. 991. ad canones Africanos de iudicandis episcopis intra provincias: quod quidem sec. hoc X. salva auctoritate pontificia fieri poterat per legatos ubique gentium dispersos, qui conciliis adesse valebant; at cum vix iam haberentur concilia, vel hinc auctoramentum acceperunt deinceps decretales Isidori, potuitque dispositio earum Ecclesiæ esse utilis, ac magis successu temporis opportuna, quam afflicto Romanæ sedis statu sec. X.

Divina porro providentia alibi gentium res christiana etiam incrementa accepit pietate principum complurium, inter sanctos quoque relatorum, veluti S. Eduardi in Anglia, S. Haraldi in Dania, S. Stephani in Hungaria, ac demum ad initia quidem sec. XI. S. Henrici in imperio Germanico post pios ac felices tres Ottones, sub quibus hierarchia apud nos pulcre stetit, ampliata inter imperii principes dignitate atque prærogativis, in præcipuis præsertim sedibus Trevirensi, Coloniensi, et Moguntina ab hoc tempore archicancellarii maiestate condecorata.

Est hæc vero luctuosissima illa Romanæ Ecclesiæ regnique Italiæ epocha, ob quam ipse Baronius seculum

culum X. tam atris coloribus depingit *a)* vocatque *meretricum imperium, ut pro arbitrio legitime creatos dimoverent pontifices, et violentos ac nefarios homines illis pulsis intruderent.* Durarunt hæc mala per maiorem seculi X. partem, nec statim Otto M. imp. ea tollere potuit: dum an. 961. a Ioanne P. XII. multisque regni Italici proceribus contra Berengarii tyrannidem invitatus, in ordinem redacto Berengario cum filio, liberatoque pontifice ab eodem, anno sequenti imperator coronatus est, restituto etiam, quod per vim concisum et ablatum fuerat, D. Petri patrimonio seu Ecclesiæ Romanæ bonis, postquam iuramento se, ut apud Gratianum legitur dist. 63. iam prius obstrinxerat, in Romana urbe nullum placitum aut ordinationem se facturum de omnibus, quæ ad pontificem, aut ad Romanos pertinent, sine eius consilio.

In ecclesias munificentissimus, constituto in Germania fratre suo Brunone archiep. Coloniensi, eidem Lotharingiam addixit cum omni etiam gladii iure, uti Wilhelmo filio quoque Moguntino archiepiscopo Thuringia et Hassia obtigit teste Pfeffinger *b)*: quodque supra memoravimus de Carolingicis impp. apud se in aulis suis prælatos episcopos et abbates habuisse, qui negotia regni curarent, id eorum exemplum non solum secuti sunt ab ineunte sec. X. Germaniæ reges et imperatores, verum etiam imperii cancellarios, et archicancellarios constituerunt, quod hodieque munus exercet elector archiepiscopus Moguntinus, prout illud Willigisus apud Ottonem II. iam antea, dum

X 2 a patre

*a)* Ad an. 908. *b)* Vitriar. illustr. lib. I. tit. 15. p. 1141.

a patre Ottone in consortium regni adoptatus esset, exercuit, factus ex cancellario archiepiscopus, Ditmaro ep. Merseburg. teste *a*) qui „ Mortuo quoque, ( ait, ) Roberto Moguntinæ sedis archipræsule imperator ( Otto II. ) cancellarium suimet nomine Willigisum, multis hoc ob vilitatem sui generis renuentibus, eidem Ecclesiæ præfecit. Sciebat enim, Petro attestante, quod non est personarum acceptor Dominus, sed omnes se ex corde diligentes præ cæteris amat, incomprehensibili honore remunerans. „

Fuit Otto II. primi filius in urbibus etiam, aliisque regalibus concedendis erga personas ecclesiasticas et religiosas, episcopos nimirum et abbates perinde ac pater munificus, qui fuere feudis instructi imperii æque ac alii principes, comites, barones, prout hodie inter status imperii cum voto et sessione in comitiis circulisque illius connumerantur, ducum, principum, comitum prærogativa etiam hæreditaria simul cum secularibus imperii principibus ornati. Habetur in Labbei *b*) collectione concilium, quod Romæ an. 996. fuerit habitum, in eoque constitutum, ut imperator deinceps a septem electoribus Germaniæ principibus eligeretur. At serius est longe electorale collegium constitutum, ut est etiam a Pagio contra Binium et alios demonstratum. Perinde est, quod ibidem narratur in vita Gregorii V. eum patriam suam insigni aliqua dignitate ornare volentem, prævio synodali iudicio constituisse, ut penes

*a*) L. III. *b*) T. IX. conc. p. 757.

penes solos Germanos esset ius eligendi regem Romanorum, qui post diadema a Rom. P. acceptum, imperator et augustus salutaretur.

Integro seculo nono ad initia usque sec. X. penes stirpem Carolingo-Francicam fuerat dignitas imperatoria. Cumque ea etiam an. 912. in Ludovico Infante esset extincta, nescio an non gentis saltem Francicæ in Conrado eligendo Germaniæ proceres rationem habuerint, de quo Luitprandus *a*): „Hac tempestate Ludovicus rex moritur: „Conradus ergo Francorum ex gente oriundus, „vir strenuus, bellorumque exercitio doctus ex „cunctis a populis ordinatur. Verum nisi pal„lida mors eum citissime raperet, is esset, cuius „nomen multis mundi nationibus imperaret „. Eum quidem apud Witichindum Caroli Simplicis Galliarum regis ad Henricum aucupem an. 920. legatus Saxonem appellat. Cum etiam Carolus M. Saxoniam regno suo Francico subdidisset, obsoleto veluti cum stirpe Francica nomine, sic locutus videri potest Witichindus de Conrado ex Francia oriundo orientali, (quæ etiamnum Franconia dicitur) Francorum sede, seu Francia occidentali simul et orientali totam fere Germaniam magnam cum Austrasia trans-Rhenana (præter Galliam et Neustriam) comprehendente, prout iam S. Hieronymus in vita S. Hilarionis, „inter Saxo„nes quippe, (ait,) et Alemannos, gens non tam „lata, quam valida, apud historicos Germania, „nunc vero Francia vocatur „. Fuit autem ex Saxonia Henricus auceps, de quo idem Witi-

X 3 chin-

*a*) L. II. c. 7.

chindus ad finem lib. I. Annal. Ungaros cæsos commemorans, „ deinde, (inquit,) Pater patriæ, „ rerum dominus imperator ab exercitu appellatus „ famam potentiæ, virtutisque cunctis gentibus „ et regibus longe lateque diffudit. Unde et alio- „ rum regnorum proceres eum adierunt, gratiam- „ que in conspectu eius invenire quærentes, fi- „ dem talis ac tanti viri probatam habentes dile- „ xerunt. Perdomitis itaque cunctis circumqua- „ que gentibus, postremo Romam proficisci sta- „ tuit, sed infirmitate correptus intermisit „. Dum sic pacatis citra montes rebus Ecclesia etiam militans tranquillitate frui videretur, ea ultra montes in arce sua Romana sede maxime affligebatur; ubi anno statim seculari Ludovicus Bosonis filius victor Berengarii, post triennium mox Ludovici victor Berengarius in imperatorem a Ioanne IX. coronatus mox iterum anno sequenti Berengario abrogato, Lambertus pro imperatore declaratus est, eoque mortuo iterum Berengarius imperium invasit, huncque an. 931. sequutus est Hugo et eius filius Lotharius: Guidoneque et Hugone expulsis, Albericus marchio Tusciæ an. 933. Romam occupavit perturbatis rebus omnibus, ac maxime Romana sede, fatente Baronio, hoc tempore ad pontificatum pervenisse *intrusos a tyrannis Tusciæ principibus homines monstrosos, vita turpissimos, moribus perditissimos, et undequaque fœdissimos.* Nec aliud his tam grandibus malis remedium fuit, nisi ab Ottonibus imperatoribus Germanis, firmata ad finem seculi sub Ottone III. lege, quam iam attulimus, ut apud solos Germaniæ principes ius eligendi permaneret, qui mox a pontifice con-

secra-

secraretur imperator: prout frequenti in synodo fuit declaratum.

Rememoranda hic sunt, quæ supra cap. XVI. in caput II. et VII. Danielis de quatuor mundi monarchiis disseruimus: imprimis autem de quarta Romana, cuius fata ex apocalypsi S. Ioannis supra cap. XX. explicavimus: quæ dum non attenduntur, tot diversis temporibus somnia somniati sunt reges terræ aliquando etiam, veluti seculo hoc, in quo nunc versamur, decimo interpretationem somnii Nabuchodonosoris a Daniele factam pro sua dominandi libidine accipientes, sed perperam omnino. Dicit equidem Daniel *a)* regnum quartum, id est Romanum, fore *velut ferrum: quomodo ferrum comminuit, et domat omnia, sic comminuet, et conteret omnia hæc*: anteriora nimirum regna seu monarchias, quarum aureo capite prima Assyriorum, argenteo pectore et brachiis Medorum et Persarum, æreo ventre et femoribus tertia græcorum fuit designata in statua Nabuchodonosoris, tibiis autem ferreis quarta Romana, duabus tibiis signanter in occidentali et orientali imperio: *cuius pedum quædam pars ferrea, quædam autem fictilis. b)* Id quod postea interpretatus propheta, *Porro*, inquit, *quia vidisti pedum et digitorum partem testæ figuli, et partem ferream: regnum divisum erit, quod tamen de plantario ferri orietur, secundum quod vidisti ferrum mistum terræ ex luto: et digitos pedum ex parte ferreos, et ex parte fictiles: ex parte regnum erit solidum, et ex parte contritum. Quod autem vi-*

X 4 *disti*

*a)* Dan. II. 40. *b)* Dan. II. 33. v. 41.

*disti ferrum mistum testæ et luto, commiscebuntur quidem humano semine, sed non adhærebunt sibi, sicuti ferrum misceri non potest testæ.* Explicatione hæc non indigent, quæ et quotidie coram cernimus, ac retro in historia Romana legimus tum de duobus pedibus eius, cum etiam de digitis pedum decem, qui in altera visione per decem cornua designantur seu reges, etiam in apocalypsi *a)* S. Ioannis, veluti iam supra vidimus, atque etiam coram intueri licuit iam inde a designatis a S. Ioanne divisi imperii Romani temporibus per gentes barbaras, quas supra capp. XXVIII. seqq. notavimus.

Itaque Otto I. alpes primum transscendens an. 951. postquam Bohemos bello quatuordecimano devicisset, Sclavos etiam tributarios factos ad fidem christianam adduxisset, uti et regem Daniæ Haraldum, constitutis in regno episcopis, postea devictis Longobardis Adelheiden viduam Lotharii regis Italiæ, ab ea accitus, eductam custodia, qua Canossæ detinebatur a Berengario, sibi sociatam in Germaniam adduxit, relicto tunc quidem Berengario in possessione regni Italici; donec eum postea iterum nova molientem a Ioanne XII. rursum evocatus in Italiam, secum in Germaniam abduxit, postquam an. 961. ab archiepiscopo Mediolani, et anno sequenti Romæ a papa coronatus fuisset: opinione iam quadam animo concepta, quam Prudentius sec. IV. florente adhuc Roma, in hymno de passione S. Laurentii v. 413. &c. sequentem in modum expresserat:

O Chri-

*a)* Apoc. XII. 3. XIII. 1. XVII. 3. 7. 12. 16.

O Christe, numen unicum,
O splendor, o virtus Patris,
O factor orbis et poli,
Qui sceptra Romæ in vertice
Rerum locasti, sanciens,
Mundum Quirinali togæ
Servire, et armis cedere,
Ut discrepantum gentium
Mores et observantiam,
Linguasque, et ingenia et sacra
Unis domares legibus!

Quæ Romam postea Romanumque imperium a sec. V. secuta sint, manserintque fata, iam memoravimus: constabitque semper vaticiniis prophetarum a nobis itidem commemoratis veritas, quidquid sibi in animum induxerint potentes huius seculi, atque delirent, (ut verbis poetæ utar) reges, dumque alterum regnum surgit, alterum cadit revolutionibus temporum ac rerum vicissitudinibus, quod vero iuxta prophetam a) *in diebus regnorum illorum suscitavit Deus cæli regnum*, Ecclesia hic militans in terris, et illic triumphans in cœlis, *in æternum non dissipabitur: et regnum eius alteri populo non tradetur. Comminuet autem, et consumet universa regna hæc: et ipsum stabit in æternum.*

---

## Caput XXXVIII.

### *Sec. XI. Ecclesiæ militantis pericula fortiter profligata et constanter.*

Iam meminimus ad tempora Ottonum usque sec. X. Capitularium regum Francorum auctorita-



a) Dan. II. 44.

tem etiam in Germania obtinuisse, observante id Steph. Baluzio: tumque subdit, ( quasi veterum quisquam prophetarum *onus verbi Domini* denuncians ) patres nostros Capitularium reverentiam exuisse tam manifesta divini numinis ira, ut res eorum deinceps paulatim dilacerarentur non sine magno religionis nostræ detrimento; adeo ut publica regni calamitas præter cæteras causas etiam ex neglectione disciplinæ in Capitularibus præscriptæ profecta iure videri possit. Hæc Baluzius nulla habita ratione collectionis canonum factæ a Reginone Prumiensi, quam tamen tanti alias fecit, ut eius editionem perinde ac Capitularium regum Francorum summa diligentia curaret: atque etiam in præfatione ad Antonii Augustini dialogos *de emendatione Gratiani* laudat Reginonem, usum „ præcipue canonibus antiquis, et sinceris Ro„ manorum decretis, tum etiam, quamquam non „ admodum, pseudepigraphis epistolis ab Isidoro „ collectis, Capitularibus regum Francorum, et „ dictis sanctorum Patrum „. Siquidem manifesta fuit illa divini numinis ira, de qua Baluzius tam confidenter loquitur, his neglectis tam puris fontibus; tamen publicam regni calamitatem non ad tempora Ottonum sec. X. sed sequens XI. revocare debuisset.

Seculo hoc XI. utinam Burchardus Wormatiensis episc. in sua collectione quam circa an. 1020. fecit, plus vestigiis Reginonis insistendum existimasset, antequam ex ingenti illa collisione sacerdotii et imperii utraque respublicam tantopere afflicta esset, cui obicem iam non posset ponere

S. Ansel-

S. Anselmus Lucensis sua collectione *ex toto canonum patrum sanctorum corpore* facta ad finem iam vergente seculo, et adhuc serius S. Ivo Carnotensis duobus ad rem operibus, Panormia scilicet, et decreto adhuc multo amplius, *in quo et causas tractaret abundantius, ac præterea excurreret ultra præfixos Panormiæ terminos*, ut Baluzius in mox laudata præfatione loquitur. De quo Baluzio nempe si iudicium ferendum sit ex propriis suis lucubrationibus, atque etiam inde, quod fidem fefellerit illustrissimo Petro de Marca, eiusdem amanuensis, a quo in extremis iam posito, eius scripta retractare, in mandatis accepit: aio, Baluzium male ominatum fuisse de manifesta illa divini numinis in patriam nostram ira ob neglectam Capitularium regum Francorum auctoritatem.

Ecclesia militans regnum Christi in terris, ut ringentibus huius seculi potestatibus propagata per orbem; ita deinceps stetisset suapte sanctissimis suis legibus, stabitque usque ad consummationem seculi inconcussa, fundata supra firmam petram. Capitularium dignitatem, utilitatemque, spectata illa sub imperio Carolingico concordia sacerdotii et imperii, ac modo, quo sacra et profana, ecclesiastica et civilia, quæque apud suum tribunal legitime tractabantur, mutuisque iuvabantur studiis ac opera, ultro agnosco; sed alium utinam Baluzius secutus esset ducem, rem nimium exaggerans, exulceransque, vadem dans Herm. Conringium ex illis, qui nomen Protestantium tenent, eoquod legitimam proiecerint ecclesiasticam potestatem. Conringius porro *de germa-*

*Germanorum imperio Romano* tractans, tum etiam in exercitatione *de imperatore Romano-Germanico* in alio, quam nunc nos, versatur argumento, Gregorio VII. P. quidem utroque in opere *a)* indignatus, quod imperium urbis Romæ eripuerit ab Ottone M. acquisitum, de quo nobis nunc res non est.

A sec. XI. potissimum repetenda est imperatorum epocha, quos plerosque omnes, qui sese summis pontificibus opposuerunt, Laurent. Moshemius *b)* auctor ex Protestantibus magni nominis et in historia versatissimus, testatur, fuisse infelices. Otto M. non æque, ut in aliis, quæ laudavimus, Ecclesiæ consuluit, dum Benedictum V. virum sanctum, a clero Romano substitutum, Ioanni XII. iuveni, pontificia dignitate opera episcoporum conductitiorum ex Germania spoliatum, captivum secum in Germaniam abduxit, vi intruso Leone, fœdere cum eo inito, ut pontifices Romani deinceps ex consensu Germanorum impp. eligantur; qua auctoritate abusi ex successoribus non pauci a seculo XI. imprimis Ecclesiam conturbarunt. Radulphus Glaber scriptor synchronus S. Henrici II. imp. laudat *c)* eius „ nimium decens et ad pacis „ tutelam optimum decretum, ut ne quisquam au- „ dacter Romani imperii sceptrum præproperus ge- „ stare princeps appetat, seu imperator dici aut „ esse valeat, nisi quem papa sedis Romanæ mo- „ rum probitate delegerit aptum reipublicæ, ei- „ que commiserit insigne imperiale: cum videlicet „ olim ubique terrarum quilibet tyranni sese pro- „ caciter impellentes, sæpissime sint imperatores

„ creati,

*a)* p. 99. et 533. *b)* Allgemeines Kirchenrecht der Protestanten c. I. §. 10. p. III. *c)* L. I. hist. c. 5. ad an. 1012.

„ creati, atque eo minus apti reipublicæ, quo
„ constat eos tyrannice potius, quam pietatis au-
„ ctoritate processisse „. De eodem vero sancto imperatore ad S. Petrum Romæ an. 1014. coronato refert Ditmarus *a)* antequam in ecclesiam coronandus introduceretur, a papa interrogatum,
„ si fidelis vellet Romanæ patronus esse et defen-
„ sor Ecclesiæ, sibi autem suisque successoribus
„ per omnia fidelis, devota professione respondis-
„ se. Et tunc ab eodem inunctionem, et coro-
„ nam cum contectali sua suscepit. Priorem au-
„ tem coronam super altare principis apostolo-
„ rum suspendi præcepit. „

Duo quæ attigimus capita, scaturigo et causa fuerunt tantorum malorum, quæ utramque rempublicam secum collisam afflixerunt, imperium et Ecclesiam, Romanam præsertim, quam supra intelleximus horribiliter conquassatam perturbatamque ab illis regibus Italis, qui certatim usurpantes sibi Romæ imperium pro lubitu et commodis suis pontifices constituerunt. Ingravescente indies, ac velut cancer serpente malo, labe simoniaca a capite progressa tota pene infecta fuit Ecclesia. De sede Romana nullus nobis luculentior est testis ipso papa S. Leone IX. qui ad Constantinum monachum sic scribit: *Abundante iniquitate, et refrigescente charitate S. Rom. Ecclesia et apostolica sedes nimium diu obsessa fuit mercenariis, et non pastoribus, a quibus sua, et non quæ sunt Iesu Christi, quærentibus devastata iacebat miserabiliter hactenus.* Id quod de Italia omnium probatissimus

*a)* lib. VII. chron.

mus auctor S. Petrus Damiani in epistola apud Baronium ad an. 1047. relata testatur, ecclesias Dei in partibus Italiæ per malos episcopos et abbates omnino confusas esse: aliis innumeris eiusdem sancti viri testimoniis patet, potissimum Italos etiam hanc attinere simoniacam labem. Id vero luculenter Radulphus Glaber *a)* perhibet, „ per universam Galliam et Germaniam simoniæ philargyriæ grassari cupiditatem „. Et mox: „ Non solum in Gallicanis episcopis hæc pessima pullulaverat nequitia, verum etiam multo amplius totam occupaverat Italiam: omnia quippe ministeria ecclesiastica ita eo tempore habebantur venalia, quasi in foro secularia mercimonia. „ De Henrico III. Radulpho est sermo, sub quo synodice in Germania edictum hac in re gravissimum emanavit, *ut nullus clericorum clericatum vel ministerium ecclesiasticum pretio aliquo conquireret, ac, si quis dare aut accipere præsumeret, omni honore destitutus anathemate multaretur.* Idem decretum fuit, dum negotium in concilio Romano an. 1047. præsente eodem ageretur, attamen quod modo de Ottone M. notavimus, idem Henrico III. non mala intentione rem agente accidit; de quo quippe narrat, ut ipse Romæ rem audierit, Otto Frising. *b)* „ Cum tres essent Romæ invasores sedis apostolicæ, quos presbyter quidam Gratianus zelo pietatis matris suæ compatiendo, „ adierit, promissa potiori ex illis pecunia ex reditibus Angliæ, illum presbyterum vero cives tanquam Ecclesiæ Dei liberatorem in summum pontificem elegerint, quem Henricus III. imp.

*a)* lib. V. c. 5. *b)* lib. VI. chron. c. 32.

imp. adventans deposuit, in eius locum Suidgero Babenbergensi ep. Clementis nomine indito, substituto. *Quod*, (subdit) *Hildebrando, qui semper in ecclesiastico rigore constantissimus fuit, semper displicuit. Ex hinc*, (pergit,) *Romana ecclesia in electione canonica pontificum in tantum infirmata invenitur, quod iste* (Clemens) *quatuorque sequentes ab imperatore ibi positi in catalogo inveniuntur. Qualiter autem industria et opera præfati Hildebrandi sub Leone iuniore libertatem suam ex parte, sub Alexandro vero pleno rehabuerit, sicut probatorum virorum relatu cognovimus, infra dicemus.* Iuniorem Leonem nonum intelligit, qui an. 1049. Romæ in synodo Romana decretum Clementis renovavit contra simoniacos, uti postea in concilio Rhemensi in Gallia, et Moguntino in Germania.

De S. Leonis huius electione auctoritate regia primum, legitima deinde Romæ agente Hildebrando, facta, aliorum item deinceps ipsiusque Gregorii VII. ortoque schismate inter regnum et sacerdotium, cum per suprema capita egisset, modo laudatus Otto Frising. claudit hunc librum excursu, qualiter intelligi possit, quod in Daniele legitur, lapidem excisum de monte sine manibus statuam in pedibus, qui ex parte ferrei, ex parte fictiles erant, percussisse, interpretaturque de Ecclesia Christi. „Hoc nimirum (subdit) regnum circa finem suum, quem pedes significant, ferreum propter martem, fictilem propter conditionem, in ea parte, quæ infirmior fuit, percussit: dum regem orbis non tanquam orbis dominum

„ minum

„ minum vereri, sed tanquam de limo per huma-„ nam conditionem factum fictilem, gladio ana-„ thematis ferire decuit. Ipsa vero, quæ antea „ parva fuit, et humilis, in quantum montem „ excreverit, ab omnibus iam videri potest. Quan-„ ta autem mala, quot bella bellorumque discri-„ mina inde subsecuta sint, quoties misera Roma „ obsessa, capta, vastata, quod papa super pa-„ pam, sicut rex super regem positus fuerit, tæ-„ det memorare. Denique tot mala, tot schis-„ mata, tot tam animarum quam corporum pe-„ ricula huius tempestatis turbo involvit, ut so-„ lus ex persecutionis immanitate ac temporis di-„ uturnitate ad humanæ miseriæ infelicitatem suf-„ ficeret comprobandam „. Non desunt ( postquam dudum utrinque deferbuerunt animositates medii ævi male somniatæ ) qui ex recentioribus etiam scriptoribus Protestantium ad ea, quæ Danielis II. de quatuor monarchiis leguntur, idem quoque ius, quod imperatores Romani veteres in orbe tenuerunt, iure quodammodo divino ad imperium Francorum et Germanorum translatum fuisse asserunt, saltem quoad Occidentem. Ex quibus Io. Schilterus *de libert. eccles. Germanicarum* etiam Conringium excitavit in hoc argumento exercitatissimum.

Maximum sec. XI. offendiculum fuit Henrici IV. abdicatio, de qua laudatus Otto Fris. proximo ante relata *a*) cap. 35. agens „ lego, ( inquit ) „ et relego Romanorum regum et imperatorum „ gesta, et nusquam invenio quemquam eorum „ ante

*a*) l. III. c. 12. c. 5. seqq.

„ ante hunc a Romano pontifice excommunica-
„ tum vel regno privatum, nisi forte quis pro
„ anathemate habendum ducat, quod Philippus
„ ad breve tempus a Romano pontifice inter pœ-
„ nitentes collocatus, et Theodosius a beato Am-
„ brosio propter cruentam cædem a liminibus Ec-
„ clesiæ sequestratus sit „. Sunt, qui Henricum IV. depositum tanquam ab *arbitro*, ut Amort in vindiciis iurisdict. eccl. vocat, *necessario*, dicant. Aliter dici potest, Gregorium id fecisse tanquam expetitum arbitrum utrinque, ab ipso etiam Henrico, ultro acceptante procerum imperii in conventu Triburiensi an. 1076. eiusmodi conditiones, quas apud Lambertum Schaffnaburg. legere est, uti ostendi *de Rudolpho Suevico comite Rhinfeldensi duce et rege*, seu anticæsare, qui suffectus fuit a principibus imperii Germanici in Henrici locum: ubi etiam sparsim, quænam causæ tum principes, tum pontificem, conciliumque Romanum ad tantum facinus commoverint, attigi, ipsa etiam uxore Adelheide, ad an. 1095. ut Bertoldus Constant. narrat, multis iniuriis lacessita, multisque annis, ne elaberetur, custodita, tandem ad Welfonem ducem Italiæ aufugiente, quæ se tantas, tamque inauditas fornicationum spurcitias, et a tantis passam fuisse conquesta est, ut fugam suam excusaret. Dodechinus in append. ad Marianum Scotum ad annum 1096. memorat, ipsi etiam Conrado filio, ni matrem corrumperet novercam, minatum patrem, tanquam spurium filium se proclamaturum. Eius erat indolis, ut omnium quibus ab infantia traditus fuerat, curam falleret, piissimæ matris Agnetis primum, deinde Annonis

Colon. archiep. magni consilii, prudentiæ et auctoritatis viri, „ a quo respublica ( ut Lambertus „ Schafnab. testatur ad an. 1072. ) in pristinum „ statum dignitatemque reformari cœperat. Is, „ (pergit,) offensus his, quæ plurima præter æquum „ et bonum fiebant in palatio, petiit a rege, vacationem deinceps dari sibi a rerumpubl. administratione, causatus in senium iam vergentem „ ætatem, et laboriosis regni negotiis minus, minusque sufficientem. Quod rex haud difficulter annuit, quia pravis libidinibus suis et iuvenilibus ineptiis iam dudum animadverterat, eum „ graviter offendi, et plerumque quantum salva „ regia dignitate poterat, pro virili portione obniti. Is ergo ubi se in sua recepit, rex tanquam severissimo pædagogo liberatus, statim „ in omnia genera flagitiorum, ruptis omnibus „ modestiæ et temperantiæ frenis, præcipitem se „ dedit „. Quod vero pessimum erat, atque Ecclesiam propius attinebat, ob eiusmodi etiam aliaque crimina venales erant dignitates ecclesiasticæ propter feuda regalia obnoxiæ imperatori, nec nisi pretio comparandæ. Cui simoniacæ pravitati nisi obstitisset pontifex, quadraginta et amplius annis, quibus imperavit Henricus, totum imperium, quod tunc late præter Italiam per Bohemiam, Poloniam ultra Germaniæ fines protendebatur, ea infecta fuisset labe, quæ tunc pro hæresi habebatur.

Cum esset S. Pontifex libertatis ecclesiasticæ iuriumque pontificiorum vindex ac defensor acerrimus, morumque ac disciplinæ ecclesiasticæ reformator

mator zelosissimus, ac cerneret omnia susque deque verti, tribunalque Ecclesiæ eludi atque censuram, magis magisque diremto foro externo et interno pœnitentiæ, cui, amplissima a Christo in apostolis relicta Ecclesiæ clavium solvendique ac ligandi potestate, singuli fideles cuiuscunque conditionis ac status essent obnoxii ac obstricti, ut non semel in suis epistolis loquitur Gregorius: neminemque esse, qui non ob peccatum iudicio Ecclesiæ ac censuræ subiici deberet, suo se muneri deesse sibi videbatur, nisi depravatis desperatisque rebus omni se nisu imperterritus opponeret. Et sic ratione peccati sibi in animum induxit, siquidem a Deo Ecclesiæ data sit potestas iudicandi spiritualia, cur non et temporalia, quando in illis christiani ab officio iuxta leges normamque evangelicam ac Ecclesiæ sanctiones, cui æque omnes subessent, desciscerent: maxime autem si pertinaciter Ecclesiæ obedientiam detrectarent aut enormiter, censuris ecclesiasticis coercendi, ea excommuniationis lege, ut cum excommunicatis nullatenus communicare liceret fidelibus: atque illi, qui contumaces ac rebelles per annum in excommunicatione obsordescerent, per leges etiam palatinas (tanta erat apud laicos religionis reverentia,) civiliter mortui censerentur.

Erant porro tunc opiniones, quas adeoque innocenter secutus est pontifex, apud omnes extra controversiam positæ, veluti etiam decretales spuriæ a nemine in dubium eo tempore erant vocatæ. Quæ vero præcipue obiici Gregorio potest depositio Henrici IV. ea antea iam a princi-

pibus imperii facta fuit, atque constitutum contra quemque, qui toto anno in excommunicatione obsorduerit, nec absolutus fuerit, ut iuxta palatinas leges indignus regio honore habeatur; id quod deinceps aliquot adhuc seculis fuit præiudicium. Si quod Canossæ tribus diebus sustinendum Henrico fuerit, se sponte subdidisse visus est publicæ pænitentiæ ritui, prout tunc obtinuerat, quemque etiam Philippum Galliarum regem Parisiis haud invitum obiisse, ex actis concilii apud Dacherium constat. Ipse confitetur nihilominus Gregorius a) quod omnes equidem in eo facto *insolitam mentis duritiem admirarentur*: *nonnulli vero*, addit, *in nobis non apostolicæ severitatis gravitatem, sed quasi tyrannicæ feritatis crudelitatem esse clamarent.* Ex historicis quoque illorum temporum, ne quid de hostibus eius ab Henrici partibus stantibus in tanta colluvie simoniacorum et concubinariorum dicam, non desunt, qui gravius adhuc, quam Otto Frisingensis, Henrici nepos, incessunt Gregorium: timebaturque eius rigor et severitas ab ingenio illius, animi robore et constantia, quam ante pontificatum haud profecta adhuc ætate e monastica vita, cuius tunc severissima rigidissimaque erat disciplina, protractus, gravissimis negotiis et legationibus variis in aulis etiam in Germania perfunctus, omnibus perspectam reddiderat; nec celari poterat tunc zelus pro domo Dei in tanta morum et disciplinæ corruptione, apud eos præsertim, penes quos censura ecclesiastica esse debebat, episcopos inquam, qui sibi timebant, „ne vir vehementis ingenii, ( ut Lam-
„ bertus

a) Tom. III. Monum. lib. IV. ep. 12.

„ bertus Schafnaburg. ad an. 1073. loquitur) et
„ acris erga Deum fidei districtius eos pro negli-
„ gentiis suis quandoque percuteret. Sicut po-
„ pulus (sunt verba Guilielmi Tyrii *a*) tunc, ita
„ et sacerdos. Episcopi negligentes facti erant,
„ canes muti: non valentes latrare: simoniacam
„ non declinantes hæresin. „

Horrenda sunt et abominabilia, quæ gravissimus hic a Schardio, et Pistorio editus auctor, aliique scriptores Germani, Itali, Galli, Angli de promiscua dignitatum ecclesiasticarum nundinatione referunt. Eadem, ac multo adhuc abbatiarum deterior erat conditio, præsertim quando primum Henrici iuvenis curam Adalbertus Bremensis gessit, et Wernerus comes. *Ab his*, sunt mox laudati Lamberti Schafnaburgensis *b*) verba, *episcopatus et abbatiæ, ab his quidquid ecclesiasticarum, quidquid secularium dignitatum est, emebantur* &c. Exemplum hoc non solum principes, sed episcopi etiam et abbates sequebantur, ea quæ sic adepti erant, infidelissime administrantes, vendentes, distrahentes: veluti de Humberto abb. XXI. Laureshamensi legitur in chronico eius monast. aulicorum studiis et patrociniis fulto: *quorum favorem sibi multa pecunia utpote ecclesiæ præpositus et pseudo-œconomus, diu conciliaverat; cognatis suis res ecclesiæ exposuit distrahendas, villas monasterii sub nomine benificii distribuit.* Quid si iam successor Petri severitate in tanta perversitate usus est: quando ipso a S. Petro Ananias et Saphira in propria etiam substantia erga Ecclesiam infideles subita mor-



*a*) Gesta Dei l. 1. c. 8. *b*) ad an. 1062.

morte fuerunt sublati, et Simon magus, a quo simonia nomen habet, abiectus est, posteaque e sublimi in terram prostratus fertur?

Quid vero si testem omni exceptione maiorem in medium proferam, qui Gregorium indulgentius etiam egisse in hac re testatur? Est is Hugo Diensis episc. qui an. 1077. legatus constitutus Pictaviensi concilio, ac an. 1080. Lugdunensi præsedit, eodem anno factus huius sedis archiepiscopus. Is igitur ad Gregorium sic scripsit: „ Provideat itaque sanctitas vestra, ne diutius tam „ opprobriose nobis improperetur, quod simo„ niaci, vel quicunque criminosi a nobis suspen„ si, vel depositi, aut etiam damnati libenter „ Romam currunt, et ubi deberent sentire am„ pliorem rigorem iustitiæ, inde reportant quasi „ misericordiam pro voluntate „. Hæc ille ex Gallia, ubi nequaquam erat tanta perversitas sub Henrico I. rege iustitiam amante, quam sub Henrico IV. R. R. Quis vero abnuat, Christum Dominum, qui cum Ecclesia sua usque ad consummationem seculi se futurum promisit, Gregorium VII. quem virum sanctissimum etiam hostes agnoscunt, tunc zelo domus suæ animasse, quando alias salva esse non poterat res ecclesiastica, et ab interitu revocari hierarchia præsertim, a qua salus populi pendet, Ecclesiæque gubernacula penes illos, quos Christus sal terræ in suis apostolis constituit, et lucem mundi: *quodsi sal infatuatum fuerit, in quo salietur?* Quando lux mundi in suis pastoribus per orbem catholicum obtenebrata fuit, quis non divinam circa Ecclesiam suam

pro-

providentiam reveritus agnoſcat, et adoret, quod ſuper candelabrum Eccleſiæ in ſede apoſtolica collocaverit pontificem maximum, zelo domus ſuæ ſuccenſum et ardentem, ſaleque apoſtolico corrupta iam et fœtentia perfricantem membra? Quis non divinæ promiſſionis D. Petri apoſtolorum principi factæ manifeſtiſſimum videat, et admiretur argumentum, dum Chriſtus ſuper eum Eccleſiam promittit ſuam ſeſe ædificaturum, adverſus quam portæ inferi non eſſent prævalituræ? Unde tunc auxilium ſperari poterat Eccleſiæ ac remedium in tantis malis, ubi malum apud eos erat, qui mederi debuiſſent, ex ordine eccleſiaſtico, niſi a capite incontaminato perinde ac imperterrito? Idque etiam ob undique graſſantem contagionem, labemque incontinentiæ in clero, quam, erant ex impudentibus illis, qui Gregorio vel ob ſanctam illam, et ab omni vel leviſſima ſuſpicione remotam cum Mathilde amicitiam, aſpergere ſunt conati: irati nimirum, quod apoſtolico reſtituere nitebatur vigore continentiam, quam ſemper in ordine ſacro integram haberi voluit Eccleſia, *dum clerici* teſte Rogerio de Hoveden in annal. Wilhelm. Senior. p. 457. *magis eligebant, anathemati ſubiacere, quam uxoribus carere.* Quam incontaminatæ igitur et illibatæ vitæ, ac imperterriti animi eſſe oportuit eum, cui omnia illa in ordine eccleſiaſtico obſtacula erant ſuperanda, tum prurientis naturæ ad conſervandam, ſtatus eccleſiaſtici ſanctitati congruam corporis caſtitatem, cum faventis blandientisque fortunæ in nundinationibus facultatum, Deo in Eccleſia conſecratarum, et dignitatum eccleſiaſticarum, quas ipſi ſummi principes nundinarii

faciebant, atque is imprimis, qui Ecclesiæ tutor existere debebat, et advocatus esse prætendebat Romanæ Ecclesiæ, caput imperii Romano-Germanici. Leg. Muratorius in hist. Ital. ad an. 1085. Calmet in historia univers. T. VIII. p. 663.

Quis nisi invicti animi et insuperabilis constantiæ vir Hildebrandus, sanctus papa Gregorius VII. in vigore apostolico ad tuenda Ecclesiæ iura ac legitimam potestatem compar esse poterat? æmulus S. Gregorii Magni illustrissimi Ecclesiæ luminis, quo maxime post densas illas seculi X. tenebras opus erat seculo sequenti undecimo, quod teste sæpe laudato Ottone Frinsingensi, scriptore, generis nobilitate omnibus illius et subsequentis ævi principibus coniuncto, „ a quodam „ scriptore ecclesiastico densissimis Ægypti tenebris „ comparatur. Prædictus enim pontifex, (pergit „ a) extrema Gregorii prosecutus fata,) Gregorius „ a rege urbe pellitur, Guibertusque Ravennatensis episcopus in locum eius subtruditur. Porro Gregorius Salerni manens, appropinquante vocationis suæ tempore dixisse fertur; *Dilexi iustitiam et odi iniquitatem, propterea morior in exilio.* Quia ergo in principe suo „ regnum ab Ecclesia præcisum graviter percussum „ fuit, Ecclesia quoque tanto pastore, qui inter „ omnes sacerdotes, et Romanos pontifices præcipui zeli et auctoritatis erat, orbata dolorem „ non modicum habuit. Tanta mutatione tanquam a perfectione ad defectum vergente tempore, sexto operi finem imponamus, ut ad „ septe-

*a*) lib. VII. Chron. c. 36.

„ ſeptenarium, requiemque animarum, quæ mi- „ ſeriam præſentis vitæ ſubſequitur, Deo ducto- „ re properemus „. Iterum hic ad Danielem prophetam alludit, uſus chronologia veterum ſanctorum Patrum iuxta LXX. iuxta quam iam ſex millia annorum mundi completa erant, cum primo milliario Chriſti. In iſto verſatus argumento Boſſuetus ad cap. XX. Apocalypſis *a*) breviter tangit ea, quæ Otto Friſing. præ oculis habet, Eccleſiæ ſub Henrico IV. fata, quibus arbitrio Sigeberti Gemblacenſis nulla unquam funeſtiora fuerunt, maioraque præ omnibus ſchiſmatibus intulerunt Eccleſiæ mala. Legi inter alios de hac re poteſt apud Eccardum corp. ſcript. medii ævi, chron. S. Pantaleonis vol. I. p. 909. et Annaliſta Saxo ib. p. 576. apud Bouquet *b*) chronic. Wilh. Godelli, et vita Abbonis. Paſſim etiam in chartis leguntur hæc verba: *appropinquante mundi termino.* Baronius ad an. 1001. obſervat, tunc temporis adventum Antichriſti imminere, communiter creditum fuiſſe: „ Fuerant iſta (ſcribit n. „ 1.) in Galliis promulgata, ac primum prædicata Pariſiis, iamque vulgata per orbem, credita „ a compluribus, accepta nimirum a ſimplicioribus cum timore, a doctioribus vero improbata „. Oculis tunc obverſabantur perturbatiſſima ſec. X. tempora in ipſa arce militantis Eccleſiæ ſede Romana, quæ exacerbatos aliunde aliquando ſacrorum etiam præſules in tranſverſum egerunt, ut rerum per orbem iacturas. Sic Gallicani præſules in cauſa Eccleſiæ Rhemenſis inter Arnulphum



*a*) T. III. opp. p. 524. *b*) Recueil des hiſtoriens de France T. X. p. 232. 332.

et Gerbertum paratragœdiantur, ac lugent „ omnino infelicia tempora, quibus patrocinio toto
„ frustrantur ecclesiæ. Ad quam deinceps urbium
„ fugiemus, cum omnium gentium dominam hu-
„ manis et divinis destitutam subsidiis videmus? Ut
„ enim planius dicamus, palamque fateamur,
„ post imperii occasum hæc urbs Alexandrinam
„ perdidit ecclesiam, Antiochenam amisit, et, ut
„ de Africa taceamus, ipsa iam Europa discedit.
„ Nam Cpolitana ecclesia se subduxit. Interiora
„ Hispaniæ eius iudicia nesciunt. Fit ergo discessio
„ secundum apostolum non solummodo gentium,
„ sed etiam ecclesiarum. Quoniam cuius mini-
„ stri Gallias occuparant, nos quoque totis viri-
„ bus premunt, Antichristus instare videtur, et
„ ut idem apostolus ait: Iam mysterium operatur,
„ tantum, ut qui nunc tenet, teneat, donec de me-
„ dio fiat, ut ille perditionis filius reveletur, qui ad-
„ versatur, et extollitur supra Dei nomen, Deique
„ culturam. Quod iam in aperto fit, ut Roma-
„ na potentia conquassata, religione profligata,
„ nomen Dei frequentibus iniuriis impune humi-
„ lietur: ipsius divinæ religionis cultus etiam a
„ summis sacerdotibus contemnatur. Ipsa insuper
„ Roma iam pene sola a seipsa discedit, dum ne-
„ que sibi neque aliis consulit. „. Hæc tunc ex ore Gerberti, postea Silvestri II. P.

Infelicissima illa nostris temporibus Bossuetus respiciens tempora, schisma Græcum sub Leone IX. ante Gregorium VII. mediumque seculum XI. a patriarcha Cpolitano Michaele Cerulario (patriarcha Antiocheno, ut apud P. Le Quien in

*Orient.*

*Orient. Christ.* legere est, improbante) resuscitatum, latentesque per orientalem, et occidentalem Ecclesiam in scenam producit Manichæos, quales an. 1052. sub Henrico IV. diem Natalem Domini Gosslariæ celebrante deprehensi patibuli suspendio necati sunt, ut Baronius refert: ne videlicet, si parceret eis, christianos catholicos hæresis eiusdem venenum inficeret, dum ceu cancer serpebat contagio ac pestis illa, iam sub Romanis Græcisque impp. ultimo supplicio multata: veluti etiam sub ortu hæresis Diocletianus et Maximianus capitali pœna in reos animadvertisse leguntur. Iam Bossuetum audire ad rem operæ pretium est: „ Après l'an mil de notre Seigneur tout „ alla manifestement en diminuant, et les scanda- „ les se multiplierent: la discipline se relâchoit vi- „ siblement: on en voyoit l'affoiblissement dans „ celui de la penitence canonique. Le refroidisse- „ ment de la charité predit par notre Seigneur „ Matth. XXIV. 11. 12. paru par le schisme des „ Grecs, qui rompoient ouvertement avec l'Eglise „ Romaine en l'an 1050. sous le pape S. Leon „ IX. et le Patriarche Michael Cerularius, dans „ les guerres entre les papes et les empereurs: „ dans les jalousies de deux puissances et les entre- „ prises des uns sur les autres, dans les opposi- „ tions entre le clergé et les religieux; dans les „ schismes fréquens de l'Eglise Romaine, et enfin „ dans le grand schisme arrivé après Gregoire XI. „ qui acheva de ruiner la discipline, et d'intro- „ duire la licence et la corruption dans le clergé: „ la foi même fut attaquée d'une maniére plus „ couverte, et à cela plus pernicieuse que jamais

„ par

„ par les Manichéens, qui vinrent de Bulgarie. Nous
„ en avons fait l'hiſtoire dans le livre XI. de Va-
„ riations, où l'on peut voir la multitude effroya-
„ ble, les artifices et la ſeduction de ces hereti-
„ ques, qui reprimés ſouvent par S. Auguſtin,
„ S. Leon, par S. Gelaſe, et les autres papes, ſe
„ cantonnirent dans quelsques provinces d'Orient,
„ d'où ils ſe répandirent en Occident après l'an mil.
„ Car on les voit paroître la prémiére fois en 1017.
„ ſous le roi Robert, et au concile d'Orleans,
„ où ils furent condamnés au feu par ce prince,
„ autant pour leurs maléfices et leurs ſacriléges,
„ que pour leurs erreurs. En même temps il s'en
„ trouve une infinité en Italie, et en Allemagne.
„ Le caractère particulier de ces heretiques étoit
„ d'inſpirer la haine contre l'Egliſe Romaine. Ce-
„ pendant les Manichéens ſous mille noms dif-
„ ferens de Petrobuſſiens, d'Henriciens, d'Albi-
„ geois, de Patariens, de Poplicains, et de tant
„ d'autres, gagnoient inſenſiblement. Le mari-
„ age étoit défendu; les viandes, que Dieu avoit
„ créées, étoient declarées immondes par les ma-
„ ximes de ces heretiques; et on y voyoit tous les
„ caractères de cette hereſie des derniers temps,
„ marquée ſi expreſſement dans S. Paul I. Tim.
„ IV. 1. Cette peſte de Manichéens étoit d'autant
„ plus dangereuſe qu'elle étoit cachée; ces here-
„ tiques ſe mêlant parmi les fideles, et y repan-
„ dant leur poiſon non ſeulement ſous l'appa-
„ rence du culte catholique, mais encore ſous
„ l'exterieur de la piété, et ſous le maſque de la
„ plus fine hypocriſie, comme on le peut voir
„ amplement dans le lieu deja allegué des Varia-
„ tions,

„ tions, et par les sermons 65. et 66. de S. Ber-
„ nard sur les cantiques. Il n'est donc pas ici
„ question de chercher des violences exercées par
„ ces nouveaux persecuteurs; c'est une affaire de
„ séduction et d'artifice. Ces nouveaux Gog et
„ Magog, cette nation énnemie du peuple de
„ Dieu couvrit la face de la terre. Pour mieux
„ porter le caractère de Gog, ils étoient originai-
„ res de la Gogarenne, province d'Armenie où
„ ils étoient cantonnés et ils venoient des Bulga-
„ res nation Scythique, dont on sait que Magog
„ a été la source. Par tout les Eglises et le camp
„ des saints étoient assiegés et environnés par ces
„ heretiques, et s'il faut des veritables combats,
„ les guerres sanglantes des Albigeois nous en
„ fourniront assez: ça donc étoit un prodigieux de-
„ chainement de satan. Rien n'empeche qu'il n'en
„ arrive beaucoup des semblables, qui nous pre-
„ parent au dernier „. Accepit vero christiana religio, Ecclesiaque catholica veluti in vicem tot iacturarum, orientalis imprimis florentissimæ olim Ecclesiæ, sec. XI. versus septentrionem incrementa, quæ nobis describit auctor coævus Adam canonicus Bremensis. Is in dedicatione suæ historiæ ecclesiarum septentrionalium suum antistitem Liemarum archiepiscopum Bremensem allocutus, *qui*, ait, *hæreditariam prædicandi legationem possides in totam Septentrionis Ecclesiam*, auctoritate nimirum, ut iam ad sec. X. notavimus, sedis apostolicæ, quæ munus suum apostolicum strenue prosequebatur seculo hoc XI. usa etiam ipsorum regum opera, veluti S. Olai Norwegiæ regis, qui, ut laudatus Adam Brem. narrat, usus con-

silio

silio et opera fuerat episcoporum ex Anglia accitorum, quos etiam in Sueciam, Gothiam et vicinas insulas ad prædicandum evangelium misit: misso etiam legato ad Wan Hamburgensem archiep. cuius etiam opera ad destruendum paganismum usus est Olaph Sueciæ rex, ibique postea Adalbertus se strenuum in his laboribus apostolicis cumprimis præbuit, *adeo ut*, teste Adamo citato, *per totum Aquilonem, in quibus locis opportunum videbatur, sæpe invitis regibus episcopatus constituerit, ordinaritque episcopos, ex capella sua, quos vellet, electos.* Sic iam ante hos S. Adalbertus Pragensis, postquam in Hungariam digressus Geisam ducem, eiusque filium S. Stephanum, et ipsum postea Hungariæ apostolum, ad fidem convertisset, Polonorum et Borussorum apostolus, apud hos demum multis vulneribus confossus martyr occubuit.

---

## Caput XXXIX.

### *Status Ecclesiæ et imperii inter se collisus sec. XII. ecclesiastico iure in tuto.*

Quum sec. XI. ita omnia essent perturbata[a], ut finis regni Christi in terris millenarii, mundique adesse crederetur; videri poterat, capta an. 1099. Hierosolyma a Godefrido Bullonio, migraturam eo religionem christianam, unde exorsa est, constituta prima Ecclesia ab apostolis Hierosolymis; sed quidquid etiam tot ac tantis patratis miraculis S. Bernardus, quem mox sui

a) apud Baron. ad an. 1067.

sui ævi oraculum sistam, ad animandos fideles in bellum sanctum egerit, urbem tamen Hierosolymitanam Saladinus irritatus principum latinorum perfidia an. 1187. recepit; aliaque qua data porta in Ecclesiam irruerunt inferi. Percepimus modo Manichæorum illorum colluviem, qui ex Bulgaria, gente Scythica, seculo undecimo Ecclesiam inundaverunt, ut odium in pontificem Romanum Ecclesiæ catholicæ caput, et unitatis centrum inspirarent. Estque hoc singulariter observandum, quod cum primo christiano milliario tot et tam diversa fidei capita in controversiam sint vocata, hæreses infinitæ propemodum deinceps iam ipsum Ecclesiæ fundamentum in Ecclesiæ capite, ordineque hierarchico ac ministerio ecclesiastico sint aggressæ.

Ineunte statim sec. XII. Tanchelinus quidam ministerium episcoporum et sacerdotum inane, nec a Christo institutum esse dictitabat. Fuit hic homo vanus et lautus, qui etsi cum fastu ad captandum plebeculæ favorem stipatus tribus hominum millibus incessisse dicatur, parum tamen proficere poterat; quod qui tunc rerum potiebantur, hæc quæ ipse Tanchelinus præseferebat, factitabatque, potius in iis, qui religionis satagebant, incesserent, et abhorrerent. Omni profecto rerum proprietate spoliatum, solis decimis et oblationibus ordinem ecclesiasticum contentum vivere volebat Henricus V. qui ut an. 1105. in patrem rebellis vinciri, custodirique eum fecit, ita etiam postea in Italiam adventans, ut investituram Paschali II. P. extorqueret, vincto summo pontifici mortem etiam

mina-

minatur; atque post mortem Mathildis bona invadit, quae illa in patrimonium D. Petri legaverat: ac licet iam a Paschali coronatus, a Mauritio Burdino antipapa postea iterum coronari voluit, quem tamen, Saxonum rebellione impeditus, pati debuit in monasterium detrudi.

Inter ea, quae Calixtum II. P. inter et Henricum V. sunt acta, electiones praesulum Teutonici regni in praesentia caesaris fieri posse, conventum est, exclusa ergo Italia; atque adeo electio Rom. P. libera est reddita. Lotharius tamen in locum Henrici electus, cum post Honorii mortem Romanorum factione Innocentio II. an. 1130. legitime electo Petrus Leonis opponeretur, Innocentium Romae substituit an. 1133. ab eodem coronatus anno sequenti, pace inter Lotharium, et Conradum illius an. 1139. successorem conciliata opera S. Bernardi Clarevall. abbatis, cuius monitis parens Conradus, mitigatus atque ad saniora consilia adductus, nihil contra Romanam sedem attentavit: „ Legi (inter alia ad eum scribit *a*) S. Abbas, ) „ Omnis anima sublimioribus potestatibus subdita sit, et qui potestati resistit, Dei ordinationi „ resistit; quam tamen sententiam cupio vos, et „ omnimodis moneo, custodire in exhibenda re„ verentia summae et apostolicae sedi, et B. Petri „ vicario, sicut ipsum vobis vultis ab universo ser„ vari imperio „. Ad an. 1139. reponit hanc epistolam Mabillonius *b*). Notabilis vero est eiusdem ad Honorium II. P. iam anno 1128. scripta pro Henrico Senonensi archiepiscopo in Ludovicum regem

*a*) epist. 183. *b*) T. I. opp. p. 178.

regem Galliarum alioquin, ut Mabillonius adnotat, non malum; sed tunc prava consuetudine temporum proclive fuit in præceps abduci. „ Rex
„ Ludovicus (ut p. 57. scribit) non tam episcopos, quam in episcopis iustitiæ persequitur zelum, cultum, habitumque ipsum religionis.
„ Quod vestræ quoque prudentia sanctitatis vel ex eo facile advertere potest, quod qui ante in habitu actuque seculari honorati sunt sublimes, iudicati fideles, habiti familiares; modo inimici facti sunt, digne suo sacerdotio conversantes, et per omnia honorificantes ministerium suum. Hinc gravibus contumeliis et iniuriis episcopi Parisiensis innocentia pulsata est, sed non quassata: quia Dominus supposuit manum suam, vestram opposuit. Hinc et nunc domini huius Senonensis constantiam concutere et labefactare conatur: ut metropolitano (quod absit) deiecto, facile prout voluerit, grassetur in suffraganeos. Postremo quis ambigit, non aliud eum quam oppugnare religionem, quam nimirum aperte sui regni destructionem, suæ coronæ pronuntiat inimicam? Et alter Herodes, Christum non iam in cunabulis habet suspectum; sed et in ecclesiis invidet exaltatum. Nec aliud sane credimus, eum habere adversus archiepiscopum, nisi quod spiritum in ipso, sicut in cæteris, laborat extinguere „.

Facit huc S. Bernardi epistola 195. ad episcopum Constantiensem p. 187. de Arnaldo Brixiensi homine seditioso et hæretico scripta, postquam iam is an. 1139. in synodo Lateranensi œcumeni-

ca ſub Innocentio II. damnatus, patriaque pulſus in Helvetiam ſe contulerat, urbem Turicenſem diœceſi Conſtantienſi ſubiectam: quem memorat, allicere ſibi homines blandis ſermonibus, et ſimulatione virtutum: in qua, „ Demum cum fuerit „ (pergit,) de illorum captata benevolentia et „ familiaritate ſecurus, videbitis hominem aperte „ inſurgere in clerum, fretum tyrannidi militari, „ inſurgere in ipſos epiſcopos, et in omnem paſ„ ſim eccleſiaſticum ordinem deſævire „. Extat de Arnaldo Guntheri Ligurini carmen, in quo de Tigurinis Arnaldi ſermonibus captis ſic canit:

Unde venenato dudum corrupta ſapore,
Et nimium falſi doctrinæ vatis inhærens,
Servat adhuc uvæ guſtum gens illa paternæ.

Epiſcopis regalia ac feuda, clericis et monachis bonorum quorumlibet proprietatem et poſſeſſionem Arnaldus negabat, perinde ac Waldenſes eiuſdem ætatis hæretici, qui omnem clericorum et laicorum diſtinctionem, ac ſubordinationem tollebant, prælatos ſcribas, et religioſos phariſæos appellantes, in epiſcopos Romanamque ſedem imprimis iniurioſi, quam meretricem in apocalypſi deſcriptam dicebant, ut apud Reinerum et alios a Iac. Gretſero editos libros legere eſt.

Pervagata iterum erat ineunte iam ſec. XII. de adventu Antichriſti fama, ut Baronius ad an. 1106. ex actis de vita Paſchalis II. P. animadvertit n. 25. qui dum in itinere in Galliam ad concilium poſitus, Florentiam perveniſſet, de adventu Antichriſti proxime futuro ſparſam famam inveniens, Florentiæ ſubſtitit. At „ cum audiſſet,

„ (ſub-

„ (subdit,) quæ ferrentur, ut nullius fidei, et „ auctoritatis assertionem contempsit „. Quod idem ex S. Bernardi epistola ad Gaufridum Carnot. ep. de S. Norberto affert n. 26. Antichristum ea, quæ nunc est, generatione revelandum, æquivocum est, nec fidem S. Bernardi meruit. Quod addit, ad summam hoc asseruisse, non visurum se mortem, priusquam videret generalem in Ecclesia persecutionem, id eo referri potest, quod tunc actitabant neoterici Gilbertus Porretanus, Petrus de Bruis, Albigenses, Waldenses, Henricus monachus, et qui se apostolicos dicebant, ut in invidiam trahentes hierarchiam, eiusque caput Romanam sedem, sacerdotium et imperium inter se committerent, præprimis Arnaldus seu Arnoldus, ut eum Otto Frisingensis *a*) vocat, testaturque, „ ex „ ecclesiastici honoris invidia urbem Romam in„ gressum ac senatoriam dignitatem, equestrem„ que ordinem renovare ad instar antiquorum vo„ lentem, totam pene urbem ac præcipue popu„ lum adversus pontificem concitasse. Unde (sub„ dit,) et ad eorundem temeritatis vel potius fa„ tuitatis corroborationem ab eis ad principem „ destinatum tale scriptum invenitur: Excellen„ tissimo atque præclaro urbis et orbis totius do„ mino Conrado Dei gratia Romanorum regi „ semper Augusto senatus populusque Romanus „ salutem et Romani imperii felicem et inclitam „ gubernationem &c „. Tali tenore perscripta est illa epistola, quam Otto Fris. affert ibidem, in qua Conrado aureos montes pollicetur senatus populusque Romanus pontifici rebellis, ad finem

 salu-

*a*) lib. I. de gestis Friderici c. 27.

ſalutationis loco etiam verſibus vota ſua huiuſce-
modi exprimendo:

Rex valeat, quidquid cupit, obtineat ſuper hoſtes;
Imperium teneat, Romæ ſedeat, regat orbem. &c.

Conſultius vero duxit Conradus, piis obſecundare S. Bernardi præſertim votis ad ſuſcipiendum bellum in Oriente, et expeditionem in Palæſtinam: notandaque eſt eiusdem ad Ioannem Comnenum imp. Cpolitanum epiſtola in teſtimonium, quid imperatores Germanici animo geſſerint, quod attinet imperium Orientis: „ ut parentes noſtri, „ (inſit,) videlicet Romanorum imperatores, an„ teceſſores noſtri ad anteceſſores veſtros, ſcilicet „ regnum et populum Græcorum conſtituerunt, „ conſtituo: et ſicut ſervaverunt, ſervabo. Non „ eſt gens, regnum, aut populus, qui non no„ verit, noſtræ Romanæ reipublicæ veſtram no„ vam Romam et dici, et fore filiam, ex huius „ radice ramos et fructus eius proceſſiſſe &c „. Viciſſim vero S. P. Q. R. imaginati ſibi ſtatum Romanæ reipublicæ florentis, cum orbi dominari videretur, legatione ad Fridericum Barbaroſſam Conradi ſucceſſorem miſſa, dum arrogantius faſces imperatori ſubmitterent, in reſponſis tulerunt, „ penes ſe eſſe ſenatum et milites. Principem „ tuum, (pergit Fridericus,) militem meum fe„ ci, teque deinceps in meam ditionem transfudi. „ Legitimus poſſeſſor ſum, eripiat quis, ſi poteſt, „ clavam de manu Herculis „ ut rem narrat Otto Friſingenſis, ipſeque imperator in epiſtola huic ipſi *dilecto patruo ſuo* Ottoni Friſingenſi epiſcopo ſcripta, ab eoque ad calcem lib. VIII. chron. relata:

lata: „ad nos miserunt, (inquit,) et maximam
„ pecuniam pro fidelitate eorum ac servitio, tria
„ quoque a nobis iuramenta exquisierunt. Inde
„ cum domino papa et cardinalibus consilio ini-
„ to, quia imperium emere noluimus, et sacra-
„ menta vulgo præstare non debuimus, ut omnes
„ dolos et machinamenta eorum declinaremus,
„ Octaviano cardinale conducente, maxima pars
„ militiæ nostræ nocte per portam parvulam iux-
„ ta S. Petrum intravit, et sic monasterium sancti
„ Petri præoccupavit. Mane facto dominus papa
„ cum tota ecclesia ad basilicam S. Petri nos præ-
„ cessit, et ad gradus cum maxima processione
„ nos suscepit, et missa celebrata ad alta-
„ re SS. apostolorum Petri et Pauli in honore
„ S. Mariæ virginis, quia sabbathum erat, bene-
„ dictionem coronæ Romani imperii largiter su-
„ per caput nostrum effudit. „ Narrat deinceps Fridericus, quomodo Romani papam capere voluerint, a militibus, tota die cum Romanis confligentibus, liberatum, sicque se cum triumpho victorem discessisse, cum papa apud Albam familiariter moratum. Hæc, quæve postea Otto lib. II. de gestis Friderici, præsertim ad Arnaldum de Brixia et legationem Romanorum attinentia pluribus persequitur capp. 20. seqq. commemorat ipse Fridericus in epistola illa ad patruum suum Ottonem Frisingensem perscripta, ut eum ad historiam seu gesta sua scribenda animaret. Utinam in iis nihil, quod concordiæ huic inter sacerdotium et imperium dissonaret, deinceps occurreret! Utinam cum Arnaldo de Brixia, quem tunc Romæ

anno 1155. Fridericus comburi iuſſit, omnia illa diſcordiæ ſemina flammis conſumpta fuiſſent!

Paucis ante annis defunctus tunc erat, Friderico iam ad clavum ſedente, Eugenius P. ad quem S. Bernardus libb. *de conſideratione*, ſuum antea diſcipulum inſtructurus, ſcripſerat *a)* cum literis ad Eugenium ipſum, tum ad omnem curiam Romanam, quando elegerunt abbatem hunc S. Anaſtaſii in papam, eidem amice exprobrans, quod
„ defuncto ſummo pontifice repente irruerent in
„ hominem ruſticanum, latenti iniicerent manum
„ &c. Sic non erat inter vos ſapiens et exercita-
„ tus, cui potius iſta convenirent? Ridiculum pro-
„ fecto videtur, pannoſum homuncionem aſſumi
„ ad præſidendum principibus, ad regna et imperia
„ diſponenda. Ridiculum, an miraculum? Pla-
„ ne unum horum. Non nego, non diffido, poſ-
„ ſe fuiſſe hoc etiam opus Dei, qui facit mirabi-
„ lia magna ſolus: præſertim cum audiam uſque-
„ quaque ex ore multorum, quoniam a Domino
„ factum eſt iltud. Sed nec ego oblitus ſum iu-
„ diciorum Dei antiquorum et ſcripturæ, pluri-
„ mos recenſentis, ex privata ſeu etiam ruſticana
„ vita olim aſſumtos in voluntate Domini ad re-
„ gendum populum eius. Denique nonne (ut
„ unum e pluribus memorem) tali quodam mo-
„ do elegit David ſervum ſuum, et ſuſcepit eum
„ de gregibus ovium, et de poſt fœtantes accepit
„ eum? Ita, inquam, ita et de noſtro Eugenio
„ in beneplacito Domini potuit contingere. Non
„ ſum ſecurus tamen, quoniam filius delicatus eſt,
„ et tenera verecundia eius, aſſueta potius otio

„ et

*a)* Ep. 237. p. 232.

„ et quieti, quam tractandis, quæ foris sunt: ti-
„ mendumque, ne non ea auctoritate, qua opor-
„ tuerit, sui apostolatus officia exsequatur. Quid
„ putatis gerere animi nunc hominem illum, qui
„ de secreto internæ contemplationis, et amica
„ solitudine cordis, tanquam infans e gremio et
„ sinu matris subito perturbatus, tractum se ad
„ medium videt, et quasi ovem ad victimam
„ ductum ad tam insueta et insuavia? Nisi Do-
„ minus supponat manum suam, heu! necesse est,
„ obruatur, et opprimatur onere insueto et nimio,
„ quod et gigantinis (ut aiunt) vel ipsis quoque
„ angelicis humeris formidabile videatur. „ Erant tunc tempora durissima sedis apostolicæ, ob continua fere sacerdotium inter et imperium dissidia, quæ quidem non est expertus Eugenius, antequam Fridericus in Italiam moveret, post paucos pontificatus annos defunctus morte, quam illi S. Bernardus mox in epistola *a)* ad eum data vivis adeo coloribus et exemplo antecessorum suorum ob oculos ponit, sic eam concludens: „ O vox tonitrui,
„ o vox magnificentiæ, et virtutis: ad cuius ter-
„ rorem confundantur, et convertantur retrorsum
„ omnes, qui oderunt Sion. Hoc vehementer
„ exspectat, et omnino expetit a te mater tua:
„ hoc filii matris tuæ, pusilli cum maioribus de-
„ siderant, hoc suspirant: ut omnis plantatio,
„ quam non plantavit Pater cælestis, tuis manibus
„ eradicetur. Ad hoc enim constitutus es super
„ gentes et regna, ut evellas, et destruas: et ædi-
„ fices, et plantes. Multi audito hoc verbo di-
„ xerunt apud se: iam securis ad radicem posita

 „ est.

a) Ep. 238. p. 235.

„ est. Multi dicunt: Flores apparuerunt in ter-
„ ra nostra, tempus putationis advenit, in quo
„ sarmenta sterilia recidentur, ut ea, quæ præ-
„ valent, uberiùs fructum afferant. Confortare
„ igitur, et esto robustus: manus tuæ in cervi-
„ cibus inimicorum tuorum. Vindica tibi animi
„ constantia et vigore spiritus partem, quam de-
„ dit extra fratres tuos tibi omnipotens Pater,
„ quam et tulit de manu Amorrhæi in gladio et
„ arcu suo. In omnibus tamen operibus tuis me-
„ mento, te esse hominem, et timor eius qui au-
„ fert spiritum principum, semper sit ante ocu-
„ los tuos. Quantorum in brevi Romanorum
„ pontificum mortes tuis oculis aspexisti. Ipsi te
„ prædecessores tui tuæ certissimæ et citissimæ de-
„ cessionis admoneant: et modicum tempus do-
„ minationis eorum paucitatem dierum tuorum
„ nuntiet tibi. Iugi proin meditatione inter hu-
„ ius transeuntis gloriæ blandimenta, memorare
„ novissima tua: quia quibus successisti in sede,
„ ipsos sine dubio sequeris ad mortem „. Scrip-
sit idem ad Romanos epistolam 342. p. 240. qui Eugenium urbe pellentes an. 1146. Arnaldo hæretico factionem inflammante, antiquam, ut diximus, reipublicæ formam restituere nitebantur: sibique senatus politicum Romæ imperium, relicto pontifici spirituali, arrogabant; perseverante ea contentione usque ad Clementem III. annumque 1187. quo pontifici certis conditionibus etiam politicum imperium fuit concessum: et non multo post Innocentio III. illimitatum Friderico iam mortuo: dum antea frustraneus fuisset sub Eugenio P. S. Bernardi conatus.

Nihil

Nihil vero mellifluo hoc doctore dignius, quam quod prodit concordiæ utriusque legitimæ potestatis desiderium, ac mutua ad conservationem utriusque reipublicæ sacræ et profanæ studia et officia: *Non veniat* (ait) *anima mea in consilium eorum, qui dicunt vel imperio pacem et libertatem ecclesiarum, vel ecclesiis exaltationem et prosperitatem imperii non profuturam. Non enim* (*utriusque institutor est Deus*) *in destructionem ea connectunt, sed in ædificationem.* Intelleximus Hadriani post Anastasium IV. Eugenii successoris amica studia et officia in Friderici coronatione, Romanis adversantibus. At is non ad hæc reflectebat, dum mox sequenti anno 1156. tam acerbe tulit verba illa epistolæ pontificis, qua dicit, *insigne coronæ beneficium* ipsi se contulisse: sic illa accipiens, ac si de feudo loqueretur pontifex imperatori collato, quod postea Hadrianus de corona, quam revera invitis Romanis, ut ipsis Friderici verbis audivimus, ei contulit, est interpretatus. Friderico istud in animum revocavit Hadrianus IV. P. litteris per legatum missis in Germaniam:
„ Debes enim, (scribit,) gloriosissime fili, ante
„ oculos mentis reducere, quam gratanter, et
„ quam iucunde altero anno mater tua S. Roma-
„ na Ecclesia te susceperit, quanta cordis affectio-
„ ne tractaverit, quantam tibi dignitatis plenitu-
„ dinem contulerit et honoris, et qualiter impe-
„ rialis insigne coronæ libentissime conferens, be-
„ nignissimo gremio tuæ celsitudinis apicem stu-
„ duerit confovere, nihil prorsus efficiens, quod
„ regiæ voluntati vel in minimo cognosceret obvia-
„ re. Neque tamen pænitet nos, desideria tuæ

„ voluntatis in omnibus implevisse; sed si maiora „ beneficia excellentia tua de manu nostra susce- „ pisset &c „. Memoratus porro legatus, ut ex „ fama Radevicus narrat in chron. „ dixisse fer- „ tur: a quo ergo habet, si a Domino papa non „ habet imperium? Ob quod, (pergit,) dictum „ eo processisse iracundiam, ut Otto Palatinus „ comes de Bavaria prope exerto gladio cervici „ illius mortem intentaret, nisi Fridericus imp. „ auctoritate præsentiæ suæ interposita tumultum „ compescens, legatos dimisisset „. Obversabatur adhuc animo pictura, quæ Romæ Lotharium offendit, ut idem perhibet Radevicus: qua imperator *Homo papæ* dicitur.

Intelleximus modo, quid Germanici autocratores de suo imperio, etiam quod Orientem spectat, senserint: simul etiam in eadem Conradi epistola mentione iniecta regnorum antiquo Rom. imp. subiectorum extra Germaniam, Lotharii porro successorem Conradum S. P. Q. R. urbis et orbis dominum compellat. Vidimus proximis seculis non tam imperatores Francicos rerum fategisse variorum regnorum, quam postea Germanicos ad Orientem, et Septentrionem, apud Ungariam, Poloniam, Daniam &c. Conradus in memorata epistola ad imperatorem Orientis Hispaniam nominare ausus, Galliam et Angliam, ipsum Orientis imperium, ut apud Ottonem Fris. et Muratorium legere est. *a)* Hoc sibi Fridericus in animum induxerat, sic epistolam ad Ottonem Frisingensem, quam is lib. II. c. 30. *de gestis Friderici* recitat,

a) apud Urstis. De Frider. I. lib. I. c. 23. Murat. script. Ital. p. 657.

citat, pleno titulo auspicatus: „ Quia divinæ pro-
„ videntiæ clementia urbis et orbis gubernacula
„ tenemus, iuxta diversos eventus rerum, et suc-
„ cessiones temporum sacro imperio et divæ rei-
„ publicæ consulere debemus „. Nos hic præte-
rimus, quæ Fridericus contraria his, toties a Mediolanensibus, quos capta urbe ac deinde etiam excisa pessime habuit, victus, gessit in vastatione tot urbium Italiæ, quod dominium imprimis affectabat, utrique reipublicæ sacræ et profanæ, ac utrique genti Italicæ et Germanicæ perniciosum. Novum pomum eridos in sera tempora fuit Siciliæ regnum, cui maxime inhiabat etiam filius Friderici Henricus VI. qui cum minus quam parens præsumere videretur, conatus nihilominus fuerat, imperium hæreditarium reddere. Id quod, ut paulo post videbimus, tum imperium Germanicum secum ad ruinam propemodum in magno interregno præsertim commisit, cum etiam sacerdotium et imperium: dum pontifices ipso huius hæreditariæ successionis obtentu sese opponunt in Philippo et Friderico II. familiæ Hohenstaufficæ, Gibellinæ, Rom. Ecclesiæ infestæ; incassa spe in Friderico I. matre Guelpha nato: frustra nimirum ferro testæ misto Dan. II. 43. Etsi vero ipsa Italia scissa esset Guelphica et Gibellina factione; hæc tamen detestabilem se fecerat immensis exactionibus, depopulatione ac violenta oppressione urbium, provinciarum et regnorum Longobardici et Siciliæ, etiam sub Henrico VI.

Quod vero schisma attinet in Ecclesia Romana a Friderico fotum, huius pertinaciæ id ipse tribuit

buit Otto Frisingensis eiusdem patruus *a*) qui iam tunc abdicato episcopatu Frisingensi Morimundum, ubi monachum Cisterciensem professus fuerat, redierat. Creditur, id tædio Friderici fecisse, qui non cessarit novos prioribus mortuis antipapas Alexandro III. quem verum pontificem ipse Otto agnoscit, opponere: fabulam vero illam, quis non explodat, quod Alexander III. iamiam reconciliatus pedem imperatori procumbenti superposuerit illa psalmistæ verba usurpando: *super aspidem et basiliscum ambulabis* &c.

Cæs. Bulæus in historia universitatis Parisiensis *b*) refert ad an. 1158. Friderici *authenticam*\ ut vocat rescriptum ad regni sui fideles datum, ut scholasticos Italos et Germanos propositis præmiis ac privilegiis in sua patria retineret, qui peregre ad academiam Parisiensem eorum privilegiorum spe proficiscebantur. Ibi imperator se hoc beneficium indulgere, mox initio dicit, *maxime divinarum atque sacrarum legum professoribus.* Quod nempe ius canonicum ad regimen ecclesiasticum attinet, suam nactum propriam cathedram in universitate Bononiensi seculo XII. inter studia academica maxime efflorescens, dum post restitutam ab Irnerio in eadem academia Bononiensi iuris civilis professionem, ( ut idem narrat Bulæus in dissert. I. p. 580. *de statu universitatis Paris.* ) Gratianus monachus Bononiensis monasterii SS. Felicis et Naboris ord. S. Bened. corpus decretorum pontificiorum et canonum ecclesiasticorum digessit, quod Eugenius III. quemadmodum Pagius ad Baronium an.

*a*) lib. VII. Chron. c. ult. *b*) T. II. p. 278.

an. 1151. refert, in universitatibus seu studiis generalibus, maxime vero Bononiæ prælegi iussit, publiceque illius professionem exerceri a theologica (maximo utriusque disciplinæ malo, rei christianæ detrimento, ac irrecuperabili damno) tunc distingui, ac seorsim in scholis tradi cœptam, ut Bulæus observat: qui „ itaque (subdit) veteres „ theologi tum fere decretistæ facti sunt: illi vero, „ quibus placuit theologia scholastica, et disputa- „ trix, speciale studium in ea collocarunt, seve- „ risque tractatibus theologicis innumeras quæstio- „ nes, antea non auditas, et quæ plerisque vide- „ bantur inutiles, interseruerunt. „

Addit idem Bulæus, eodem tempore iuris utriusque disciplinam in scholis Parisiensibus exerceri cœpisse regnante Ludovico VII. circa annum 1150. affertque Io. Sarisberiensis testimonium (qui duodecim annos in scholis Parisiensibus consumsit) ex lib. II. Metalogici, ubi tres artes distinguens, post primam militarem, et secundam medicinalem, *tertia*, subdit, *iuris civilis et Decretorum et totius Ethicæ perfectionem absolvat.* Superaddit et Petri Blesensis conformem responsionem epist. 16. ad amicum quemdam iuris canonici studiosum, a quo rogatus fuerat, ut ei nonnullas quæstiones enodaret.

Abhinc curiositas illa contentiositasque ex cathedris academicis, ac scholarum pulpitis in forum non civile tantum, sed etiam ecclesiasticum devenit; erectum est forum litigiosum, theatrum prætensionum: confusæ sunt iuris utriusque formulæ ex coniuncto utriusque studio, adoptataque praxi non in scholis tantum, sed etiam in foris eccle-

... Idem Bulæus p. 577. testatur, Petrum Blesensem confecto Parisiis studiorum liberalium curriculo Bononiam contendisse, ut ius civile addisceret. Suadet tamen is epist. 40. p. 578. amico, studium hoc a sacerdotibus omnino removeri; seque proinde deserto iure ad theologiam contulisse scribit. Et epist. 140. apud eundem Bulæum dehortatur memoratus Petrus Blesensis diaconum clericum regis Angliæ ab amplectenda iurisprudentia, ad theologiæ vero studium impellit, quod facile parari, et Parisiis comparari queat, nec etiam necesse sit, quemadmodum ad comparandam iurisprudentiam *transalpinare*, id est, in Italiam transire, ubi circa an. 1130. Irnerius Wemherus vel Guarnerus veteres iurisconsultos digerens, Bononiæ primus professionem iuris instauravit: „ Ex cuius schola, ( adiungit p. 577. Bu„ læus ) postea prodierunt viri peritissimi, quo„ rum alii eandem professionem in Jtalia conser„ varant, alii in Galliam et Angliam, hoc est, „ Parisios et Oxoniam, ubi florebant academiæ „ studiorum, transplantarunt circa an. 1150 „. Hæc ius civile attinent, quod ne theologiæ et iuris canonici studium suffocaret, ostendit postea Bulæus p. 579. vigilantiam pontificum, notatque ex Msc. historia monasterii Petroburgensis a Benedicto abbate ab an. 1177. ad an. 1194. continuata, inter alios plurimos libros theologicos et iuridicos in iure canonico *Decreta Gratiani: item summam Ruffini de Decretis: summam Ioannis Faguntini de Decretis: Decretales epistolas: item Decretales ep. item Decretales ep. cum summa incipiente* olim.

Dein-

Deinceps vero seculo sequenti de Decretalibus optime meruit imprimis S. Raymundus de Pennaforti Hispanus, cuius opera usus est Gregorius IX. P. ad digerendos libros V. Decretalium, non integras eas more præcedentium compilatorum sistens, sed selecta capita earundem et decisiones tantum. Quod exemplum secutis aliis deinceps pontificibus completum est corpus iuris canonici, quod a Luthero combustum quidem Witembergæ, in catholica Ecclesia vero auctoritatem habuit ad nostrum usque ævum. Novum tamen lustrum superiori seculo XVII. decretum Gratiani obtinuit per correctores Romanos, qui eodem tempore, quo Ant. Augustinus Gratiani emendationi sedulo incubuit, a Gregorio XIII. constituti quævis, quoad licuit, suis auctoribus asseruerunt. Corpori huic iuris canonici partim decreto Gratiani, partim etiam decretalibus PP. inserti sunt plerique eorum canonum lateranensium conciliorum generalium, quorum tria priora celebrata fuerunt seculo hoc XII. primum sub Calixto II. in causa Henrici V. tyrannidem patris in Ecclesiam Romanam imprimis prosequentis ob electionem investituramque beneficiorum ecclesiasticorum, vindicata Ecclesiæ earum libertate. Alterum sub Innocentio II. occasione schismatis in Ecclesia Rom. a rebellibus civibus inducti: cui sedando Lotharius imp. et Ludovicus VI. rex Galliæ strenuam operam impenderunt: tertium sub Alexandro III. post compositas quidem cum Friderico I. res, ad prospiciendum vero in futura tempora, ne hierarchia simili calamitate affligeretur, atque in libertatem vindicata Ecclesia militans regnum Christi in terris legi-

legitima sua potestate, immunitate ac iuribus suis uti, fruique tranquille posset.

Libertatis immunitatisque huius ecclesiasticæ vindicem sese imprimis exhibuit S. Thomas archiep. Cantuariensis: quem prius ex archidiacono Cantuar. rex Henricus II. ut Rog. Hovedem *a*) perhibet „ cancellarium suum in tantam dilectionem et „ familiaritatem recepit, quod nullus par erat in „ regno, excepto solo rege „. At factus archiepiscopus ac regni primas constanter contestatus est, „ se malle exulare, perpetuo proscribi, et „ si Deus ita disposuit, pro iustitiæ defensione „ mori „ *b*) quod et expertus est a sicariis interemtus, non iubente quidem rege, sed ansam dante parricidio cruenta querela: neminem esse, per quem a sacrificulo liberaretur. Eluit hanc indirectam necis sententiam rex publica pœnitentia, papæ æquis dein conditionibus reconciliatus, suscepto etiam voto cruciatæ, i. e. expeditionis militaris in terram sanctam; quibus cruciatis hoc seculo in tota Europa, in conciliis imo ferventissime licet agitatis, nihilominus Solymæ an. 1187. cum plerisque provinciis antea ibi gentium possessis periêre.

*a*) Annal. P. posteriore script. rer. Angl. p. 491.
*b*) Ib. p. 517.

F I N I S

T O M I I.

# ECCLESIA MILITANS REGNUM CHRISTI IN TERRIS

IN SUIS FATIS REPRÆSENTATA

*A MARTINO GERBERTO,*

MONASTERII ET CONGREG. S. BLASII IN NIGRA SILVA ABBATE S. Q. R. I. P.

---

TOMUS II.



TYPIS EIUSDEM MONASTERII
MDCCLXXXIX.

# ECCLESIA MILITANS

## REGNUM CHRISTI IN TERRIS.

### A Sec. XIII. usque ad præsens tempus.

### Caput XL.

*Sec. XIII. sub Rudolpho I. vergente, concordia sacerdotium inter et imperium restituta. Aliorum principum opera deinceps et contentio pro fide catholica. Officium Inquisitionis hæreticæ.*

Ex quo tempore Germania nostra princeps inde a seculo X. post emortuam Carolingicam Francorum regum et imperatorum stirpem, corona imperiali Romæ per summos pontifices imposita superbiit, per quatuor fere secula vicissitudinem schismatum, quibus modo imperium ac sacerdotium inter se collidebantur, deprehendere licet. Quæ cum essent ex discordia dissidiisque sacerdotii et imperii orta, utrinque perinde tempora inter se vicissim erant calamitosa et exitialia. Quot seculum X. habuit Romæ in suo gremio antipapas, tot seculum XI. numeravit anticæsares in Germania. Fovit, nutrivitque Fridericus I. seculo XII. schisma ecclesiæ Romanæ, et quasi pœnam talionis in Germania familiaque sua Hohenstaufica Sueviæ sustinere

debuit seculo XIII. Fridericus II. dum Philippus, Friderici I. Ænobarbi seu Barbarossæ filius, patruus et tutor Friderici II. ( quem Henricus VI. imp. filium infantem moriens an. 1197. reliquerat ) posthabito pupillo nepote ex fratre, ipse imperium ambit, a procerum parte imperator renuntiatus; sed dum altera Ottonem Saxonem eligit, *Sic ergo divisis contra se regni principibus, regnum Cisalpinum contigit plurimum desolari*, sunt verba Ottonis de S. Blasio scriptoris coævi, quæ omnia fusius describit. Eadem luctuosa tempora præ oculis habens Conradus ep. in chron. Moguntino, „ O „ altitudo (exclamat) et profunditas iudiciorum „ iusti iudicis Dei, terribilis in consiliis, super „ omnes filios hominum! Imperator obierat, et „ surgunt duo reges pro imperio litigantes: non „ est, qui a malis imminentibus se abscondat. „

Otto IV. imp. an. 1209. Innocentio III. eiusque catholicis successoribus, et ecclesiæ Romanæ *obedientiam, honorificentiam, et reverentiam* promittit; electiones liberas permittit, et appellationes ad apostolicam sedem: *Omnia vero*, ut in fine habetur, *spiritualia vobis et aliis ecclesiarum prælatis relinquimus libere disponenda, ut quæ sunt Cæsaris Cæsari, et quæ sunt Dei, Deo recta distributione reddantur.* Eadem ad verbum Fridericus II. an. 1213. Quibus utriusque potestatis finibus in tuto res esse potuissent, accedente mox anno 1215. concilii Lateranensis IV. œcumenici decreto, quo iurisdictio circa res, personas et causas ecclesiasticas intra limites iuris scripti et consuetudinis immemorabilis est restricta, hac salutari et

tunc

tunc necessaria undequaque conditione can. 42. addita: „ sicut volumus, ut iura clericorum non
„ usurpent laici, ita velle debemus, ne clerici iu-
„ ra sibi vendicent laicorum. Quocirca universis
„ clericis interdicimus, ne quis suam iurisdictio-
„ nem extendat in præiudicium iustitiæ secularis,
„ sed contentus existat constitutionibus scriptis,
„ et consuetudinibus hactenus approbatis, ut quæ
„ sunt cæsaris, cæsari, et quæ sunt Dei, Deo recta
„ distributione reddantur „. Iterum Fridericus II. imper. an. 1220. ab Honorio III. Romæ coronatus constitutionem edidit, qua irritat statuta quævis libertatibus Ecclesiæ contraria, ut habetur C. De SS. ecclesiis l. 12. *Cassa et irrita.* Non diu servavit pacta Fridericus, mox altero anno ab Honorio et deinceps a Gregorio IX. excommunicatus, qui ut sese refragarium matri Ecccclesiæ exhibuit, ita etiam rebellem filium passus est.

Gregorius IX. interea, sed frustra, imperium Occidentis, quod Roma suo in arbitrio positum existimavit, ut olim senatus Romanus, Roberto fratri S. Ludovici IX. Francorum regis obtulit an. 1236. Frustra etiam Fridericus anno sequenti Romam aggressus est, Italia et Germania Guelforum et Gibellinorum factionibus undique concussis et conturbatis. Dum Gregorius IX. indicto iterum concilio moritur, qui ad illud Romam contendunt, episcopi capiuntur, et in vinculis detinentur. Cœlestino IV. etiam brevi consumto, Innocentius IV. an. 1242. electus, ut de eo scribit *a)* monachus Paduanus lib. II. chron. „ quæ-

A 2 „ sivit

*a)* Apud Urstis. hist. Germ. illustr. P. II. p. 590.

„ ſivit fere duobus annis, habere pacem cum im-
„ peratore, volens finem imponere tantis malis,
„ ſed cum imperator fere totam Italiam poſſediſſet,
„ in ſuperbiam elevatus, verba quidem blanda di-
„ cebat; ſed Romanam eccleſiam deprimere, mo-
„ dis omnibus ſatagebat. Superbiæ quippe ſpi-
„ ritu inflammatus proponebat, ædem eius auferre,
„ iurisdictiones et poſſeſſiones villarum et caſtro-
„ rum, quibus erat ab imperio prædotata, et ta-
„ liter volebat humiliare ſuperbiam clericorum.
„ Et licet ipſe verſipellis eſſet plurimum et aſtu-
„ tus, tamen quod ex abundantia cordis os loqui-
„ tur, iſtam ſacrilegam voluntatem non poterat
„ occultare. Unde contra ſe odium prælatorum
„ in toto imperio non modicum excitavit „. A principibus porro imperii in eius locum an. 1245. Henricus Landgravius Haſſiæ et Thuringiæ, eoque mortuo an. 1247. Guilielmus comes Hollandiæ electus eſt imperator, anno ſequenti Aquisgrani coronatus, et iterum anno 1250. confirmatus mortuo Friderico II.

Hic ſe an. 1229. pro expeditione ſacra profectus in Syriam, perdita licet an. 1187. urbe, regem Hieroſolymorum proclamari fecerat: cum nihil non ageretur (uti ſeculo præterito XII. a S. Bernardo imprimis, tot etiam ac tantis ab eo patratis miraculis, eſt actum) ad animandos fideles pro recuperanda terra ſancta hoc etiam ſeculo XIII. quo S Ludovicus IX. Galliæ rex an. 1248. contra Saracenos profectus an. 1250. ab iisdem captus et in vincula detruſus eſt, poſtea etiam an. 1270. mortuus in Africa. Felicior in expeditione ſacra

Fri-

Fridericus II. Hierosolymitanus an. 1229. rex coronatus, ea cum Soldano pacta conditione, ut suburbicariis Saracenis templum concederetur ceu Amalecitis.

Græci impp. obfirmato cum Romana ecclesia schismate, tulerunt sua in ditione promiscue Agarenos, Iudæos, Ismaelitas, Armenos excusati a Io. Cabasila Iur. Græco Rom. T. I. lib. V. p. 331. Erepta iam iterum erat Francis Cpolis an. 1261. quam annis 58. tenuerant, per Michaelem Palæologum Græcorum imp. non tamen fuit redintegratus imperii orientalis status, semper in peius ruentis, atque in seipso paulatim concidentis, quidquid imperatores Asiatico fastu agerent ad fimbrias auctoritatis suæ ac potestatis dilatandas etiam in sacra, ut eorum politiam ecclesiasticam eius ævi pluribus exponit anonymus auctor commentarii *de finibus utriusque potestatis ecclesiasticæ et laicæ* nuper Ratisbonæ an. 1781. recusus p. 45. ex Balsamone præsertim sec. XIII. Antiocheno patriarcha schismatico. Breviter vero videre est apud P. Le Quien in Oriente Christ. *a)* enormem illam *mutandi, atque innovandi potestatem* ex Demetrio Chonateno, qui illud certo fieri asserit *ex sacrorum divinorumque canonum serie etc. Atqui*, pergit, *ut uno verbo dicam, solo sacrificandi excepto munere, reliqua pontificalia munia palam imperator repræsentat, et in illis legitime et canonice agit.* Quod eruditus ille, ut Le Quien per ironiam vocat, Bulgarorum archiepiscopus ut confirmet magis, ad hunc modum scribere non dubitat: „ In-

A 3 „ veni-

a) De Patriarch. Cpol. c. 18. n. 14. T. I. p. 145.

„ sivit fere duobu... ...iquitatum Flavii Iosephi
„ peratore, vol... s sic habens: Tiberius
„ sed cum im... Augustus, Germanicus.
„ in superbi... ...cus, Tribunitia potesta-
„ cebat; ... ...iam igitur unctus Domini est,
„ dis o... ...e imperator est, propter unctio-
„ ritu ... Christus autem et Deus noster,
„ ... noster quoque pontifex est factus
„ ... ...tur, merito et in pontificalibus gra-
„ ... ...atur „. Sic quemvis infimi etiam sub-
... ...gum scholasticum sequioris huius ævi
... ...on debet suæ theologiæ; quam vero se-
... l. non pauci, ante omnes vero S. Tho-
... ...uinas doctor angelicus tam digne tractavit,
... ...uum sui ævi decus, mortuus, dum in pro-
...tu erat ad concilium Lugdunense œcumeni-
...m, in quo concordia inter Ecclesiam occidenta-
lem et orientalem facta est an. 1274. P. Le Quien in Oriente Christiano dicit T. I. p. 159. mansuram forsitan fuisse concordiam, quæ in hoc Lugdunensi II. concilio Michaele Palæologo imp. et Gregorio X. P. sanctissimo inita est, nisi pactis conventis quibusdam sub Nicolao III. illius paucis post annis successore, Caroli Siciliæ regis instinctu, aliorumque nonnullorum suggestionibus derogatum esset. Quum enim a Patribus indultum esset Græcis, ut symbolum sacrum Cpolitanum apud se absque interiectione vocis *Filioque* de more suo veteri recitarent (id quod eis etiam rursum Florentina synodus ultro concessit) hanc ipsam vocem perinde ac Latini pronuntiare iussi sunt. Id quod Græcorum animos adversus Romanos sic exaspe-

ravit,

vit, ut nulla deinceps via patuerit, qua ad sin-
n nobiscum concordiam instaurandam adduci
erunt.

Porro in synodo Lugdunensi hac secunda Rudolphus I. etiam Rom. Rex per legatum suum Ottonem Spiræ ad S. Guidonem Præpositum, ut Bzovius ad hunc annum narrat, „ omnia iura, privilegia, „ immunitates, libertates, bona, possessiones, „ civitates, et provincias apostolicæ sedi a præ- „ decessoribus imperatoribus præsertim Ottone „ IV. et Friderico II. datas concessasque, nec non „ iuramentis et tabulis publicis confirmatas Gre- „ gorio X. pontifici confirmavit, et renovavit „. Apud Lunigium in continuatione spicilegii eccl. extat Rudolphi diploma, quo Fridericianam bullam auream suo etiam nomine publicavit an. 1275. pro clero Germanico Spiræ 3. Idus Martii. Aliud apud Raynaldum ad eundem annum legitur, quod incipit: *Ab eo solo, per quem reges regnant* &c. an. 1275. XII. Kal. Nov. datum Losannæ, ubi Rudolphus eo anno cum Gregorio X. concordiam sacerdotium inter et imperium eam est pactus, quæ sacrosancta apud imperatores semper fuit, qui hucusque iam per plura secula non admodum interrupta sec. XIV. et XV. serie ex Habsburgo-Austriaca stirpe solium imperiale gloriosissime tenuerunt Rudolphi exemplo, qui in litteris encyclicis, quas edidimus in cod. epist. Rudolph. paucis manifestat, quod „ ad id unice sua suspiraverit intentio, suscepto divini dispensatione con- „ silii regii diademate principatus: ut pax eccle- „ siis, concordia plebibus, et ubilibet moribus

„ disciplina concrescerent, reipublicæ universali „ statu pacifice reflorescente „. Præter funestissima, quæ animo obversabantur, ac cruenta collisi inter se sacerdotii et imperii vestigia, et terram ubique gentium sanguine madentem, recens adhuc erat tragicus Conradini in expeditione Sicula ultimi surculi infelicis Hohenstaufìcæ gentis interitus an. 1269. publico in pegmate capite plexi cum Friderico Badensi Austriæ duce, dum iam a multis annis deplorandus ille magni interregni status utramque rempublicam horrendum in modum affligeret. „ In utero ( ut Rudolphum an. „ 1275. alloquitur a) Pisanorum orator ) Gemini, „ et tandem in Hierusalem malitia prævalet His„ maelis, dum hostis amicum, alienus domesti„ cum, Guelfus persequitur Gibellinum, filii fiunt „ exules, et in exilium, sede digni, exilio exu„ lantur. Luget Pisana civitas, inimicorum ho„ stili gladio summi pontificis ac regii culminis „ vulnerata. Ad cuius protectionem tanto tene„ ri creditur regia celsitudo, et ad repulsionem „ eius gravaminis ardentius anhelare, quanto a „ suis progenitoribus ipsi celsitudini inhæsit pu„ ritate firmiore, et amplioris est ipsa gratiæ pri„ vilegio sublimata „. Pisani nimirum Conradinum e Germania evocantes, pœnas aliquoties luerunt bello petiti a Carolo Andegavensi rege Siciliæ, qui Conradinum capite plexit, ipse postea a Petro Arragoniæ rege victus, capto eius filio Carolo claudo an. 1284. dum iam biennio ante famosæ illæ vesperæ Sicilianæ, seu Francorum in Sici-

a) Cod. Epist. Rudolph. p. 90.

Sicilia cædes esset perpetrata, ac anno 1287. demum, triennio post mortem patris, filius Carolus claudus liber esset dimissus, anno 1289. Romæ Siciliæ rex, cedente Dangiano rege Arragoniæ, coronatus; ubi nihil tunc magis agebatur, quam ut regnum hoc, pomum eridos inter pontificem et imperatorem, diremptum regeretur ab imperio Germanico.

Nihil vero religiosius fuit Rudolpho, qui nihil antiquius habuit, quam concordiam sacerdotium inter et imperium, his verbis prima statim ad Gregorium X. epistola contestatus: „ Confidentes, „ et spiritum fortitudinis assumentes, et ad laudem „ et gloriam Regis regum ob reverentiam sanctæ „ Matris Ecclesiæ, et catholicæ fidei fulcimen„ tum, tam laboriosæ sollicitudinis exercitio, et „ tam onerosæ curæ regimini, ne quod superni „ consilii altitudo decreverat, scissionis aut rup„ turæ dispendio contingeret infirmari, subieci„ mus humeros imbecilles, sperantes, quod no„ bis tam Dei, quam sacrosanctæ matris Ecclesiæ, „ nec non apostolicæ gratiæ plenitudo, atque pa„ terni vestri favoris clementia debeat non deesse „. His animi sensibus turgent aliæ Rudolphi epistolæ, quas singulari opere edidi, quibus præmissi sunt Fasti Rudolphini, in quibus pro modulo meo Rudolphi magnum nomen ac gesta pro utraque republica celebrare allaboravi. Rudolphi patris vestigia premens, seseque in Germaniæ imperio continens, concordiam sacerdotii et imperii conservavit Albertus filius, quem Austriæ ducatu investierat Rudolphus, obtinere tamen filium non

potuit proximum in imperio successorem, eo demum auctum, postquam Adolphum Nassoviæ comitem an. 1298. prælio prostravit.

Dici porro vix potest, quam ingenti zelo integritatis fidei detinerentur principes huius seculi; quove rigore leges ferrent contra hæreticos, ac vires omnes conferrent ad exterminandas hæreses, conspirante utraque et mutuas suppetias ferente utraque potestate ecclesiastica et politica. In codicem Iustinianeum (in quo perinde ac in cod. Theodosiano severæ veterum imperatorum contra hæreses et hæreticos insertæ, ut suis locis meminimus, leguntur magno numero leges) relata est Friderici II. constitutio contra Gazaros in Germania, Patarianos, Leonistas seu Waldenses, et pauperes de Lugduno, qui infames declarantur, ac hostes publici, fisco addictis eorum bonis, quin propinqui eorum unquam ad eorum successionem admitti possint: *Cum*, sunt verba legis, *longe gravius sit*, *æternam*, *quam temporalem offendere maiestatem.* Extant imperatoris eiusdem longe severiores adhuc contra quosvis hæreticos constitutiones, ut pertinaces extremo supplicio afficiantur, ac igne concrementur; exterriti vero suppliciorum atrocitate atque ad conversionem adducti perpetuo carceri mancipentur ad pœnitentiam iuxta canonicas constitutiones: pro disciplina nimirum medii ævi, qua hæretici et schismatici in custodiam sunt detrusi. Extant etiam severæ S. Ludovici Galliarum et Alphonsi Arragoniæ in Hispania regis contra hæreticos leges, memoranturque ipsius etiam comitis Tolosani Albigensium antesignani,

gnani,

gnani, quem S. Ludovicus rex non solum ad fidem catholicam, verum etiam ad eius defensionem collatis cum pontifice Romano operis adduxit. Alphonsi Arragoniæ regis in hanc rem leges apud Mariana leguntur, quibus se legibus et canonibus adductum esse dicit, membris tamen et vita integra, exilii statuta pœna, adeoque minori quidem, quam in Germania et Gallia aut etiam veterum imperatorum constituta erat, severitate: quam unacum pœnis canonicis adhibitam in decreto concilii Lateranensis IV. videmus præsentibus ibidem principum in id conspirantium legatis.

Sic etiam cruciatæ seu bella sacra, quæ superiore seculo XII utriusque potestatis sacræ et profanæ opera ac contentione sunt suscepta, seculo XIII. contra hæreticos geri cœperunt legitima principum vim vi repellentium, cum primi hæretici armati id agerent, quod iam in conc. Lateran. III. sub Alexandro III. can. 27. est notatum, *qui tantam in christianos immanitatem exercent, ut nec ecclesiis, nec monasteriis deferant: non viduis et pupillis, nec senibus et pueris, nec cuilibet parcant ætati, aut sexui; sed more paganorum omnia perdant, et vastent.* Utitur etiam id concilium ad excusandam tuendamque severitatem S. Leonis P. auctoritate de pœna mortis a Maximo imp. Priscilliano hæretico inflicta; mitius vero S. Martinus Turon. iudicavit. *Sicut ait Leo*, sunt verba concilii, *licet ecclesiastica disciplina sacerdotali contenta iudicio, cruentas non efficiat ultiones; catholicorum tamen principum constitutionibus adiuvatur, ut sæpe quærant homines salutare reme-*

*remedium*, *dum corporale super se metuunt evenire supplicium.* Quod vero cruciatas seu bella contra hæreticos ineunte hoc seculo iniri cæpta, cum passim iam hæretici in arma ruissent, attinet, in historia Philippi Augusti Galliarum regis Rigordus memorat, Innocentium III. an. 1207. litteras ad regem et cunctos Galliæ seniores dynastas dedisse, ut ducto exercitu in terram Tolosanam et alias contiguas provincias moverent, ad profligandos, qui terras illas occupaverant, hæreticos: contra memoratum Raymundum comitem Tolosanum Albigensium ducem cum frustra omnia essent alia,

Dehinc quia nec papæ monitis, nec regis amico
Consilio comes ille ferus parere volebat,
Ut saltem reprobos cuivis exponeret hosti,
Aut per se puniret eos, ut iura iubebant.
Imo tuetur eos, et eorum prava per ipsum
Secta viget.

Ut Wilhelm. Breton in Philippiade canit.

Nec effectu caruit expeditio hæc, qua quippe territus comes Tolosanus cum suis baronibus et hæreticorum turma Ecclesiæ reconciliatus in concilio Montispesulano hæresin se in sua provincia exstirpaturum spopondit; eos autem Galliis exterminandi, gloria S. Ludovicum regem mansit, rebelles illos utrique tam sacræ quam profanæ potestati: quales notantur in conc. Tarracon. an. 1242. *Inzabattati* tenentes, *potestatibus ecclesiasticis et secularibus non esse obediendum, et pœnam corporalem non esse infligendam in aliquo casu*: ut nempe impune ipsi grassarentur, atque susque deque verterent omnia; quod passim hoc

secu-

seculo contigit, necessitatemque coercendi licentiam imposuit. Ut sec. V. in Africa contra Circumcelliones fuit factum, approbante cum ecclesia Africana S. Augustino, *a*) veluti seculo hoc XIII. S. Thoma Aquinate. Ut porro Albigenses et Waldenses in hoc rebellionis spiritu conspirarunt, illi tamen longe deteriores erant, pessimi scilicet Manichæi, contra quos a primis Ecclesiæ seculis severissime pœna etiam mortis fuit animadversum. Hæc aliaque sec. XIII. hæresum, superstitionum et sacrilegiorum monstra abominanda, horrendum est dictu, quæ in suis nocturnis conventiculis spurcitias exercuerint, sacraque christiana profanarint atque prostituerint pudendum in modum, ut apud Raynaldum ad an. 1204. n. 59. seqq. legere est. Quæ cum ita sint, quis non videat, huiusmodi scelerum portenta, quæ ad omnis humanitatis eversionem, nec in ecclesiasticæ tantum sed etiam politicæ reipublicæ tendebant perniciem, utriusque vindictam, collatis inter se operis, expostulasse, ut pro enormitate supplicia adderentur censuræ ecclesiasticæ seu pœnis canonicis: quæ illis temporibus pro ratione pœnitentiæ publicæ etiam in disciplina flagellorum seu verberum, atque intrusione in perpetuos quoque carceres consistebant, *ut ibi salvent animas suas, et alios de cætero non corrumpant*, quæ sunt iam laudatæ synodi Tarraconensis verba, ubi de perpetuo carcere *iuxta canonica instituta* est sermo. Quod autem hæreticos in errore pertinaces attinet, *relinquantur curiæ secularis iudicio*, ex sententia eiusdem concilii. Et siquidem in conven-

ven-

*a*) 2. 2. Quæst. 10. art. 8.

ventibus etiam ecclesiasticis eiusmodi pœnæ sunt constitutæ, ex consilio consensuque aut suggestione principum id factum censeri debet, prout ex concili Trident. sententia omnes domini temporales, etiam principes, reges et imperatores, qui duello christianorum suis in terris locum dant, non solum ipso facto excommunicati declarantur, verum etiam dominio loci, si ab Ecclesia habeant, privati, vel si feudalis sit, ad directum dominum reducto. Duellantes vero excommunicationem, bonorum confiscationem, et perpetuam infamiam incurrant, atque ut homicidæ plectantur.

Mentio adhuc facienda est de officio Inquisitionis sec. XIII. instituto, singulariterque tunc necessario ob occulte grassantes hæreses, quas notavimus, quibus detegendis non sufficiebat ordinaria pastorum, episcoporum imprimis (quibus ob concreditum fidei depositum ea maxime incumbit) cura. Refert Raynaldus ad an. 1204. n. 57. &c. Innocentii III. litteras, quibus archiepiscopo Narbonensi exprobrat negligentiam, sese Albigensibus opponendi, mandatque, ut curas suas conferat in hac re cum Petro de Castello novo, monachisque aliis. Dedit porro eandem ob causam epistolam ad Arnoldum abbatem Cisterciensem, cui pontifex legationem ea de re commisit cum laudato Petro de Castello novo, et Radulpho suis monachis, quibus se (ut Petrus monachus eiusdem monasterii in historia Albigensium narrat) episcopus Osmensis in Hispania iunxit; atque religiosos illos animavit *iniunctæ sibi legationi præ tædio renunciare volentes*,

*tes, eoquod nihil aut parum hæreticis prædicando proficere potuissent.* At persuasu memorati, quem sibi in ducem acceperunt, episcopi resumto animo, cum Cisterciensis abbas habito sui ordinis capitulo duodecim secum, apostolorum numero, abbates sui ordinis adduxisset cum aliis monachis, quaquaversum dispersi munus suum apostolicum obierunt ingenti zelo, memoratus imprimis Petrus de Castello novo Inquisitorum illorum seu missionariorum parricidio comitis Tolosani protomartyr. Hisce se postea S. Dominicus, qui centum millia hæreticorum ad veram fidem reduxisse dicitur, succenturiavit, cum novo suo instituto ordine, Prædicatorum indito hinc nomine, qui strenue profecto in hoc munere apostolico laborarunt. Fuit etiam an. 1229. celebratum Tolosæ concilium præsente legato pontificio cum metropolitanis Narbonensi, Burdigalensi, et Augustano compluribusque episcopis, abbatibus, comitibus, baronibus, et magistratibus, in quo id primum constitutum fuit, *ut in singulis locis sacerdos unus, et tres laici constituantur, qui diligenter inquirant hæreticos.* Continuatum fuit idem alibi etiam gentium officium sive missionariorum sive inquisitorum in montanis præsertim terris, ubi hactenus latuerunt Waldenses, Sabaudia, Delphinatu et Provincia.

CAPUT

## Caput XLI.

### *Status utriusque reipublicæ Sec. XIV. turbulentus.*

Hugo Grotius et nonnulli alii in cap. XX. Apoc. regni Christi cum sanctis in terra epocham ab anno 313. quo Constantinus pacem Ecclesiæ reddidit, persecutionibus in christianos fine imposito, auspicati, ad initium sec. XIV. mille annos Apocal. XX. determinant, quo ipso anno seculari 1300. Othman seu Osman regno Ottomanico seu Turcico, Turcarum satrapa, exordium fecerit, et finem Saracenico, quod exeunte demum seculo XIII. et Italiæ finibus et Nocera penitus fuit expulsum. Prima Turcarum in Europam irruptio notatur vergente iam seculo, occupata an. 1360. Adrianopli: in Hungaria cæso cum sociis Sigismundo rege an. 1396. In scenam etiam Grotius Wicleffum, Io. Huss &c. profert; qui quidem bellum sanctis et eorum venerationi non indixerunt, observante in eundem locum Bossueto *a)* ut Albigenses et Waldenses; quorum vero hæresis seculo etiam hoc decimo quarto et ultra perseveravit; cumque his ipsis præ cæteris caput suæ hæresis Wicleffus sec. XIV. constituit, ut hierarchiam, ministerium sanctum et potestatem sacram a Christo apostolis et eorum successoribus in ordine hierarchico relictam supprimeret, omnem Ecclesiæ in suis hierarchis potestatem ac iudicandi facultatem abiudicando: quos ipsos

a) T. III. opp. p. 523.

ipsos *sanctos* etiam alibi sacra scriptura κατ᾽ ἐξοχὴν vocat: veluti D. Paulus signanter I. Cor. VI. 1. arguit Corinthios, quod *habens aliquis negotium adversus alterum audeat iudicari apud iniquos, et non apud* sanctos. *An nescitis, quoniam sancti de hoc mundo iudicabunt? et si in vobis iudicabitur mundus, an indigni estis, qui de minimis iudicetis? Nescitis, quoniam angelos iudicabimus? Quanto magis secularia.* Ubi haud obscure in argumentum huius potestatis iudicandi ad illud respicit, quod Christus apostolis suis pollicitus, sessuros eos super sedes duodecim, et iudicaturos duodecim tribus Israel: quod passim de universitate fidelium interpretantur sancti Patres, argumento saltem erga eos, qui legitimam sacræ scripturæ interpretationem secundum traditionem statuunt. Narrat Thomas Walsingham *a)* versipellem Wicleffum, ab episcopis ad examen revocatum „ favore et diligentia Londinensium delusisse suos „ examinatores, episcopos derisisse, et evasisse „ subditque, quomodo gratiam captaverit laicorum, „ qui libenter audiunt, quæ perversa sunt, præcipue tamen de Ecclesia et personis ecclesiasticis, et libenter impelluntur, ad damna et iniurias inferendas religiosis et clericis. — Domini „ et magnates terræ, multique de populo ipsos „ ( Wicleffistas ) in suis prædicationibus confoverunt, et faverunt prædicantibus hos errores, „ eo nempe maxime, quia potestatem laicis tribuerunt suis assertionibus ad auferendum temporalia a viris ecclesiasticis et religiosis „. Hæc ille ad an. 1377.



*a)* Angl. hist. p. 209.

Fuit vero ingens ineunte statim hoc seculo utriusque legitimæ potestatis sacræ et profanæ collisio non iam inter ecclesiam Romanam et imperium Romano-Germanicum seu pontificem et regem Romanorum, qui tunc fuerat Albertus I. Rudolphi I. filius, pietatis ac observantiæ erga Ecclesiam Romanam imprimis, sedem apostolicam, Ecclesiæque catholicæ caput, eximiæ. Bonifacius VIII. P. an. 1296. pacis inter Adolphum Romanorum, Philippum IV. Francorum, et Eduardum Angliæ reges arbiter extitit: dum biennio post ab ipso Philippo et Eduardo ad eam sanciendam esset in ipsum compromissum: quam in rem publicas tabulas ex Bonifacii regesto exhibet Odoricus Raynaldus ad an. 1298. Nefastus vero fuit annus secularis 1300. dum Philippus pulcher Galliarum rex nonnullos episcopos carceri mancipat et Ascelinum archiep. Narbonnensem degradatum iudicio ulteriori tradit, offensusque fuit Bonifacii VIII. bulla: *Ausculta fili*, ac si pontifex prophetæ locum: *constitui te super reges et regna* &c. ad literam acciperet, quo tamen loco etiam supra vidimus, S. Bernardum usum in epistola ad Eugenium III. eum vero in libris *de consideratione* ad eundem pontificem, limites potestatis pontificiæ nimis extendere, nemo dixerit. Cum rex Philippus in furore suo pontifici, publice igni data bulla, respondet; pontifex bulla altera: UNAM SANCTAM flammas magis accendere visus est, arrogantia veluti potestatis sacræ, seu spiritualis super temporalem et politicam. Duo nihilominus arbitri minime suspecti, Bossuet in defens. 4. propos. Cleri, et

Fleu-

Fleurius in histor. ecclesiast. ostendunt, non definiri, quod reges quoad temporalia dependeant a papa; sed hoc tantum, neminem fidelium non subesse papæ. Brevi vero non solum composita res est sub Bonifacii VIII. successore Benedicto; verum etiam, Benedicto post octo menses mortuo, eius successor Clemens sedem ob continua cum Romanis dissidia Avenionem transtulit, dumque anno 1377. Romam rediret Gregorius XI. magno illi schismati locus datus est, quod ægre seculo XV. demum extinctum.

Interim seculo etiam XIV. non deerant schismata tam in Ecclesia, quam imperio Germanico. Quid sibi tunc in animum induxerit S. P. Q. R. senatusconsultum prodit, quo se in Henricum VII. ius omne imperii conferre, testatum reddidit stilo asiatico plane huiusmodi: *Ego coronarum corona, mundique caput, confirmo principi potestatem, sibique subiicio civitates, gentiumque nationes. Tueantur aquilæ gloriam meam hac Roma.* Anonymus vero auctor vitæ Balduini Archiep. Trevirensis, *Henricum in imperatorem consecratum fuisse, et ab Ecclesia in monarcham dignissime approbatum esse*, dicit *a)* scilicet an. 1312. apud Lateranum, et anno sequenti in Italia. Henrico brevi in Italia extincto, uno die dissidentibus imperii electoribus 18. oct. an. 1314. Fridericus Austriacus et Ludovicus Bavarus, ambo reges salutati sunt Romani. Hic victo Friderico apud Amphingen in Bavaria an. 1323. Romam ingressus an. 1326. teste laudato Anonymo *b)* absque electorum consilio, et



*a)* Lib. II. c. 13. *b)* Lib. III. c. 5.

non ab Ecclesia, sed a senatu fuit coronatus; a Ioanne XXII. damnatus an. 1328. in Italia antipapam Nicolaum V. constituit perturbata utraque republica, persuadens sibi, quasi se supremum monarcham super alios æquales sibi in potestate, existere, cum nec nisi partem aliquam Germaniæ imperio suo teneret. Vicissim tamen negari nequit, multa sibi etiam aliquando pontifices arrogasse in imperium Romano-Germanicum, atque adeo ipsum imperatorem electum confirmandum, aut deiiciendum etiam solio imperiali, ad formulas iuris feudatarii, ut apud Aventinum *a)* legere est, rebus maxime exulceratis sub Ludovico Bavaro et Ioanne XXII. interposita ad bullam excommunicationis, quæ tunc temporis passim vibrabatur, appellatione ad concilium generale. Maxima autem invidia penes Curiam Romanam semper erat, quæ certe Benedictum XII. Ioannis XXII. successorem mitiora cogitantem in transversum egit fori contensiosi vitio ac studii iuris academici. Id tunc eiusmodi erat, ut sæpe locum haberet vulgatum illud: *summum ius, summa iniuria.* Studiose Ludovicus Bav. iurisconsultos in Germania, Anglia, Italia, et Gallia, in partes suas vocabat, Bononiensem præsertim et Parisiensem academiam; amplissimamque in utraque republica arrogabat sibi, adulatorum, calamorumque venalium iudicio, potestatem, existimans: „ Christum ( ut Bzovius loqui-
„ tur ad an. 1327. num. 2.) adeoque etiam sum-
„ mum pontificem, et reliquos ecclesiasticos im-
„ peratori terreno subiectos: imperatorem papam
„ posse

*a)* Annal. Boic. lib. VIII.

„ posse instituere, et destituere: seu deponere.
„ Papam et episcopos amplitudinem iurisdictionis
„ non a Christo, sed ab imperatore obtinere; in
„ imperatorem nullam potestatem habere. Uni-
„ versam simul collectam Ecclesiam orthodoxam
„ nullam potentiam coactivam ad castigandos pu-
„ niendosque peccantes posse exercere. Beatum
„ Petrum non plus, quam alios apostolos a Chri-
„ sto accepisse. Omnes sacerdotes, quicumque
„ illi fuerint, papam, patriarchas, archiepi-
„ scopos, episcopos, et simplices presbyteros,
„ æqualis iurisdictionis et auctoritatis esse, pa-
„ pam nullum dominium in imperio in tempo-
„ ralibus possidere: imperialem dignitatem imme-
„ diate ab ipso solo Deo esse &c „. Quod ta-
men ipsi præcipuo suo hyperaspistæ contrariatur
Marsilio Paduano, qui totus aristotelicus, repu-
blicanus nimirum, in libro, quem inscripsit: *De-
fensor pacis*, in eo est, ut, a populo esse potesta-
tem omnem, ostendat. „ Dicamus, (inquit,)
„ secundum veritatem atque consilium Aristotelis
„ III. Polit. c. 6. legis effectivam primam et pro-
„ priam esse populum, seu civium universitatem,
„ aut eius valentiorem seu voluntatem, in gene-
„ rali civium congregatione per sermonem ex-
„ pressam, præcipientem seu determinantem ali-
„ quid fieri, vel omitti circa civiles actus huma-
„ nos sub pœna vel supplicio temporali . . . Am-
„ plius, quo ab eadem auctoritate debent leges
„ et alia, quæ per electionem statuuntur, susci-
„ pere additionem vel diminutionem &c. Eadem
„ auctoritate promulgari, seu proclamari leges

 „ de-

„ ratificationes, confirmationes et cætera omnia, „ quæ olim assumerentur, sive post summis pon- „ tificibus reperirentur, præstitisse, fecisse, confir- „ masse &c„. Extat eius tenoris diploma Caroli IV. datum Pragæ an 1359. et confirmatum an. 1377. postquam iam anno 1368. imperator expeditione in Italiam refractarias urbes in papæ potestatem redegisset: atque Gregorius XI. Romam rediisset an. 1376. quo Wenceslaus Caroli filius Romanorum rex fuit electus, an. 1378. mortuo patri in imperio suffectus, S. Ioannis Nepomuceni parricida, an. 1400. imperio depositus.

---

## Caput XLII.

### *Militia anceps Ecclesiæ occidentalis, et fatum orientalis capta Cpoli Sec. XV.*

Id equidem ignavia Wenceslai factum est feliciter, quod substituto ei Ruperto R. R. schisma in imperio non fuerit ortum, dum econtra inveteratum illud in ecclesia Romana iam seculo præterito, nunc est confotum contentione illa a Christo in apostolis repressa: *Quis eorum videretur esse maior?* Controversiam illam de superioritate concilii supra papam inter schismata natam, et ad fovenda in Ecclesia schismata factam, Ioannes Gerson primus movisse creditur, zelo abreptus perverso ad turbandum politicum regimen, perinde ac ecclesiasticum. Is dum in regulis moral. tit. *de decalogo*, casum ultro dat, quo liceat, papam etiam occidere, idem quoque ipsum in opusculo

*con-*

*contra adulatores* consid. 7. de principe statuit, haud veritus ad Ciceronis auctoritatem provocare, ac Senecæ illud in Tragœdiis, ad rem afferre: *Nulla Deo gratior victima, quam tyrannus.* Ausus est etiam, sensa illa sua proferre in sermone ad regem Galliarum nomine universitatis Paris. habito: quæ universitas, cuius ipse erat cancellarius, cristas tunc maxime extollebat, suaque auctoritate facile, Gallorum imprimis, in partes trahebat animos, commotos olim adeo in sedem Romanam ob dissidium inter Bonifacium VIII. et Philippum IV. qui iam animi motus recruduerunt ob exactiones pontificum vicinorum Avenione residentium, reservationes præsertim beneficiorum aliaque onera ad sustentationem illorum, etiam schismaticorum, pontificum imposita. Accedebat scandalum et perturbatio in Ecclesiæ regimine ob schisma illud Avenionense, unde potestatem secularem principum in auxilium implorandi occasio enata, negotiaque pleraque ecclesiastica evocandi sub prætextu conservandæ libertatis, corrigendi abusus, tuendæ possessionis &c. Observat hoc Genebrardus *a)* in Clemente de translatione sedis pontificiæ; „ Denique, ( ait, ) hæc sedis apostolicæ translatio valde fœdavit antiquam Ecclesiæ
„ faciem. Nam præter inauditas dispensationes,
„ et sanctorum canonum enervationes periit illud
„ divinum ius, secularia secularibus, et regularia
„ regularibus tribuenda, maxime in Gallia, dum
„ pontifices huius transmigrationis plusquam babylonicæ ( nam observantiam regularem, disci-



*a)* Chron. lib. IV.

„ plinam ecclesiasticam pene totam, iura denique „ confudit, corrupitque ) patriæ et principibus „ impie favere gestiunt. „

Hinc M. Charlas *a*) earum originem a tempore huius schismatis repetit, quando an. 1438. in conventu Bituricensi sanctio pragmatica procusa est, „ Ecclesiaque Gallicana, quæ, ut se a summ- „ morum pontificum exactionibus et beneficio- „ rum reservationibus liberam servaret, ad pote- „ states seculares recurrit, potestatis secularis facta „ est serva, et cum Romani pontificis iurisdictio- „ nem moleste ac graviter tulit, suam a laica fe- „ re omnino absorptam gemuit „. Nec abludit Richerius, dum de appellationibus ab abusu agens dicit apud citatum M. Charlas, hanc rationem procedendi originem præbuisse ecclesiæ Gallicanæ libertatibus, quales nempe ipse sibi in animum induxit. B. Bossuet in *defens. declarationis cleri Gall.* ( cui M. Charlas idem imputat ) non diffitetur, acta ab eo allata docere, regios magistratus post pragmaticam sanctionem iura ecclesiastica acrius invasisse, inductis etiam illis appellationibus, quæ ab abusu vocantur: non quod pragmatica sanctio quidquam tale dixerit; sed quod magistratus regis pragmaticæ sanctionis tutelam, sibi commissam, ad omnia ecclesiastica extenderent. Quod idem de declaratione cleri Gall. an. 1682. ut suo loco videbimus, abnui omnino nequit.

Sed ad seculum XV. revertendum, quando mutata est identidem Prothei instar facies, malumque

a) De libertat. Eccl. Gall. lib. I. c. 16.

que in caput recidit, exasperatis semper magis rebus, auctoque ac multiplicato schismate ab ineunte seculo XV. ut nec in conciliis Pisano et Constantiensi redintegrari potuerit. Illud acephalum fuit a cardinalibus convocatum, quorum pars erat ab obedientia Gregorii XII. pars autem steterat a Benedicto XIII. uterque vero concilio refragabatur: nec obtinere in concilio Constantiensi potuit Ioannes XXIII. Alexandri V. in Pisano electi successor, ut pro œcumenica synodo Pisanus conventus decerneretur, licet magna contentione concertationeque res ageretur.

Neque vero in concilio Constantiensi, pro constanti in Ecclesia usu, reique exigentia, viritim hierarcharum, penes quos legitima a Christo apostolis, et eorum successoribus data residet potestas, collecta sunt vota, sed insueto hactenus, et ut alia tunc, ad fovenda in Ecclesia Dei schismata apto more, per nationes quinque omnino, quarum una huic, alia alteri obediebat pontifici: et sic tandem novus prodiit pontifex Martinus V. deposito Ioanne XXIII. quem Germani cum Italis agnoscebant, depositis item Gregorio Gallico et Benedicto Hispano. Sed nisi spontanea pontificum cessione schisma non fuit extinctum; uno Benedicto detrectante, ab Hispanis tandem deserto. Seculo XIV. iam in Gallia agitabatur consilium de subtractione ab obedientia papis contendentibus exhibenda, quod an. 1398. in synodo præsulum Gallicanorum conclusum, et imperatum, male etiam postea cessit, quando cardinales ab obedientia Benedicti et Gregorii se subtrahunt, Pisisque, aucto schis-

ſchiſmate, novum duobus an. 1409. addunt pontificem: quo anno etiam Francoforti eam ob cauſam conventus fuit habitus, fluctuante diu ex omni parte Germania, dum indifferens eſſe vult; mala vero præſentanea ex ſtatu hoc indifferentiæ non poterant non ſequi, niſi electoralis unio an. 1446. oſtium redeundi ad poſitivam obedientiam aperuiſſet, abiecto neutralitatis monſtro.

Quod de eccleſia Gallicana modo notavimus, idem longe gravius ſeculo mox ſequenti experta eſt Germanica, quanto cum periculo eccleſiaſtica violetur auctoritas, laceſſaturque regnum Chriſti Eccleſia militans in terris, atque obedientia detrectetur et obſequium fidei, quod ut primum vicario Chriſti in terris, ita etiam deinde denegatum eſt concilio œcumenico ab iis, quos hic indigitamus, illis gloriantes anteſignanis, quorum hæreſim abominata eſt Eccleſia, atque non obſtante diro ſchiſmate, quo hæc ipſa Eccleſia militans inter ſe ſciſſa erat, unanimi conſenſu, ut mox videbimus, redintegrata communione inter ſummos Eccleſiæ paſtores, pontificem et epiſcopos, proſcripſerunt illi, quibuscum Chriſtus in ſuis apoſtolis promiſit ſe futurum uſque ad conſummationem ſeculi. damnaruntque inter alios Ioannem Huſs, qui Pragæ Wicleffi recoxit errores, et pertinax Conſtantiæ crematus fuit, ob fugam attentatam ſalvo conductu a Sigiſmundo imp. privatus, quin uſpiam legatur, ut Io. Cochleus in hiſtoria Huſſitica notavit, *de violata ſibi fide publica adverſus papam, regem aut concilium expoſtulaſſe.* Wicleffi errores iam ante concilium Conſtantienſe damnaſſe

Ioan-

Ioannem XXIII. in concilio Rom. discimus ex eius bulla edita a Labbeo: cui altera eiusdem Ioannis XXIII. iungitur in bulla Martini V. confirmatoria concilii Constantiensis, quam primus ex regesto authentico edidit Emmanuel Schelstrate inter acta et gesta Constantiensis concilii subnexa tractatui *de sensu et auctoritate decretorum Constantiensis concilii sessione quarta et quinta circa potestatem ecclesiasticam editorum*: cuius nimirum potestatis communio inter summos Ecclesiæ pastores pontificem et episcopos labefactabatur, visumque est auctoramentum ex confirmatione Martini V. accrescere illis, qui ex obliquo tunicam Christi inconsutilem scindere, religioni sibi non ducunt, collisionem inter summos Ecclesiæ pastores, pontificem et episcopos faciunt, ac contentionum semina spargunt, hierarchiam ecclesiasticam inter se committendo in successoribus apostolorum, pro quibus Christus in ultima sua oratione ante passionem et sacrificium crucis pro redemptione humana, ut *unam sanctam, catholicam et apostolicam* Ecclesiam sibi sponsam assereret, tam ardenter rogavit Patrem: unum hoc specialiter orans; *ut sint unum*, quod isti nunc unitatis vinculum susque deque vertere contendunt, illos ipsos obvertentes successores apostolorum, pro quibus facta est illa Christi deprecatio, atque ad id quidem obtendunt augustum illum hierarchicum consessum, in quo vel maxime locum habere debet illa unitas, unioque hierarchici corporis in singulis suis membris hierarchicis cum suo capite, centro unionis ecclesiasticæ, Romano pontifice. Nec veretur ad-

versa

versa pars, in partes vocare ipsum caput Ecclesiæ post extinctum demum feliciter magnum illud schisma ad novorum schismatum nutriendum fomitem; ac si papa rata habuerit, quæ tempore schismatis quando plura capita Ecclesiam acephalam reddiderunt, actitata sunt adversa huic unioni communionique inter summos Ecclesiæ pastores, pontificem et episcopos. At vero bulla Martini V. a Schelstratio auspicato in lucem atque apricum protracta articulatim de verbo ad verbum refert p. 295. quinque concilii Constantiensis decreta, quæ ille confirmanda censuit: nimirum damnationem 45. articulorum Wicleffi; secundum decretum est de communione sub unica specie: tertium continet damnationem 30. articulorum Ioannis Huss: quartum declarationem synodi ac præcautionem, ne per salvum conductum hæreticis aut suspectis de hæresi datum iurisdictio ecclesiastica frustretur, impunitatique via aperiatur: quintum tenorem condemnationis Hieronymi de Praga. Sic etiam acta sess. XLV. p. 299. ex MSS. cod. ab eodem deinceps allata ostendunt, his se continere confirmationem pontificis, quæ ad fidem pertinent. „ Quod „ (declarat) omnia et singula determinata, con„ clusa et decreta in materiis fidei per præsens „ sacrum generale concilium Constantiense conci„ liariter tenere, et inviolabiliter observare vole„ bat, et nunquam contravenire quoquo modo, „ ipsaque sic conciliariter facta approbat, et rati„ ficat, et non aliter nec alio modo „. Ea nimirum, quæ in bulla confirmationis articulatim proposita modo audivimus. Observatque Schelstra-

tius

tius *a)* cum Patres feff. XL. ederent profeffionem fidei, quam Romani pontifices iuxta antiquam confuetudinem ante confecrationem emitterent, inter omnia concilia generalia, quæ decreta de fide ediderant, unum Conftantienfe omitti: quare Patres Conftantienfes innuere voluerint, fe futurum pontificem adftringere non potuiffe ad decreta fidei in concilio ftatuta, nifi fedis apoftolicæ iudicio fuiffent confirmata. Quod vero decreta feff. IV. et V. attinet, acta iam memorata *b)* feff. XLV. oftendunt, Patribus haud refragantibus pontificem repuliffe, dum legi prohibuit appellationem regis Poloniæ ad futurum concilium: quo iam memoravimus germen licentiæ illius, qua hæretici Ecclefiam inde a fec. XI. cœperunt in fua legitima poteftate et facultatibus impetere: ultra omnem modum antiquiffimorum fchifmaticorum Ecclefiam catholicam calumniis profcindendo: ordinem præfertim ecclefiafticum ac hierarchiam in divinis prærogativis fuis, iuribus et facultatibus laceffendo, ac veluti capite minuendo. Cum cæteris Wicleffiftarum et Huffitarum erroribus in conc. Conftantienfi funt damnati illi etiam, qui ftatum et hierarchiam ecclefiafticam attinent. Sed ab eodem ipfo concilio unitati ecclefiafticæ iuxta leges communionis poteftatis facræ inter fummos Ecclefiæ paftores pontificem et epifcopos apoftolorum fucceffores feff. IV. et V. nequaquam fuit confultum: quin imo novo fchifmati in concilio Bafileenfi occafio fuit præbita, locusque datus. Quod ipfum etiam nonnifi fpontanea abdicatione Feli-

*a)* Differt. III. c. 4. p. 198. *b)* Id. p. 301.

Felicis V. fuit sublatum, agente Friderico III. imp. cum antea status imperii Germanici acephali nec Eugenio, nec Felici adhærerent, quod neutralitatem, palliatam schismatis obstetricem, appellabant novo in Ecclesia exemplo. Quale etiam Bohemorum erat, ut rebelles armis usum calicis extorquerent: frustra eorum in concilio Basileensi, paulatim dilapso, communione tentata.

Concilium Basileense cum, post lectas sess. I. Martini V. et Eugenii IV. bullas de transferendo Senis Basileam concilio, mox sess. II. concilii Constantiensis memoratos canones repetiisset, confirmassetque, Eugenius, quo res vergeret, intelligens, dissolutionem agitat: quod dum resciunt Basileenses, mox sequentibus sessionibus non solum suis decretis obicem ponere conatibus papæ allaborant, verum is etiam sess. VI. de contumacia accusatur, quod intentatam dissolutionem revocare detrectet. Proximis sessionibus sub gravibus minis citatur, iteratoque ei dies condicitur: tum vero excommunicationis sententia in eos fertur, qui concilium transferre tentarent: etsi causam Eugenii sess. VI. singulari oratione, quæ in actis concilii *a)* legitur, episcopus Tarentinus egisset: tum etiam deinceps varii tractatus concordiæ inter Eugenium et Basileenses haberentur, ab ipsoque Eugenio, instante apud eum Sigismundo imp. Romæ, dum a pontifice coronaretur, oblata concordia esset, reiecta a Basileensibus sess. XI. Tunc demum pontifex bullam edit, sess. XIII. lectam, qua omnia gesta Basileensia revo-

*a)* Conc. Germ. T. V. p. 782. &c.

revocat. Nihilominus dum Sigismundus Basileæ adest, fit reconciliatio ea conditione, ut omnia contra Eugenium et cardinales R. E. pontifici adhærentes decreta revocarentur, pontificisque præsides admitterentur. Factum id sess. XIV. dum mox sequenti quotannis concilium diœcesanum, et singulis trienniis provinciale celebrandum statuitur: atque interim vices episcopo Tarentino committuntur ab Eugenio, usque dum legati pontificii advenirent, quod frequenti sessione XVII. præsente Sigismundo imp. multisque principibus contigit. At dum non solum mox sequenti sessione XVIII. iterum decreta sess. IV. et V. concilii Constantiensis, frustrata pontificii præsidii auctoritate, innovarentur, proximisque sessionibus in præiudicium R. S. agere pergerent, ea de re pontifex per legatos Patres monet, ac ab illis vicissim monetur, ut revocet, quæ contra concilii decreta egisset; simulque annatas pro beneficiorum collatione, electionum confirmatione, postulationum admissione aut præsentatione datas tanquam simoniacas reprehendunt, abrogantque.

Dum interim pontifex, atque ipsi etiam Basileenses, agunt de Græca schismatica Ecclesiæ catholicæ reunienda, contentio iterum oboritur, atque ipsi Basileenses sess. XXV. in diversa abeunt de loco, pro futuro concilio, eligendo, aliis Basileeam aut Avenionem, aut aliquam Sabaudiæ urbem, urbem Italiæ Florentiam vel Utinam statuentibus aliis; sessione XXVI. per seditionem duo sibi contraria ea de re eduntur decreta. Hisce præsidentes novum addiderunt, statueruntque, bul-

 lam

lam concilii card. S. Petri ad Vincula, (qui erat unus ex legatis pontificiis, aucto tumultu mox discedentibus) archiepiscopo Panormitano, et episcopo Burgensi esse credendam, qui litteras decretorum ab ipsis factorum signarent, et debitæ executioni mandarent. Miserunt quoque Basileenses legatos Cpolin, atque etiam naves. Ut porro pro advehendis 700. Græcis necessarios corraderent sumtus, indulgentias plenarias promulgarunt pro omnibus, qui tantum contribuerent, quantum pro victu unius septimanæ insumendum esset. At etiam pars altera, quæ urbem Italiæ cum pontifice pro concilio statuerat, suos quoque cum pontificiis concordes misit nomine concilii legatos Nicolaum de Cusa ex Leodiensi archidiacono cardinalem, et Ioannem de Ragusa generalem Dominicanorum, cum legatis Eugenii amicissime exceptos ab imperatore: qui, repudiatis navibus, quas Basileensium pars adversa miserat, Eugenii naves conscendens cum patriarcha Iosepho, metropolitis et episcopis an. 1438. Venetiis appulsi inde Ferrariam concesserunt, destinatum concilio generali locum, præsente iam ibi ipso Eugenio P. cum cardinalibus, magnoque episcoporum occidentalis Ecclesiæ numero, qualem orientalium simul et occidentalium concursum nulla retro ætas viderat: cum in prioribus œcumenicis conciliis, in Oriente celebratis, desideraretur copia Patrum occidentalium, et in occidentalibus paucis adessent orientales, ut iam augustior conventus esse non potuerit ipso præside summo pontifice primum Ferrariæ, urbem au-

tem

tem illam peste infestante, anno sequenti Florentiæ, facta illic felicissime utriusque ecclesiæ unione. Quibus auspicatissime ita procedentibus, cum plerique etiam episcoporum, qui hactenus Basileensibus adhæserant, se coniungerent, relicta Basilea, frequentissimo, celeberrimoque utriusque ecclesiæ concilio consociato suo capiti Romano pontifici, quem Græci sine omni cunctatione concilii præsidem ante ipsam factam unionem venerati sunt; residui nihilominus Basileenses superos acherontaque moventes, nulla præsidii pontificii habita ratione, ausi sunt Eugenium P. sess. XXVII. ad suum tribunal citare, ut intra sexaginta dies compareat: sess. XXVIII. irritare creationem cardinalis, quam in persona patriarchæ Alexandrini fecerat, quod esset contra suum decretum, quo id pontifici vetuerant, instaurato iterum decreto, non licere pontifici, a concilio absenti id facere. Ulterius etiam progressi sess. XXIX. (cum Iuliano card. secessionem faciente, sua sibi auctoritate præsidem Lud. Alemannum card. Arelatensem iuramento sibi adstrictum elegissent,) non dubitant, revocare decretum de Florentia vel Utino pro concilio generali, per ipsos præsidentes, Basileæ factum, ac irritum declarare, et Eugenium contumacem: sessioneque XXX. revocare Eugenii contra concilium gesta, et damnare Ferrariensem synodum: sess. XXXI. Eugenium ab administratione pontificatus suspendere: dum interim felix, faustumque Ferrariæ auspicium accepisset celebrata IV. Id. Ianuarii A. S. MCCCCXXXVIII. sessione prima, in qua com-

muni decreto ante alia statutum est: „ factam per „ Eugenium P. ob causas iustas, et necessarias at„ que urgentes, ad removenda impedimenta, „ quæ unioni cum Græcis tractandæ interpone„ bantur, propellendumque imminens schisma „ translationem legitimam et canonicam esse, ac „ proinde Ferrariense concilium œcumenicum le„ gitime congregatum esse &c. Tum vero sess. II. „ Basileæ post translationem concilii legitime, et „ necessarie factam sub nomine generalis conci„ lii remanentes, quoniam sanctissimam Græco„ rum unionem omni studio perturbant, audent„ que sua temeritate Romanum pontificem inique „ iudicare, omnes et singulos, etiamsi cardinales „ patriarchæ, archiepiscopi, episcopi et minoris „ dignitatis sint, cuiuscunque ordinis excommu„ nicatos esse, ac beneficiis dignitatibusque omni„ bus privatos esse &c.

Neque vero ex ordine episcoporum (qui iam inde, dum rumpi cœperat communio inter summos Ecclesiæ pastores, pontificem et episcopos, diffluentes, ad parvum numerum redacti fuerant) plures quam septem cum uno cardinali Basileæ remanserant, ad quos pertinuit constanti Ecclesiæ observantia ius suffragii in conciliis, succedente collegio episcoporum collegio apostolorum, quibus Christus suam potestatem Ecclesiamque regendam commisit. Ex his ipsis vero episcopis Basileæ residuis plerique, ut mox videbimus, ad hoc ipsum ius et prærogativam ordinis episcopalis provocabant contra attentata eorum, qui ex minore ordine presbyterorum magno quidem numer-

ade-

aderant, doctores graduati, aliique prælati et canonici, atque auctoritatem sibi suffragii arrogabant, Basileæ. Ubi processum est, frustra intercedentibus principibus ipsis, ac eorum legatis, regis etiam Galliarum, Hispaniarum, item Angliæ et Portugalliæ per litteras et nuntios: legatis etiam Electorum Germaniæ Basileam missis, et regis Galliarum post celebratum Bituricis provincialium suorum conventum, rogantibus Basileenses, ut a processu contra Eugenium cessarent: Dominico demum card. Tarraconensi Basileam adventante. Nihilominus isti auctore cardinali Arelatensi rem maturandam statuunt: tametsi „ prælati Hispanicæ nationis asse-
„ rerent, se probationi criminationum contra Eu-
„ genium non assensuros: et Panormitanus præ-
„ sul, qui alias accelerationem iudicii persuadere
„ consueverat, nunc supersedendum omnino cen-
„ sebat: affirmabatque, Italicis et Hispanicis non
„ consentientibus, quasi media parte concilii,
„ nihil ab aliis statui posse: quod quidem a Gal-
„ licis et Germanicis non admittebatur: cum di-
„ cerent, eos nullo modo pares, sed vix quartam
„ partem, quibus respondebat Panormitanus,
„ non prælatos, quibus illi maxime abundarent,
„ non habere potestatem statuendi in conciliis, et
„ proinde se esse eis æquales, cum non essent
„ inferiores numero prælatorum. Fit tandem
„ congregatio generalis ad IV. Calendas Maias,
„ in qua cum proponeretur, an admittendæ es-
„ sent criminationes Eugenii, oratores regum
„ Hispaniæ et Arragoniæ, ducisque Mediolani,
„ et Barchinonensis episcopi nomine Ecclesiæ Hi-

 „ spa-

„ spaniensis, archiepiscopus Mediolanensis nomine Italiæ, cuius se primatem dicebat, intercedunt, prohibentque, ne id fiat. Quodsi fiat, attestantur, neque se, neque principes consensuros. Sed dum his non moverentur alii, iamque decretum admissionis articulorum, iubente præsidente legeretur, omnes prædicti e concione discesserunt „. Prout habent *a)* Augustini Patricii acta huius concilii. In iisdem postea *b)* actis memoratur legatio Basileensium ad conventum Francofordiensem procerum imperii, an. 1439. inde autem ob pestem Moguntiam translatum: cuius legationis princeps fuerat Ludovicus ex ducibus de Teck patriarcha Aquileiensis cum potestate et insignibus legati a latere. Totis viribus legati illi sæpius cum principibus et legatis cæsaris ac regum, unitatis restituendæ studiosis, convenientes acriter petitionibus principum resistebant. Insuper, ut concilii decreta a cæsare et principibus susciperentur, omnem moverunt lapidem, imprimis contra Eugenium P. „ At principes „ et legati cæsaris paci et quieti studentes instabant, ut a iudicio contra pontificem supersederent, permitterentque Patres, concilium transferri, ut dictum erat „. Additur, tractatam per plures dies fuisse, disceptationem, et nihil tandem a Basileensibus potuisse obtineri. Memoratur mox iam laudatus Nicolaus de Cusa, qui *Eugenii causam tutabatur, ubique prædicans, Basileæ non esse concilium generale.*

Perin-

a) T. IV. conc. Germ. p. 828. supplem.
b) p. 832.

Perinde etiam si antiquum constantem celebrandorum conventuum ecclesiasticorum seu conciliorum ordinem spectemus, is non magis in hoc conventu Moguntino conspicuus dici potuit: ubi præterquam, quod communio hierarchica auctoritasque inviolata haud fuerit; conventus is erat, seu comitia principum imperii Germanici procul a forma illa ac usu, qui sub regno Francico obtinuit, quando ecclesiastici et politici regni proceres simul convenerant, utrimque, quæ sui fori erant, pertractantes, ac suis in consessibus mutuis se consiliis et opera iuvantes. Erant tunc equidem Moguntiæ ex ordine hierarchico præter Basileensium legatos, quorum caput patriarcha Aquileiensis nobilitate generis quidem illustris, et cardinalem S. Petri ad Vincula, qui cum legatis cæsaris advenerat, Moguntinus, Trevirensis, Coloniensis, principes, electores et archiepiscopi. Triumviri isti, etsi variis tempestatibus pro temporum illorum iniquitate iactati, Coloniensis quoque et Trevirensis ob *neutralitatem* a Germaniæ principibus susceptam ab Eugenio exauctorati, reconciliati tamen iterum, perinde ac Moguntinus communionis inter summos Ecclesiæ pastores pontificem et episcopos, nec in hoc conventu immemores, studiosos se in tollendo schismate Feliciano commonstrarunt. Aderat porro conventui Moguntino Pataviensis, Lubecensis, et Augustensis episcopi, præter hos, qui cæsaris erant legati, Turonensis archipræsul, et Trecensis episcopi Gallorum, Conchensis Hispanorum, Albigaunensis, Mediolanensis oratores, et aliorum

principum Germaniæ legati complures, qui cuius ordinis fuerint, non meminerunt *a)* acta concilii.

Tot vero hierarchas non numerabant Basileenses: quibus veritis (ut eadem acta habent,) ne criminationes Eugenio obiectæ sufficerent ad deiiciendum illum pontificatu, videbatur iugulandus uno fere syllogismo, conclusionibus videlicet octo per theologiæ professores excussis, quibus asserebatur, Eugenium hæreticum, atque in hæresin relapsum esse. Octo illas conclusiones, totidem veritates catholicæ fidei vocantes, multis argumentis munitas ad legatos suos Moguntiam miserunt: ubi, dum instantibus legatis conventus Germanorum suscepit quidem Basileensia decreta *præter ea, quæ ad iudicium contra papam quoquo modo spectarent* &c. eo ipso etiam Germanica natio reiecit duas illas primas, quas, contendebant, esse veritates fidei catholicæ, scilicet potestatem generalis concilii supra Romanum pontificem, et quemlibet alium esse. Pontifici item non licere dissolvere generale concilium præter eius consensum. Cuiusmodi vero habendum sit Basileense, vel illud declarat, quod postremum fuit, cum multis diebus pro rebus componendis frustra disceptatum esset, spemque facerent Basileenses legati consensus in translationem concilii: si iisdem legibus, consuetudinibus, atque ordinationibus continuandum foret, quibus Basileæ hactenus celebratum est: et siquidem non se dederet Eugenius, professus veritates, quas venditabant, desereretur. Ad hæc vero per Conchensem episcopum responsum est:

„ Pri-

a) L. c. p. 833.

„ Primum a pontifice non posse concedi: quo-
„ niam non liceret illi, præiudicium facere omni-
„ bus episcopis, quibus a Basileensibus fit iniuria;
„ cum inferioris ordinis viri voces habeant in
„ concilio, quod solum ad episcopos spectat. Al-
„ terum vero principes nunquam concessuros,
„ ut qui nihil magis cupiant, quam a iudicio
„ contra pontificem abstineri. Tandem rebus
„ infectis legati domum reversi sunt. „

Narratur deinceps *a)* magnas acerrimasque inter Basileenses contentiones actas fuisse, *cum illas octo veritates legitimo decreto approbare vellent*, legatis omnium principum aperte contradicentibus, atque vehementer incensis. Erant ex his oratoribus plures episcopi, qui, dum aliter persuadere non posset Panormitanus præsul, secessione facta inter se conclusere: „ non esse concluden-
„ dum, et asserentes omne ius concilii apud eos
„ esse, quoniam inferiores non haberent pote-
„ statem, ineundi suffragia in conciliis generalibus,
„ et maxime in rebus fidei, neque vocem habe-
„ re nisi consultivam tantum: atque in tantum
„ exarsit, ut colluviem illam copistarum conci-
„ lium appellaverit: affirmaveritque, flagitium fie-
„ ri ab Arelatensi, qui cum tribus episcopis ti-
„ tularibus contra omnes concilii prælatos vellet
„ statuere „. Dum tandem instante Arelatensi, et quibusdem ex suis, ferventeque multitudine tres primæ conclusiones in generali congregatione sunt approbatæ, non minor deinde concertatio

C 5 fuit,

a) P. 434.

fuit. cum in publica ſeſſione ſolemni decreto illas ſancire voluerunt.

Quæ hic atque hucusque retulimus, ex ſumma conciliorum Baſileenſis, et Florentini (quam Auguſtinus Patritius can. Senenſis iuſſu Franc. Piccolominei card. an. 1480. conſcripſerat) apud Harzheimium *a*) edita hauſimus. In actis porro ſeſſionis XXXII. quod epiſcoporum in ſuffragiis ferendis prærogativam attinet, his conformia, at multo copioſius leguntur, atque articulatius apud Urſtiſium in *chronico Baſileenſi*, qua in urbe ſervantur MſſT acta huius concilii, unde Urſtiſio haurire facile fuit, nec homo Zwinglianus ſeu Calvinianus aliquid in favorem ordinis epiſcopalis interpolaſſe, cenſendus eſt. Is vero Panormitani de hac re ſermonem latius deductum *b*) affert, et poſtquam conſentientem ei Ludovicum Pontanum protonotarium Romanum laudaſſet, recenſet conſpirantem epiſcopi Catanenſis ex Sicilia, et Bellunenſis oratorum regis Arragoniæ, Dertoſani item et Gerundenſis Panormitano ſuccinentium ſententiam, et mox prolixam eiusdem refutationem ab Arelatenſi cardinale præſide factam, contra Panormitanum ſingillatim; qua vero apologia perinde ac ea, quam de eadem re fecit ſeſſione ſequenti, in antiquitatibus rerum eccleſiaſticarum admodum ignarum ſeſe demonſtrat. Negari vero non poteſt, quantus ad ſermonem Arelatenſis ortus fuerit tumultus: dumque memoratus Ludovicus Teccenſis dux patriarcha Panormitanum

*a*) Supplem. T. V. conc. Germ. *b*) Lib. V. Baſ. chron. c. 30.

mitanum et Pontanum protonotarium de timenda Germanorum animositate commonuit, clamant hi cum Mediolanensi archiepiscopo ad comitem de Thierstein concilii advocatum, libertatem sibi eripi. Instante nihilominus Arelatensi, ut conclusio duodecim virorum (deputatorum scilicet ex singulis nationibus) legeretur, Panormitanus cum Arragonensibus episcopis obsistit: contendens, rem hanc episcoporum esse, penes quos resideat potestas definiendi. Dum sese Alphonsus episcopus Burgensis mediatorem interponit, Ludovicus vero Lausanensis, et Nicolaus Grossetanus epp. apud Arelatensem conclusionem urgent, is undique constrictus litteras producit, quibus significaretur, Eugenii P. legatos in Galliis eo rem de superioritate papæ supra concilium deduxisse, ut nisi obex poneretur, facile prævalerent; unde tres ex octo, quas venditabat, veritates priores promulgare festinat. Agitur rursus generalis conventus: Lubecensis episcopus, orator cæsareus, cum principum legatis, magna ex parte episcopis, cumque concilii advocato seorsim consilia ineunt; et dum Arelatensis promulgatio veritatum prædictarum innotescit, illico re percepta promulgationi isti intercedunt episcopus Lubecensis, advocatus, archiepiscopus Turonensis regis Galliarum, et episcopus Conchensis regis Castiliæ oratores; omnes indignati, legatos non expectatos, et infulatos prælatos esse posthabitos. Acerbius in Arelatensem invectus archiepiscopus Mediolanensis palam eum alterum Catilinam appellavit. Rem quoque pluribus Panormitanus, improbare se tan-

quam

quam archiepiscopum et legatum, est contestatus, concilii auctoritatem alias semper se verbis et operibus tuitum esse: sic autem vereri se, illud prolapsurum. Atque hinc ratio se manifestat duorum huius viri doctissimi sermonum, quos I. Dom. Mansi edidit *a)* quorum alter longus et verbosus habitus in conc. Basileensi pro honore et conservatione concilii; alterius fragmentum tantum superest *b) de suprema papæ auctoritate supra concilium.* Panormitanum Arelatensis in responsione maxime impetivit, et hierarcharum contradictionibus nihil obstantibus, proxima sessione XXXIII. tres illas, ceu de fide essent, declaravit primas conclusiones, videlicet: concilium generale legitime congregatum esse supra papam; illudque non posse a quocunque transferri, et pertinaciter has veritates impugnantes esse hæreticos, adeoque eas esse fidei catholicæ veritates ab omnibus affirmandas, cum frustra, ne id fieret, legati principum intercessissent, nullus etiam ex Hispanicis episcopis aut prælatis adesset, ex Italicis unus Grossetanus, et abbas Dunensis. Prævidens vero Arelatensis episcoporum absentiam, per presbyteros reliquiarum arcas ex urbe comportari curavit, ponique in eorum locum: haud reveritus etiam, mox proxima sessione Eugenium IV. P. M. papatu deponere, Amadeo Duce Sabaudiæ in Romanum pontificem postea electo: dum interim principes imperii Germanici, neutralitatem sex annis pro pallio schismatis amplexi, redeuntes ad obedientiam Eugenii, apud eum simul et

Ba-

*a)* Supplem. concil. T. IV. 1352. edit. Labbe.
*b)* p. 1418.

Basileenses sub Friderico imp. pro novo concilio generali congregando instant. Qua de re edidi *a)* habitam an. 1444. in concilio Basileensi sermonem Nicolai abbatis S. Blasii legatione imperatoris perfuncti, pro tollendo item schismate, restituendaque Eugenii IV. P. M. obedientia: quod feliciter factum Felice V. antipapa sponte cedente, diffluente vero nivis instar conciliabulo Basileensi, de quo iuvat hic rerum ordinem ex epilogo summæ *b)* Augustini Patritii, qua potissimum usi sumus, adscribere, quod ad rem attinet: „ Post „ primam, ( scribit ) cum Eugenio reconciliationem hoc concilium satis frequens fuit, ita ut „ aliquando prælati circiter centum infulati ad„ essent, inter quos undecim cardinales Roma„ næ ecclesiæ connumerabantur, multaque sancta „ et optima instituta sunt edita: sed crescente in „ dies dissensione, cum apostolicæ sedis dignita„ tem omnino prosternere conarentur, optimus „ quisque discessit: ita ut cum iudicium contra „ Eugenium intentarent, vix viginti, aut trigin„ ta ad summum infulati adessent, et in eius de„ positione septem tantum Episcopi interfuerunt. „ Admittebantur siquidem ad definitiones, et san„ cienda decreta, non modo episcopi, et ab„ bates, sed theologiæ, iuris utriusque, et alia„ rum doctrinarum professores, quos graduatos „ appellant: tum ecclesiarum canonici, et paro„ chialium rectores, iurati tamen omnes: ita „ ut non minoris esset auctoritatis simplicis cano„ nici, quam episcopi cuiuspiam sanctissimi suf-

„ fra-

a) Cod. probat. hist. Silv. Nigr. p. 152.
b) Suppl. T. V. conc. Germ. p. 869.

„ fragium: cum numero, non dignitate, ex-
„ penderentur sententiæ, contra antiquorum con-
„ ciliorum consuetudinem: in quibus (ut aiunt)
„ soli episcopi et abbates vocem deliberativam
„ habebant, alii vero consultivam tantum. Hoc
„ autem ordine res in concilio gerebatur. Mul-
„ titudo omnis in quatuor nationes primum
„ distincta erat; Italicam, Gallicam, Germanicam,
„ et Hispaniensem. Ex his nationibus pari ex
„ unaquaque numero quatuor conventus (quas
„ sacras Deputationes appellabant) constitueban-
„ tur: ita ut XX. interessent Itali, totidem es-
„ sent Galli, Germani, Hispani. Inter hos pro-
„ portione, quantum fieri poterat, etiam pari
„ numero, cum aderant, cardinales, patriarchæ,
„ archiepiscopi, episcopi, abbates, magistri, docto-
„ res connumerabantur. Hæc quatuor collegia
„ diversa ac propria habebant tribunalia, variis-
„ que nominibus censebantur. „

Notavimus iam in concilio Constantiensi insuetum hunc prorsus omnibus retro Ecclesiæ seculis abusum, suffragia ferendi in conciliis per nationes, admissis etiam promiscue secundi ordinis clericis: ex quibus certe in concilio Constantiensi Io. Gerson fax et tuba fuit, ad fomitem dandum schismatibus inter summos Ecclesiæ pastores pontificem et episcopos, contra leges communionis potestatis a Christo in successoribus apostolorum usque ad præsens sec. XV. conservatæ: et in concilio Tridentino tanta dignitate proximo seculo restitutæ, ut ne delegatis quidem episcoporum ius suffragii concederent: mota etiam de suffra-

ganeis

ganeis charactere episcopali insignitis, ex quibus unus Eichstetensis aderat, disceptatione: quam prærogativam modo vidimus paucos illos, qui post inceptum concilium Ferrariense seu Florentinum residui erant in concilio Basileensi, pro viribus quidem instruere ac redintegrare contendisse, sed frustra, renitente turba illa ex minore ordine, quæ par sibi ius suffragii usurpabat auctoritate Arelatensis cardinalis; collegis suis episcopis perinde iniurii quam pontifici ecclesiæque Romanæ, cui ceu cardinalis obstrictus fuerat. Existimamus, egisse quidem illum rem animo zeloque (non quidem secundum scientiam, dum ante tempus de regno Dei omnia scandala auferre contendit) haud sinistro, ob eius vitæ integritatem ac sanctitatis famam, qua etiam miraculis inclaruisse dicitur. At vero exemplum Ecclesiæ luminis incomparabilis, sanctissimique episcopi et martyris Cypriani nos, cum similibus subsequentium temporum, docet, quanta reverentia, ac auctoritas danda et conservanda sit centro unitatis ecclesiasticæ, Romanæ sedi, si salva res Ecclesiæ, atque in tuto posita esse debeat una sancta, catholica et apostolica Ecclesia.

Accidit vero singulari divina providentia a Daniele notata de Ecclesia Christi orbem universum impletura, monte illo domus Domini in vertice montium, ut sedes Petri Romæ constituta ab omni imperio libera, neminique principum obnoxia esset: cuius immunitatis commoda non attenderunt concilia illa huius seculi, in quibus per nationes suffragia sunt collecta. Cui rei plane extra-

traordinariæ, ac in Ecclesia prius inauditæ ansam primum præbuerunt tempore magni schismatis variæ illæ per nationes et regna obedientiæ, prout huic aut alteri pontifici paruerunt. Potuitque res esse salutaris ad unionem restituendam mutuis consiliis tempore schismatis; vicissim vero etiam perniciosa adversis regnorum ac regum principumque studiis sacra involantium, atque usurpantium sibi iura sacrorum, cuius rei tot in hoc opere occurrunt in detrimentum religionis, hierarchiæ quam maxime a Christo institutæ exempla, incentiva ad fovendas hæreses in Ecclesia et schismata, quorum exemplorum plena est historia ecclesiastica: ac quidem seculo hoc XV. contra communionem potestatis ecclesiasticæ inter summos Ecclesiæ pastores pontificem et episcopos, quorum utrorumque iura violata vidimus in concilio Basileensi, imprimis Ecclesiæ capitis Romani pontificis: cuius, exemplo inaudito ausuque incredibili omnem sibi, eoquod concilium sit supra papam, arrogavit iurisdictionem et in ipsum pontificem auctoritatem, quidquid luberet iubendi, prohibendi, coercendi, in ius vocandi, diem dicendi, in ordinem redigendi, suspendendi, deponendi, diris devovendi, atque adeo Ecclesiam veluti capite minuendi. Ut vel hinc constet, quam exitialis sit hoc demum seculo excogitata illa controversia inter schismata nata, et ad facienda fovendaque schismata vergens, non semel proscripta facta illa inter apostolos contentione: *Quis eorum videretur esse maior. Vos autem non sic* o hierarchæ, quibus Christus unam suam dilectam sponsam concredi-

dit

dit Ecclesiam, *quae progreditur quasi aurora consurgens, pulcra ut luna, electa ut sol, terribilis ut castrorum acies ordinata.* Cant. VI. 9.

Felicius in concilio Florentino cessisse visa est unio Græcorum schismaticorum ipso præsente imperatore, Armenorum item atque Iacobitarum et Abissinorum Æthiopum, nisi florentissima illa olim Ecclesia, atque etiam imperium orientale veluti termino suo fatali seculo hoc XV. tandem propinquasset, superbiente iam et cum schismate conflictante a sec. V. per suum milliarium quasi, regia urbe Cpoli, veluti nova Roma a Constantino M. extructa, dum a fine porro sec. IV. separatum ab occidentali latino imperium Græcum constitueretur. Operæ pretium fuerit, excidium huius imperii capta Cpoli verbis P. Le Quien in eruditissimo opere, *Orbis christianus* a) inscripto hic referre: „ Expugnata illa est a Sultano Machumete II. anno mundi, ut Græci numerant, sexies millesimo trecentesimo sexagesimo primo, vulgaris vero æræ nostræ 1453. die vigesima nona mensis Maii, feriæ tertiæ post pentecostes hebdomadem sacram initio. Muselmanni illi sine mora in christianorum templa impie more suo grassati sunt; illudque imprimis, quod Dei Sapientiæ æternæ dicatum erat, miserandum in modum direptum, profanatumque est, ac deletis, quotquot in eo erant christiani ritus vestigiis, in suæ superstitionis delubrum, quod Moschitam dicunt, sive adorationis domum, illud converterunt. Ea vero interim fuit per civita-



a) T. I. c. 19. p. 145.

„ tem omnem christianorum incolarum strages,
„ ut mox civibus penitus vacua appareret. Quam
„ amplissimæ civitatis ruinam Sultanus ut sarciret,
„ ex diversis provinciis, quas Turcica sua gens
„ subiugarat, colonos undique, ipsosque christia-
„ nos accersere non dubitavit, a quibus incole-
„ retur „. Narrat porro, Mahometem post alias expeditiones Constantinopolin reversum, ut christianos sibi conciliaret, palam significasse, velle se, ut in urbe sacros conventus de more pristino agerent per ecclesias, quas illis adire concedebat. Ubi vero rescisset, a multo iam tempore vacare sedem Cpolitanam, episcopis et clero permisit, patriarcham eligere. Cumque ordinationis peracto ritu pontifices ad imperatoris audientiam novum patriarcham deduxissent, imperator illum solito gentis Turcicæ more pronus in terram adoravit: pretioso etiam pro more pileo veloque, nec non mandya seu pallio donatum, ac baculo, quem Δικανικὸν vocant, in manus dato, argento deaurato undique tecto, ab aulæ primariis per civitatem in equo egregie phalerato vectum, ad ecclesiam deduci iussit. Imprimis vero eidem patriarchæ litteras immunitatis dedisse, memorat Le Quien subscriptionibus regiæ auctoritatis munitas, quibus illum ab omni exactione et calumnia tutum esse iubebat: „ ut nihil quid-
„ quam ab ipso tributi exigeretur, nec ulla vis
„ illi a quocunque adversario vel inimico afferre-
„ tur: quin et a vectigalibus, publicisque con-
„ tributionibus ipse, omnesque successores eius,
„ christianæ legis antistites in perpetuum liberi et

„ immu-

„ immunes essent „. Itaque Gennadius, quem tunc vocatis a clero Cpolitano vicinarum metropolium præsulibus ex monasterio extractum (ut fere fit, factumque fuit in Oriente) patriarcham elegerunt, eiusque successores pristino more ecclesiastica negotia gesserunt: ac patriarchæ deinceps consuetas habere synodos cœperunt, vocatis a se, aut sede vacante a clero ad eas, ut olim, ditionis suæ metropolitis et episcopis, quorum consiliis, calculisque ecclesiæ totius suæ causas tractant, et finiunt. Quod vero electionem et promotionem patriarcharum attinet, res in dicto libertatis statu mansit sub Gennadio hoc II. Isidoro II. Ioasaph. I. et Marco patriarchis, dum Trapezuntinorum, quibus postea urbis portio incolenda data erat, factio Marco insidias struxit, oblataque Sultani filio pecunia mille aureorum impetrarunt, ut Marco eiecto, Simeon Trapezuntinorum in sedem Cpolitanam intruderetur: quo exemplo labes simoniaca in alias etiam sedes est illata. Ad extremum agens P. Le Quien c. 20. de Cpolitani patriarchatus decrementis, in Florentina synodo ideo nihil durabile, quod concordiam initam spectat, confectum esse dicit, quod ad eam nimirum Græci contentionis potius et vincendi animum attulerint, quam unitatis, pacisque christianæ stabiliendæ studium: ad hæc, novorum iurgiorum occasionem auxisse profana Gregorii Palamæ deliria, illudque imprimis fanatici illius Thessalonicensis archiepiscopi præcipuum doctrinæ caput, quo Deum lucem sibi coævam, a suimet substantia diversam prorsus, inhabitare, eiusque

item operationem re ipsa ab ipsius essentia distinctam esse, sibi imaginabatur. Hanc in plenariis suis conciliis, Ioanne Cantacuzeno imp. acriter agente, ineptissimeque suo more urgente, approbatam, et sub anathematis pœna tenendam definitam sententiam, Ioannes II. Palæologus imp. dum in Italiam ad synodum cum suis pergeret, voluit, ut studiose ipsi declinarent, unde novæ concordiæ, quam imperator vehementer optabat, obices iniicerentur, nova oblata disputandi materia, de qua nostri nondum satis audierant. Nec reticenda hic, quæ idem Le Quien ultimo ex Io. Gobelini commentario de Pii II. papæ gestis refert, illius pontificis tempore Moysen archidiaconum Antiochenum, virum Græcis et Syriacis litteris eruditum, magni apud orientales nominis ad ipsum pontificem Romanum a tribus patriarchis Antiocheno, Alexandrino, et Hierosolymitano, aliisque plurimis christianis missum, cuius legatio huiusmodi fuerit: venisse olim ad pontificem Eugenium imperatorem et patriarcham Cpolitanum, et in concilio Florentino, nomine orientalis ecclesiæ de unione cum occidentali, de processione spiritus sancti, de igne purgatorio, de pane azymo, de primatu Romanæ Ecclesiæ, et aliis plerisque, de quibus antea disceptaverant, convenisse. Decretum deinde factum, quod patriarchæ, qui miserant, non susceperunt, satore zizaniorum impediente. Deinde bono commotos spiritu, conventu subditorum habito, suscepto per omnia decreto, soli Romano pontifici se commisisse, velleque illi tanquam Christi vicario

obtem-

obtemperare. Audivisse autem pontificem legationem, et privatim et publice: et collaudatis patriarchis, scripta, quæ Moyses attulerat, in latinum translata, in archivis Romanæ Ecclesiæ recondi iussisse, ipsumque legatum ad propria remisisse &c. Quod hic Moyses indigitat, decretum satore zizaniorum concordiam impediente, patriarchas non suscepisse, contigit hoc haud dubie in pseudosynodo Cpolitana paucis post reditum Græcorum annis celebrata; in qua etiam Orientis patriarchæ Metrophanem Cpolitanum, qui Florentinam synodum commendabat, et apud suos sancitam in ea concordiam propagare studebat, anathemate Arsenii Cæsariensis suggestionibus perculerunt; at nullas in eo decreto diras animadvertit Le Quien in Romanum pontificem, latinamque Ecclesiam intortas; ut quidam in vulgus sparserunt, quotannis etiam Græcos pontifices anathema in Romanam Ecclesiam in cœna Domini palam pronuntiare.

---

## CAPUT XLIII.

### *Mutata a Protestantibus Sacra, et hierarchia Ecclesiæ militantis regni Christi in terris abiecta Sec. XVI.*

Cum ingente voluptate percipio, agitari de unione Russicæ ecclesiæ saltem, Græcis schismaticis addictæ hactenus, cum Romano-catholica consilia, quod magnis semper votis optavi, atque SS. P. N. Pio VI. dum an. 1782. Germaniam adiisset,

ſupplex ea de re fui, quippe, quæ videatur non tantis difficultatibus expoſita; nec tanto eſt diſcrimini obnoxia, quale hactenus toties iam, noſtra etiam nuperrime non ſemel ætate, tentatus Proteſtantium ad gremium Eccleſiæ reditus ſubiit ſemper, ac ſubiturus eſt, niſi ante omnia de infallibili iudice, ac irrefragabili iudicio conveniatur, quo neceſſario ſtandum ſit: ſecus enim dum accedere, aut etiam recedere vel uno in capite liberum eſt, fides vacillat, nihilque durabile eſſe poteſt. Quod ſecum perpendens magni noſtra memoria nominis vir Matth. Pfaffius *a*) „ cum ideæ „ (inquit) hominum circa religionem tam diverſæ ſint, et unus hanc, ille aliam religionem „ veram eſſe exiſtimet, nec ſit in his terris infallibilis quidam iudex perſonalis, qui controverſias decidat, nil reſtat aliud, quam ut mutua „ charitate nos invicem toleremus. „

Eſt hæc una apud Proteſtantes ſacra anchora, tolerantia inquam, non politica tantum in mutua, ſalva lege ſuprema amoris Dei ſuper omnia, charitate, ſed theologica etiam in fide, ſecus ac ſe res habet apud nos, apud quos eſt una ſalvifica fides, una catholica Eccleſia magiſtra fidei, cuius fidei unitas nec cum libertate conſcientiæ, quam depereunt, nec cum tolerantia conſiſtere poteſt illa, quam cum diſpendio veritatis requirunt. Eandem tamen tolerantiam nec ipſi Proteſtantes præſtant aliis, ubi magiſtratum ſive politicum ſive eccleſiaſticum agunt; ac principi (velint nolint fateri) contra libertatem conſcientiæ, niſi promiſ-

ſcue

*a*) Iur. eccleſ. l. V. c. 1. §. 6. p. 247.

cue omnium religionum licentiam dent, potestatem tribuunt illam omnem, qualem flagitat religio quæcunque dominans, quomodocunque determinent ius in sacra, seu circa sacra, quod iis negant, qui illud, ex ore divino in evangelio acceptum, tribus integris primis seculis, antequam ullus princeps Christo nomen daret, et deinceps sub christianis principibus usque ad sua Protestantium tempora in possessione tenentes exercuerunt, et contra refragarios quoscunque vindicarunt, in christianam religionem ac fidem catholicam ringentibus inferi portis, frementibus omnibus seculi potestatibus sub Roma debellatrice illa sanctorum, atque etiam, ut vidimus, ex parte sub christianis impp. donec fata illa subiit Roma, quæ S. Ioannes in Apocalypsi sua divina descripsit, capite XX. autem regnum illud Christi in terris militantis Ecclesiæ.

Cuius regni auspicium, ut supra retulimus, cum Bossuetus in caput XX. Apoc. ab ipsis apostolis fecisset, et post mille annos terminum quemdam sec. XI. statuisset, ( quo ex tempore, ut supra vidimus, fundamenta hierarchiæ a Christo instituta in suis apostolis concuti ab hæreticis cœperunt) addit tamen, nihil impedire, quominus alii similes statuantur, qui ad ultimatum præparent, consummationis seculi nimirum. „ L'apostasie, (subdit) „ de Luther tient beaucoup de ce caractére, comme nous l'avons demonstré ailleurs „. Quam in rem, „ ab anno 410. (ut in cap. XX. Apoc. „ commentatur Calmetus) quo Roma ab Alarico „ fuit capta, et quo, ut ita dicam, interiit super-

 „ ba

„ ba civitas et bestia, quæ illius symbolum erat,
„ usque ad an. 540. pluribus vicibus oppugnata,
„ expugnataque fuit. Inde vero ad annum 1540.
„ mille circiter elapsi sunt anni, ac sub illud fer-
„ me tempus novissimæ eruperunt hæreses, pro
„ quibus tantum sanguinis Europa fudit, et quæ
„ altissimum Ecclesiæ vulnus intulerunt. „

Classicum cecinit Lutherus, dum an. 1520. Wittenbergæ publico in foro ius canonicum concremavit. Eodem anno iam proscriptus ab imperatore, et citatus ab eodem Wormatiæ ad comitia comparens, doctrinam suam concilii generalis iudicio submittere visus est. Missus in Germaniam a pontifice legatus Hieronymus Aleander id apud imperatorem egit, ut nova hæresis, a pontifice damnata, imperio proscriberetur, quod et tunc a cæsare factum fuit Wormatiæ, consensu electorum, principum ac statuum imperii edito, atque mox etiam typis vulgato edicto contra Lutherum refragarium, a pontifice legitime damnatum, qui sparsas a diversis diversas, easque iam pridem ab Ecclesia damnatissimas hæreses in unam sentinam congestas suis etiam adauxerit. Sed Lutherus deinceps semper audacior totum Ecclesiæ systema, omnem hierarchicam potestatem abiiciendo, susque deque vertere connisus est, quam Ecclesia semper eo usque in successione apostolica conservavit, conservabitque, prout contra ipsos Protestantes in conc. Trident. sess. XXIII. c. 6. est definitum: *siquis dixerit, in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis,*

*scopis, presbyteris, et ministris, anathema sit.* Existimarunt sese Protestantes expedire posse ab hac potestate hierarchica, in medium producta sacra scriptura ceu cynosura et iudice, sed quando ad arbitrium et decisionem res venit, aliter Lutherus, aliter Zwinglius, aliter Calvinus, et, ut rem palam edicam aliter principes, et arma deciderunt. Motus seditiosi rusticorum, Anabaptistarum, et a Carolostadio excitati, qui propius Lutherum attingebant, eiusque cum Zwinglio contentiones, multos tum principum cum etiam virorum doctorum avertebant a Lutheranismo: unde ordinum imperii, etiam novæ doctrinæ faventium, qui iam causas has ad comitia Norimbergæ an. 1524. trahebant, inter se discordiæ, quæ in comitiis Spirensibus an. 1526. sedatæ videbantur, atque cuiusque status (dum interim Ratisbonæ pontificius legatus card. Campegius id a cæsaris fratre Ferdinando ducibusque Bavariæ obtinet, ut Wormatiense decretum in suis ditionibus servandum statueretur) arbitrio in suo territorio reformatio relicta usque ad pleniorem cognitionem a concilio generali vel nationali, ab imperatore, nulla pontificis facta mentione, indicendo. Motibus nihilominus anabaptisticis, ac contentionibus cum Zwinglio ingravescentibus maior pars statuum censuit, libertatem reformandi esse restringendam, modumque ponendum, ne in infinitum cresceret licentia dogmatizandi. In comitiis Spirensibus an. 1529. a maiore parte procerum decretum fuit, ut edictum Wormatiense, prout alicubi vel sit, vel non sit iam receptum, sic ibi maneat ad futurum usque concilium.

„ ba ... Spirensibus an.
„ ul ... tatu, quo tunc
„ e ... ad concilium ab
„ m ... convocandum, ab
„ ... avio Hassiæ interpo-
„ ... Protestantium nomen
„ ... ignobile, et, si res pro-
„ ... nativum etymon, magis
... nomen aversandum. Quod
... elegerunt, quei recusare pos-
... men inquam, ut dici solet, et
... scilicet euntium sectariorum,
... mus. Porro in his comitiis Pro-
... 15. Aprilis anni sequentis dictus,
... an velint ad futurum usque conci-
... atholicis in eadem fidei summa conve-
... umque a cæsare, ut ab omnibus ana-
... pellantur et sacramentarii, ac ecclesiasti-
... tuis dominis restituantur, acceptare. Sed
... estantibus non est acceptatum hoc edictum,
... etiam ab imperatore bellis constricto cum
... matiensi edicto in comitiis Ratisbonensibus us-
que ad futurum concilium suspensum. Interim a Protestantibus confessio fidei cusa est per Philippum Melanchtonem, atque in comitiis Augustanis an. 1530. proposita, *Confessio Augustana* dicta; Carolo V. ibidem *amicabilem dissidii compositionem diversis gradibus tentante*, ut apud card. Pallavicinum in hist. conc. Trident. lib. III. legere est. Secuta sunt an. 1532. comitia Norimbergæ, ubi Pax Religionis prima facta dici potest: nempe, ne quisquam alteri litem propter religionem moveret, contro-

versiæ-

verfiæque cum Proteftantibus, fidem concernentes, ufque ad proximum concilium intra annum indicendum effent in fufpenfo.

Agitata deinceps ultro citroque de indicendo concilio confilia; fed dum a comitiis Spirenf. concilium iam a pontifice indictum non vifum fuit effe præftolandum, tractatus vero de religione priores in comitiis ad finem eiusdem anni habendis reaffumendos (conceffa ftatibus utriusque partis libertate, formulam reformandæ fidei ad confultandum proponendi) pace interim Religiofa prorogata, fiquidem conveniri non poffet, ufque ad generale vel nationale concilium, obnitebatur quidem pontifex, fed fruftra, apud Carolum V. ne diffidia religionis in conventu nationali componerentur. Qui etiam, cum de concilio Tridentino Bononiam transferendo ageretur, donec Tridentum reductum effet, famofum illud *Interim* an. 1548. protulit, Proteftantibus et catholicis invifum, et ipfi componendæ rei tam ftudiofo Melanchtoni, ut tamen inter fidei dogmata, a ritibus et adiaphoris diftinguenda, liberalior effet. Qua in re in utramque impegit partem: natumque inde eft certamen illud, inter Proteftantes adiaphorifticum appellatum, Matth. Flaccio in Melanchtonem infurgente; reiectumque in eorum conventibus habitis *Interim*, etiam quod temperamentum attinebat illud quoad adiaphora. Catholicis principibus, cum a Carolo V. imperatore in comitiis imperii proponeretur, difplicere defiit libellus, quod fibi in animum inducerent, mentem cæfaris non effe, quidquam inter catholicos

licos immutandi, sed tantum sectarios intra certos rerum credendarum limites cohibendi, ut a vera fide non longius, aut gravius aberrent, ac deinde difficilius in viam rectam possint reduci per concilium generale, quod quidem semper pro cynosura ultimatoque in rebus fidei habuit catholicus princeps Carolus; nihilominus vero hic expertus est evangelicum illud: *Nemo potest duobus dominis servire: aut enim unum odio habebit, et alterum diliget: aut unum sustinebit, et alterum contemnet.* *a)* Quod ille tot cruentis contra Protestantes bellis commonstravit, frustranea quidem suscepta opera, controversa religionis capita in comitiis imperii componendi, atque adeo in palatio, in quo plerumque semper male cessisse, siquando ad illud religionis causæ essent revocatæ, hactenus vidimus: intelleximusque, nec eo adduci, iussum etiam ab imperatore, potuisse S. Ambrosium, cum de sola ecclesia hæreticis tradenda res esset; quanto magis detrectaturus id strenuus præsul censendus est, si de fide actum fuisset Ecclesiæ, quod S. Martinus teste Sulpitio Severo *b)* palam Maximo imp. edixit: *novum esse et inauditum nefas, ut causam Ecclesiæ iudex seculi iudicaret.* Novum sane et inauditum erat usque ad seculum protestanticum, ut iurisdictio ecclesiastica hierarchiæ a Christo institutæ adempta, potestati seculari consignaretur, atque in causis fidei arbitrium iudicio privato committeretur, unde frustrari omnem operam, consequens fuit, in conciliandis tot circa religionem factionibus, quæ non solum

*a)* Matth. VI. 24. *b)* Hist. Sacra l. II. c. 50.

ſolum Eccleſiæ catholicæ adverſabantur, verum etiam mutuis inter ſeſe factionibus, quales exordio ſtatim ſe prodiderunt inter Lutherum et Zwinglium, de quibus incertum, quis eorum primus novandi ſuſceperit ſtudium: fuitque inter præcipuas cauſas diſſenſio inter ipſos Proteſtantes, cur concilio Tridentino præſentes ſe ſiſtere detrectarent, aut comparentes ad unitatem fidei ſinumque Eccleſiæ revocari non potuerint. Interim dum proceſſu temporis concilium Trident. proſpere ageret, atque Carolus V. magis iam, quam antea, ei patrocinaretur, non obſtantibus inter ipſum et regem Galliæ atque adeo ipſum pontificem diſſidiis, imperator a Proteſtantibus hoſtili animo petitur: ſuſpicione etiam inter ſtatus orta de affectata ſucceſſione imperii hæreditaria in ſua familia; cum tamen ſui deinceps ſucceſſores *a)* neque coronari Romæ in imperatores ( de alia monarchia univerſali res eſſe non potuit contra apertam prophetiam Dan. II. de 4. monarchiis: *donec abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, et percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis, et fictilibus, et comminuit eos* ) voluerint. Ad Caroli V. qui imperium inſcio ac invito Rom. Pont. depoſuit, et ad Maximiliani I. (qui perperam dicitur titulum Pontificis Maximi, quem imperatores chriſtiani ab anteceſſoribus gentilibus ad ſe transmiſſum aliquamdiu geſſerunt, affectaſſe) exemplum provocarunt Maximiliani II. oratores, confirmationem ſuæ electionis a pontifice petere, et de obedientia iusiurandum præſtare recuſantis, ut Sarpius in hiſt.

*a)* Vid. Sarp. Hiſt. conc. Trid. lib. V.

hist. conc. Trident. narrat lib. VIII. contestatum quidem Maximilianum, sibi ad voluntatem papæ quidvis promittendum, et iurandum; sed ratione habita principum, et cæterorum Germaniæ Protestantium, ne ipsos ultro offenderet, velle sibi prius declarari, quibus verbis utendum esset; attamen cum inter se non convenirent, existimatum Romæ commodum temperamentum, ut de obedientia fidem daret, non qua imperator, sed qua rex Hungariæ et Bohemiæ.

Prosequitur hanc rem Io. Schilterus *a*) nihil non agens, ut ius sacrorum imperatori, statibusque imperii asserat, toties incassum in comitiis imperii ad conciliandа religionis dissidia tentatum armis etiam ac cruentis bellis, quibus demum extortum est, quidquid contra avitam religionem obtentum, eiusmodi secuta pace, de qua, utut *pax religiosa* dicatur, quandoquidem in ea, nulla ratione habita Ecclesiæ militantis regni Christi in terris, fidei integritas in discrimen est vocata, iurisdictioque eccl. suspensa, merito illud Ierem. XIV. 19. ingeminatur: *Exspectavimus pacem, et non est bonum: et tempus curationis, et ecce turbatio:* post tot conventus tum statuum, cum etiam doctorum in mutuis colloquiis adversarum partium nobiscum ac etiam inter se exasperatis semper magis rebus, ut fatetur memoratus Schilterus, qui „cum maxima spes esset (ait) fore, „ ut in colloquio Wormatiensi altero an. 1557. „ habito de controversiis religionis, inter pontificios et nostrates tandem conveniretur„ internam

*a*) De libert. Eccl. Germ. lib. VII.

nam tamen dissensionem cum Calvinistis spem frustrasse.

Refert alias complures domesticas controversias ac colloquia, earum causa frustra habita etiam coram principibus, quibus ius sacrorum adscribunt, quique tamen illud non nisi armis et potentia asserere potuerunt sibi. Conati quidem sunt primo ius illud principum circa sacra ex scriptura probare; sed quidquid sit de veteris testamenti apud Israelitas theocratia, facile vel ipsi Protestantes perspexerunt, ad rem eam non esse: dumque nihil prorsus de hoc iure principum circa sacra in novo testamento, ut ipsi fatentur, repererunt, ad iudicium cuiusque privatum, et corruptum dictamen iuris naturæ et rationis humanæ recurrere necesse fuit, cuius tamen lumen illi in statu naturæ lapsæ tantum non penitus extinctum statuerunt, atque oculos rationi ipsi clauserunt, cum in sacris scripturis ius circa sacra tam aperte a Christo ordinatum in evangelio, et ab iis, quibus illud datum est, ab apostolis nimirum, et eorum successoribus exercitum (teste ipsa scriptura in Actibus nimirum apostolorum, et eorum epistolis) constanter quoque deinceps ad sua usque tempora, non viderant in Ecclesia militante regno Christi in terris.

Rem hanc Henr. Dodwellus ineunte hoc seculo graviter exprobravit a) *in paranesi ad exteros tam reformatos quam etiam pontificios: qua iura episcoporum vetera, eorundemque a magistratu seculari*

a) De nupero Schismate Anglicano n. 45. p. 203.

*culari independentia omnibus asserenda commendantur.* Suos vero nominatim allocutus: „ Ad vos „ ergo (ait) Ecclesiæ reformatæ proceres, imprimis nostra sese convertit oratio, liceat, quæso, vestra pace ea profiteri, quæ boni publici pacisque studium extorsit etiam invitissimis. Tyrannidis ecclesiasticæ profligandæ studium in errorem contrarium potuit incautos impellere. Ne rectoribus ecclesiasticis, quod æquum erat, planeque necessarium, concederetis, episcoporum cum potestate abolevistis plerumque nomen, quod tamen nos a Deo ductum ostendimus. Etiam cum retinuistis nomen, quod latine tantundem valeret, Superintendentium. Vix puto, quicquam magis obstitisse, quominus processerit pro voto reformatio. Erant enim sane multi admodum etiam ex adversa parte, quibus necessaria videbatur reformatio, modo iusta fuisset reformantium auctoritas. Id tamen intelligebant, quanto corporis politici periculo futurum erat, si zelo magis quam sano consilio incitatus quisque potestatem sibi arripuisset, ad quam non fuerat legitime vocatus. Sic enim fore metuebant, ne quicquam salvum esset, quod non reformationis obtentu abdicaretur. Itaque ferenda potius ea scandala censebant, quam ut ita reformarentur; qui lubentissime reformantes fuissent adiuturi, si et æquis limitibus, et iusta auctoritate muniti, scandala, pro sua quisque ditione amovissent. Accessitque ad augendam periculi suspicionem, quod legitima atque ordinaria voca-

„ tione

„ tione destituti ad extraordinariam confugere
„ coacti fuissent. Intelligebant enim viri pruden-
„ tissimi, quantam sceleratis portam aperturus es-
„ set prætextus ille quidlibet audendi, siquidem
„ sine extraordinariæ vocationis extraordinariis
„ argumentis admitteretur. „

Fefellit porro ipsos ratio, dum iugi etiam experientia, et conditione humanæ naturæ edocti, secum haud perpendunt, nihil sine legitima auctoritate, subordinatione et ordine, ordinatum, sibi consentiens, constans et stabile esse posse in Ecclesia, quod caput imprimis attinet ipsam fidem, cuius utique arbitrium per ipsum palladium suum, libertatem conscientiæ, principi consignare non poterant. Unde „ postquam, ( ut memorati iam
„ M. Pfaffii verbis *a)* rem edicam, ) ante annos
„ ducentos sacra reformarentur, contigit, ut
„ quævis fere ecclesia, a Romanis sacris quæ seces-
„ sit, peculiarem sibi faciem pingeret. Et in Ger-
„ mania quidem, ubi Martinus Lutherus divino
„ nutu primum sacra mutavit, ordo episcopalis
„ sublatus, ius sacrorum et absolutum principi-
„ bus summisque magistratibus redditum, et col-
„ legiale ad ipsos devolutum est. Sublata itaque
„ episcoporum dignitas, sublata legis diœcesanæ
„ præcipua iura, sublata iurisdictio episcopa-
„ lis &c. „

Idem tamen in dissert. *de successionis episcopalis apud Protestantes pretio* ( quod magnum statuit, Ib. p. 369. et nihil non ad restituendam epi-



*a)* Iuris eccles. lib. II. c. 6.

ſcopalem dignitatem agit) reſponſionem electorum a parte Electoris Saxoniæ et coniunctorum principum ad conventum Auguſtanum affert, in qua dicunt, quantum in ipſis fuit, auctoritatem et iurisdictionem epiſcoporum hactenus fulcire ſe, et ſtabilire conatos fuiſſe &c. Subdit Pfaffius, non abludere prorſus Lutheri libellum Germanicum ad clerum, eo tempore Auguſtæ congregatum, ſcriptum. Fidiſſimus Lutheri achates Phil. Melanchthon, quid futurum abiecta hierarchia ſit, haud difficulter proſpexit, ad Camerarium ſcribens: *Video, qualem ſimus habituri eccleſiam diſſoluta politia eccleſiaſtica. Video poſtea multo intolerabiliorem futuram tyrannidem, quam antea unquam fuit.* Non hic de conſiſtoriis, quæ tunc necdum ordinata erant, loquitur Melanchthon, ſeu ſynedrio, quod ipſum apud Rob. Parkerum *a*) dicitur *papatu deterius*, cum idem antea *b*) dicat, ſuperintendentem ordinis tantum conſervandi cauſa eſſe in Germania, recenſitis eccleſiis, in quibus obtinent. De epiſcopis Melanchthoni ſermo eſt. In alia quippe ad eundem paulo ante III. kal. ſept. data epiſtola Auguſtæ Vindelic. an. 1530. durantibus comitiis, „ Quidam legati (ſcribit) mirifice mihi ſuccenſent, quod videor reſtituere „ epiſcoporum regnum. Et mox altera die: Hoc „ male habet quosdam immoderatiores, reddi iurisdictionem, reſtitui πολιτειαν eccleſiaſticam: „ hoc interpretantur reſtitutionem dominationis „ pontificiæ. Neque ignoro, cur tantum abhorreant ab hoc conſilio. Ægre patiuntur civita-

„ tes

*a*) De politeia eccl. lib. I. c. 34. p. 107.
*b*) P. 79. 80. 82.

„ tes, reduci in urbes illam episcoporum domi-
„ nationem. Et sapiunt, sed quo ore eripiemus
„ eis, si nobis permiserint, doctrinam? Quid,
„ quod omnia, quæ largiti sumus, habent eius-
„ modi exceptiones, ut hoc metuam, ne episco-
„ pi existiment, offerri ῥήματα ἀντὶ ἀλφιτῶν. Sed
„ quid potuimus aliud? Quamquam, ut ego,
„ quod sentio, dicam: Utinam, utinam possim
„ non quidem dominationem confirmare, sed
„ administrationem restituere episcoporum. Vi-
„ deo enim, qualem simus habituri ecclesiam dis-
„ soluta πολιτεία ecclesiastica. Video multo into-
„ lerabiliorem futuram tyrannidem, quam antea
„ unquam fuit „. Et in epist. pridie Nonas sept.
data: „ Quo iure (ait) licebit nobis dissolvere
„ πολιτειαν ecclesiasticam, si episcopi nobis con-
„ cedant illa, quæ æquum est, eos concedere?
„ Et ut liceat, certe non expedit. Semper ita
„ sensit ipse Lutherus, quem nulla de causa quidam,
„ ut video, amant, nisi quia beneficio eius sen-
„ tiunt, se episcopos excussisse, et adeptos liber-
„ tatem minime utilem ad posteritatem: qualis
„ enim, cedo, futurus est status ad posteros in
„ ecclesia, si omnes veteres mores sint aboliti, si
„ nulli certi sunt præsides? „ Nec mutavit sen-
tentiam, sed post septem annos in conventu
Smalcaldico an. 1537. de ipso pontifice R. sta-
tuit Melanchthon: „ Si evangelium admitteret,
„ posse ei, propter pacem et communem tran-
„ quillitatem christianorum, qui iam sub ipso sint,
„ et in posterum sub ipso futuri, superioritatem
„ in episcopos, quam alioqui haberet iure huma-

„ no, etiam a nobis permitti „. Sed quid sibi vult conditio: *Si Evangelium admitteret?* Quasi vero pontifex aut nos pontificii respueremus evangelium, tantum in hoc a Protestantibus diversi, quod nos eius interpretationem ab infallibili iudicio Ecclesiæ accipiamus, quale illi, libertate conscientiæ cuique relicta, nullum firmum habent quoad symbola, et confessiones fidei, ac multo minus quoad arbitria privata doctorum: quales erant utique Lutherus, Zwinglius cum aliis novatoribus, qui suam interpretationem aliis obtrudere voluerunt; imo principi et magistratui cuique in suo districtu arbitrium reliquerunt, ac ius reformandi.

Principi quibus gradibus in Saxonia primum ius circa sacra in manus traditum sit ab an. 1520. usque ad Pacem Religiosam an. 1555. qua, extortum illud Ecclesiæ, principibus protestantibus addictum est, Laurentius Moshemius prosequitur *a)* de Lutheranis; de aliis vero etiam Protestantium sectis egerat iam cap. I. ubi Zwinglium fatetur, captandæ benevolentiæ causa nimiam circa sacra potestatem magistratui detulisse. Postea *b)* de presbyteranis, et episcopalibus in Anglia (ubi dum reges hierarchis potestatem suam circa sacra extorserunt, ipsi sua etiam circa politica frustrati sunt) agit Moshemius, et iam citatus Pfaffius *c)* huic ordini admodum addictus, de Danis et Suecis episcopis, penes quos Lutheranismus viget et Augustana confessio; nec ut in Anglia ordinantur

*a)* Allgemeines Kirchenrecht der Protest. c. 4. p. 542.
*b)* §. 14. p. 149. *c)* §. 17. et 18.

dinantur episcopi: ubi inverso ordine presbyteriani ius circa sacra principi negarunt, indigne ferentes, quod caput Ecclesiæ se gerat rex, ab episcopalibus ideo in synodo Londinensi redarguti, ut aput Pfaffium *a)* videre est. Quod mireris, memoratus etiam Rob. Parkerus, dum principio statim probat, politeiam esse partem regni Christi, nullam tamen subordinationem agnoscit, presbyterianorum caussam agens. Ex vita vero Matthæi Parckeri refert sæpe citatus Pfaffius *b)* Calvinum ad Eduardum VI. et Elisabetham reginam scripsisse, se cum suis hierarchiam episcopalem Anglicanam lubentissime agniturum, eamque et suis in ecclesiis introducturum, si possit. Refert porro *c)* cum episcopi Anglicani contra propositionem synodi Dordracenæ de æqualitate ministrorum Ecclesiæ secundum ius divinum protestarentur, et caussarentur, omnes in Belgio religionis turbas ex eo oriri, quod episcopis destituerentur, theologos Belgas respondisse, se et ecclesiam Anglicanam et ordinem episcopalem facere maximi, eumque cupere in ecclesiis suis stabilitum, etsi id pro præsenti rerum statu fieri non possit: imo Bogermannum præsidem expresse reposuisse: *Nobis non licet, esse tam beatis.* Notat porro *d)* Pfaffius unum ex Calvinistis episcopum, qui et titulum et præcedentiam quamdam singularem aliis cum prærogativis habeat, Berolinensem nempe illum a rege Borussiæ Friderico I. creatum, atque adeo neutiquam ordinatione ecclesiastica institutum.

E 3 Nihil

*a)* P. II. p. 10. *b)* De success. episc. c. 3. p. 376.
*c)* Ibid. p. 377. *d)* p. 105.

Nihil adeo divini habet politeia ecclesiastica apud Protestantes; est vero apud nos tum ex ipsa ordinationis continua serie inde ab apostolis hierarchia constituta, prout iam meminimus, hoc quo orti sunt sec. XVI. Protestantes, a concilio Tridentino definitum, non quoad ipsam tantum hierarchiam, verum etiam, ut habetur Sess. XXV. de Reform. c. 20. *Ecclesiæ et personarum ecclesiasticarum immunitatem, Dei ordinatione et canonicis sanctionibus constitutam.* Immunitatem conservatam fuisse etiam apud Protestantes, admodum probat *a)* laudatus Moshemius. Pfaffius vero *b)* quod statum œconomicum concernit ministrorum, *cedro digna* iudicat illa Thomasii utut ministris Ecclesiæ infensissimi, *aurea plane verba*, quibus agnoscit, magnum piaculum fore, si aut principes aut populus christianus paterentur, ministros cultus divini deterioris esse conditionis, quam sunt alii officiales in republica. Bona vero Ecclesiæ, dum specialiter de illis tractat *c)* non aliter consideranda vult, quam bona certi cuiusdam collegii, et certæ societatis, cui a fundatoribus, veris dominis et possessoribus, in proprietatem sunt addicta, aut alio iusto titulo legitime acquisita, dominio quieta possessione, aut etiam publicis tabulis firmato: ficulneumque esse agnoscit illud Carpzovii, qui ait, bona Ecclesiæ nullius esse, cum Ecclesiæ sint, et collegii illius, quod Ecclesiam conficit. Affert tamen postea *d)* inter theses Carpzovianas sequentes; undecimam nimirum hanc: *De bonis et reditibus Ecclesiæ neque*

*a)* C. 2. §. 13. *b)* p. 325.
*c)* Iur. ecclef. lib. IV. c. 2. p. 189. *d)* p. 196.

*que vectigalia, neque tributa exiguntur, neque alia onera illis imponuntur.* Et duodecimam: *Excepto summo necessitatis casu nequidem collectis extraordinariis clerici et bona Ecclesiæ gravantur.* Nec silentio præterit, quod Christ. Thomasius in dissertatione elegantissima, ut vocat a) *de officio principis evangelici circa augeuda salaria et honores ministrorum Ecclesiæ* asserit; „ Quod principes „ evangelici eorumque ministri in primis etiam „ reformationis initiis non ubique piam intentio„ nem reformatorum pari intentione secundave„ rint, sed in opere reformationis emolumenta „ temporalia magis respexerint, vel ex tot „ querelis de bonis ecclesiasticis, et horum „ secularisationis abusu perspicuum esse potest. „ Hinc factum, ut politici iura principum in præ„ iudicium cleri nimis extulerint, et nunquam, „ vel certe rarissime de officio principum erga „ ministros Ecclesiæ tractaverint „. Notat, ipsum Lutherum deplorasse hunc abusum, ut et de aliis constat, qui nempe Ecclesiam fructum bonorum illorum non retulisse a principibus illis, doluerunt, quibus auctores ad diripienda monasteria, aliaque bona ecclesiastica fuerunt. Paulo ante laudatus Henr. Dodwellus b) in parænesi haud diffitetur, quantam sibi contumeliam fecerint primi statim novatores, nec quicquam habentes, unde factam iacturam compensarent, *ignobiles ipsi apud reformatos, et in ordinem vulgarium ministrorum redigendi.* „ Non dico (pergit,) hæc „ quam alienos fecerint a reformatione illos, quo-



a) P. 203. b) De nupero schismate Anglic. n. 45. p. 206.

„ rum auctoritas in negotio reformandæ religio-
„ nis debuit omnium esse præcipua. Id potius
„ dico, quod apud pios cordatosque (quales hic
„ deligimus) iudices, facile concedetur esse gra-
„ vissimum, quod Deum ipsum, ut videtur,
„ alienarint tot illa bonorum ecclesiasticorum
„ sacrilegia, conciliandis principum animis, non
„ permissa tantummodo, verum etiam aliquate-
„ nus probata: tum hoc imprimis sacrilegium, po-
„ testatis ecclesiasticæ iurium ecclesiasticorum om-
„ nium sanctissimæ, et summi in Ecclesia ordinis
„ exstirpatio. Deum hæc Christumque, ut ex Igna-
„ tio vidimus et Cypriano, episcoporum vindices
„ irritarunt. Inde non est, quod miremur, secus
„ rem, quam sperabamus, evenisse, atque indies
„ rem reformationis publicam labescere, atque ad
„ interitum vergere. „

Nec etiam desunt ex Protestantibus, qui ingenue fateantur, secularisationem monasteriorum, aliorumque proventuum ecclesiasticorum spem, quam in Ecclesia catholica habere non possent, principibus motivum mutandorum sacrorum fuisse.

Editum haud pridem prostat publicum adversæ parti minime suspectum in actis acad. Berol. an. 1787. testimonium, causam progressus prætensæ reformationis fuisse declarans, in Germania lucrum, in Anglia amorem, in Gallia novitatis. studium. Ubi novatores primum Lutheranorum nomine veniebant, etsi doctrina cum Zwinglio, qui eodem cum Luthero tempore comparuit, potius convenirent Galli, postea secuti ca-
stra

ſtra Calvini, poſtquam ille inſtitutiones ſuas edidiſſet, auſus eas Franciſco I. regi dedicare, etſi, cum primum novaturire cæpiſſet Lutherus, eius in Gallia doctrina a Sorbona, Parlamento, ipſoque rege mox fuerit proſcripta. Quo vero non obſtante Calviniſmus in Gallia ut cancer ſerpens infecit regnum, iam palam progreſſus poſt ſynodum Cabillonenſem an. 1563. in qua dum contra regis perinde ac papæ auctoritatem, quam tyrannidem compellabant, eſſet conclamatum, Galliæ regnum et reges ſeditione, bello, coniuratione maximis periculis expoſiti fuerunt factionibus Hugenottarum (quod nomen acceperunt novatores nondum ſatis explorata appellationis cauſa) eo nonnunquam armorum progreſſu, ut extortis vi pacificationibus, ipſis ſatis conſultum videretur, atque tandem etiam famoſo edicto Nannetenſi an. 1598. publicato autem 1599. poſtquam Heinricus IV. iam in eccleſiæ gremium redierat, libertatem ſibi aſſererent. Edictum illud non niſi an. 1685. revocatum fuit, redintegratum equidem quadantenus poſt ſeculum ipſo hoc, quo hæc ſcribimus an. 1788. ſed dies docebit, an ætatem ferat, aut quos eventuum caſus? Obſervat Fr. Mezeray celebris Galliæ hiſtoriographus ſeculi præteriti, ipſam Hugenottarum ligam id ſaltem utilitatis tuliſſe, ut eius periculis fatigatum regem Heinricum IV. atque maiora ſibi ſuæque coronæ reformidantem ad maiorum ſuorum revocaverit fidem. Aliunde nobis facem accendit remonſtratio cleri Gallicani facta an. 1579. Heinrico III. regi de ſtatu eorum temporum, quo epi-

ſcopatus, abbatiæ et eccleſiæ collegiatæ erant penes militiæ præfectos ac duces (haud veritos dicere *mon evêché*, *mon abbaye*, *mes prêtres*, *mes moynes*, ut in ea remonſtratione habetur) a quorum manibus non tam facile extricare licebat, ut alibi gentium.

Nec iniuria ad ſimpliciora principia, quam factum in memoratis ephemeridibus acad. Berolin. an. 1787. meminimus, ex ſententia D. Dargent regis Boruſſiæ conſiliarii intimi (quam expoſuit prima Iunii eius anni in generali academiæ conſeſſu) revocari ex parte magnatum queant progreſſus prætenſæ reformationis, ad unicam ſcilicet captandi lucri cauſam. Brevi profecto extinctus eſt amor Heinrici VIII. Angliæ regis erga Annam Bolenam, unde ſchiſmatis occaſio eſt arrepta, neutiquam vero invadendi bona eccleſiaſtica cupiditas deflagravit, poſtquam rex ita ſeſe in caput eccleſiæ Anglicanæ, inaudito exemplo ipſis Proteſtantibus improbato, erexit, ut ſibi arrogaret eccleſiaſticam poteſtatem in ſpiritualia æque ac temporalia; ut tamen hic etiam demonſtraverit, non illam, ſed hanc ſolam ſibi cordi eſſe. Cum primum enim eſſet per Cramerum archiepiſcopum facta viſitatio regia auctoritate, mox ſecuta eſt monaſteriorum deprædatio. Nec obſtante orta poſt mortem Annæ Bolenæ rebellione an. 1536. cum fruſtra expectaretur mitigatio exactionum et deprædationum eccleſiarum et monaſteriorum, an. 1539. eam ſpoliationem conſummavit rex eccleſiarum ac monaſteriorum, et an. 1545. collegiorum et hoſpitalium, teſte Sandero. Quod autem fidem attinet

net *a*) non solum nihil in dogmatibus orthodoxæ fidei (pro qua ipse contra Lutherum calamum stringens a Romana sede axioma protectoris fidei commeruit) sibi immutandum duxit, verum ea quoque legibus firmavit, etiam sanguinariis. Brevi ante mortem pœnitens facti, quod promiscuam in lingua vulgari S. Scripturæ lectionem indulserit, cum iam mala inde exorta, ut tunc in pleno Parlamenti consessu fuerat confessus, perspexisset, fassus palam, nunquam elanguisse magis charitatem morumque sanctitatem, ut apud Sanderum de schismate Anglicano legere est; doluitque, quod tam parum decretorum suorum ratio habita fuerit, editis tam severis pro fide orthodoxa legibus. At vero, quæ apud And. Duchesne *b*) authentica leguntur documenta, produnt Heinrici hypocrisin in iis, quæ cum Protestantibus Germaniæ actitavit, qui eum protectorem ac ducem expectabant, ea inter alias primaria conditione, ut publicam redderet in regno suo doctrinam evangelicam, ut ipsi dictitabant, in confessione Augustana expositam, *c*) quam ille sic acceptavit conditionem, tantum ut peteret clausulas nonnullas mutari, ac quædam, conventu consilioque mutuo doctorum habito mitigari in illa confessione, eiusque apologia. *d*) Et licet studium, conciliandi sibi imperatorem, a subscriptione illius consociationis absterreret regem, fecit tamen illam Cromwellus eius nomine. Proximus equidem morti an. 1547. restitui ecclesiam Franciscanorum, quos eiecerat,

Lon-

*a*) Vid. Bossuet hist. de variat. lib. VII.
*b*) Hist. d'Angleterre &c. P. II. lib. XX. p. 58. seqq.
*c*) Ibid. p. 60 *d*) Ibid. p. 67.

Londini iussit, atque ecclesiam parochialem instituì, ubi celebrata missa Ruffensis episc. regis sacellanus populum hortatus est, ut deinceps religionis catholicæ sacra ibidem celebrarent: ipseque rex audita missa viaticum ritu catholico sub una specie accepit. Extremo etiam decumbens morbo conventum prælatorum habuit, *a)* deliberaturus de suo in ecclesiam Romanam reditu. Sed enim aliis satis libere loqui verentibus, aliis regi adulantibus, episcopus Vintoniensis inprimis regem de salutari consilio avertit cum aulicis, dum timerent, reddenda esse ecclesiastica bona, quibus a rege ditati fuerant, levi, ut nobilitatem sibi conciliaret, venditis pretio.

Celebratissimus superiore seculo Angliæ scriptor Henr. Spelmannus singularem exaravit librum de sacrilegis et sacrilegorum punitionibus, qui cum iam esset imprimi cœptus, ut Gibson editor operum eius posthumorum testatur, suspensa fuit editio. Cuius rei causam ignorans Gibson probabilem hanc reddit, factum nimirum id in gratiam fuisse maioris et minoris nobilitatis, cuius deprædationes in illo opere revelabantur. Memorat plagulas impressas et MSS. periisse an. 1666. in Londinensi incendio. Est tamen præ manibus prospectus seu epitome illius operis ex editione Anglicana an. 1698. in linguam Gallicam translata, ex parte saltem Msc. operis in bibl. Bodleiana servata, cuius hæc est Gallica inscriptio: *Histoire et fatalités des sacrilèges vérifiées par des faits et des exemples tirés de l'histoire ecclesiastique et profane &c.* ut legitur in memorata epitome. *b)* Ubi cap. VII.

ea

*a)* Ibid. p. 84. *b)* Ed. Bruxell. an. 1787.

ea quæ ad Henricum VIII. attinent, recensentur: prout in Spelmanni opere tractabantur per paragraphos, ex quorum primo aliqua hic excerpere iuvat. *a*)

*a*) Le premier présente le détail des sommes immenses que Henri VIII. avoit trouvées dans les coffres de son Pére. Ce roi avare lui avoït laissé plus de deux millions de livres sterlings. Le produit des Monastères, dont il s'appropria les biens, lui rapporta au moins quarte fois au delà des revenus de la Couronne; sans y comprendre des trésors d'argent monnoyé, de vases sacrés, de vaisselles, de pierreries, d'*ex Voto* tirés des dépouilles des Monastères. En ajoutant à tout cela les Annates et les dîmes, on ne comprend pas comment cet océan de richesses put être épuisé en si peu d'années et dans un temps de paix. Il est hors de doute que la malediction de Dieu s'appésantit sur toutes ces déprédations, quand on réfléchit que quatre ans aprés que Henri eut détruit, et dépouillé trois cents soixante et seize Monastères, et fait rentrer toute leur substance dans ses trésors, il se trouva tellement à sec, que le Parlement vaincu par ses importunités, dût lui abandonner dans son trent - unième Statut, les Monastères qui restoient au nombre de six cents quarante - cinq. Mais cette ressource sacrilège fut épuisée en moins d'une année, et il fallut y ajouter de nouveaux subsides. Enfin tout s'évanouissant entre les mains de ce dissipateur, on lui accorda les grands revenus des chevaliers de saint Jean de Jerusalem tant en Angleterre qu'en Irlande. Qui eut cru qu'aprés l'invasion de mille vingt - un Monastères, de quatre - vingt - dix Collèges, de cent dix - huit Hôpitaux religieux, de deux mille trois cents soixante et quatorze Cantuaires et Chapelles, dont les fonds, les rentes, les épargnes et meubles montoient à une somme inestimable, l'usurpateur verroit jamais la fin de tant de richesses et de trésors accumulés. Rien cependant de plus certain; puisque l'année aprés la saisie des biens de l'ordre de Malthe, on fut dans le cas pour subvenir aux besoin de l'Etat, de lui passer *un grand subside*, car c'est ainsi qu'il est qualifié au livre des Statuts. Enfin aprés avoir tué la poule, qui lui pondoit des œufs d'or, et dissipé les œufs précieux, qu'il en avoit recueillis, il se réduit à des situations, qui la lui firent regretter inutilement. p. 24.

Post

nobilitate, feminis etiam nobilibus et civilibus &c. computante Sandero, primatum a se usurpatum agnoscere recusantibus neci datis, martyrum numerum auxit cum proximis suis successoribus.

Accidit idem non solum in Europa occasione pseudoreformationis in pleraque regna introductæ, verum etiam alibi terrarum in ea recens detecta orbis terraquei parte, in qua Deus defectum, quam catholica religio passa est apud nos, resarcire voluit, America inquam, missis illuc apostolis, ex quibus complures in munere apostolatus sui pro fide gloriosam martyrii coronam reportarunt: quos aliis iungens sæpe laudatus Pastorinus observat *a*) hæc recentioris ætatis id habere singulare, quod ultra octingentos vel nongentos annos non fuerint audita martyria: nulla scilicet ratione eorum habita, qui post priora tempora persecutionum ac martyriorum, Mahumedanorum exemplo, schismata et hæreses inter christianos armis sustentantes, promoventesque in eos etiam innumeros sævierant, quin ad martyrum illorum censum pertineant, de quibus S. Ioannes, *b*)postquam commemorasset aperuisse agnum sigillum quintum, *vidi*, subdit, *subtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, et propter testimonium, quod habebant; et clamabant voce magna dicentes: usquequo domine, sanctus et verus, non iudicas, et non vindicas sanguinem nostrum de iis, qui habitant in terra? Et datæ sunt illis singulæ stolæ albæ: et dictum est illis, ut requiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi*

*a*) Cap. VIII. *b*) Apoc. VI. 9.

*conservi eorum, et fratres eorum, qui interficiendi sunt sicut et illi.*

Sic sancti martyres in cœlis, quibus radii divinitatis in operibus providentiæ, et gratiæ perspicui sunt, Deum vindicem implorant in patria, nos autem, ut Christus in cruce pro crucifigentibus, et Stephanus pro lapidantibus orare pro persequentibus iubemur. Dumque cernimus ad tubam quintam apertum puteum abyssi: et ascendisse fumum putei sicut fumum fornacis magnæ, et obscuratum esse solem de fumo putei: rogemus benignissimum numen, ut dissipet fumum putei fornacis huius magnæ, cuius illi flammam pro luce habent, nec vident, obscuratum esse solem et aerem de fumo putei, ac tenebricosum suum, quod sibi in sacra usurparunt, regnum. Quando Christus apostolos lucem mundi professus est, a) *non potest*, subdit, *civitas abscondi supra montem posita: neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt:* secus igitur ac factum, atque a Deo promissum est, novatores statuere debent; Christum nempe civitatem, id est, ecclesiam in monte positam tot seculis absconditam esse sivisse, atque lucernam, quam posuit super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt, sub modio reliquisse toto illo tempore, quo defecit ex horum sententia Ecclesia Dei vivi, ex sententia apostoli b) *columna et firmamentum veritatis.* Verbis Christi modo ex Matthæo allatis mox subiungit Lucas XI. 34. ea, quæ Matthæi VI. 22.



a) Matth. V. 14. b) I. Tim. III. 15.

nobilitate
comput
agnosce
merun

ne
du
de
fr

[illegible] corporis tui est oculus [illegible] simplex, totum corpus [illegible]: si autem nequam fuerit, [illegible] tenebrosum erit. Quam fuerit simplex oculus Protestantium, pauca, quae attigimus, manifestant ex confessione propria, cupiditatem nimirum lucri et carnis, illud in secularibus, hoc in ecclesiasticis potissimum apostatis caelibatus pertaesis apparuit: a) accessit novitatis studium plus sapientium, quam oportet sapere. Quod totum quid est nisi concupiscentia oculorum, concupiscentia carnis et superbia vitae? quam quidem omnium manifestissime antesignani pseudo-reformationis manifestarunt, plus se sapere praesumentes, quam tota etiam retro Ecclesia, eamque proprii iudicii in fide licentiam infimae plebeculae ac mulierculis tribuentes. Huius igitur licentiae funestos effectus non potuit non eventus pro conditione filiorum Adam docere: statimque se in ipsis antesignanis pseudo-reformationis in diversa abeuntibus, seseque mutuo condemnantibus, demonstravit: dum libertatem sentiendi, quam quisque sibi apud Protestantes sumsit, aliis negaruut, solo forte post secula Friderico Borussiae rege in hoc etiam unico licentiam, quam sibi sumsit, aliis plenam indulgente: latissima quidem ad variationes aperta porta, ut nulla eas supplementorum volumina identidem multiplicata ad Bossueti de hac re libros, capere possint: eae vero in sacrosancto apud catholicos Ecclesiae debito fidei obsequio, quo solo, ut est b) *unus Dominus*, *una fides* tuta praestari potest, locum

a) Rom. XII. 3. b) Eph. IV. 5.

locum habere non possunt. Protestantium econtra quivis in se suscepta discussionis propriæ obligatione, quasvis variationes disquirere ac diiudicare per sese obstringitur, ut videat, ne lumen, quod in se esse putat, tenebræ sint: neve, dum male sibi oculatus videtur quis, terribili se illa Christi constringat sententia: *a) si cæci essetis, non haberetis peccatum. Nunc vero dicitis: quia videmus. Peccatum vestrum manet.* Quod hactenus lugemus in iis, qui lucernam fidei super candelabrum Ecclesiæ, ut videant omnes, qui in domo sunt, cernere nolunt, *et non egerunt pœnitentiam ab operibus suis, b)* in Ecclesiam Dei, *c)* quam *Christus dilexit, et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans lavacro aquæ in verbo vitæ, ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam non habentem maculam, aut rugam, aut aliquid huiusmodi: sed ut sit sancta et immaculata.* Nihil non egit pia hæc mater Ecclesia ad revocandas seculo hoc XVI. in ovile dominicum, dum tot ac tantos sibi constituunt peculiares greges, aberrantes oves. Celebratum hanc ob causam fuit generale Tridentinum concilium, quod inchoatum an. 1545. demum an. 1563. post tot rerum discrimina et maxima obstacula undequaque sese ingerentia aliquando etiam interruptum, atque aliorsum translatum, pluribusque suspensum annis, feliciter absolutum: quod inter celeberrima profecto connumerandum vix ante se habuit, nec facile post se relinquet augustius.

 Nihil

*a)* Ioan. IX. 41. *b)* Apoc. XVI. 11.
*c)* Eph. V. 26. &c.

Nihil non egit Carolus V. imp. ut in partes etiam traheret Protestantes, conciliaretque identidem invitatos, atque exspectatos. Petiit orator cæsareus, cum sess. XIII. ageretur de sacra Eucharistia, incideretque quæstio de ea sub utraque specie sumenda, ut articulus hic in eorum adventum differretur, ut et ipsi super hoc articulo possint audiri. Sperabatur nimirum, posse Protestantes (secus ac postea effectus respondit sub Ferdinando imp. facultatem hanc sub certis conditionibus a pontifice pro Germania impetrante) ad religionis concordiam revocari, si nonnulla, quæ per Ecclesiæ potestatem liceret, illis indulgerentur, præsertim laicis usus calicis, et sacerdotibus coniugium: quæ cæsar in libello *Interim* dicto usque ad concilii definitionem, et Paulus III. tribus Nuntiis, quos ad preces imperatoris in Germaniam ablegaverat, facultatem dedit, utrumque concedendi cum certis conditionibus, si qui peterent. Nec illibenter annuit oratoris cæsarei petitioni ad procrastinandam sessionem ad diem 25. Ianuarii an. 1552. dum interim urgeret imperatoris mandatum, ut, sicut in comitiis Augustanis communi consensu decretum fuit, se Tridentum conferrent ad concilium.

Oportuit vero sollicitos eos habere propria eorum discordia, quam sibi prævidebant in christiano orbis theatro de decori futuram; succurrit vero Melanchthon, qui iussu Mauritii Saxoniæ Electoris, articulos, quos possent omnium nomine Patribus exhibere, brevi complexus est scripto. Sed cum illi legitimam Ecclesiæ auctoritatem in deci-

decidendis infallibili iudicio, sine quo in controversiis de genuino veroque scripturæ sensu quæstionibus nihil certi assertique haberi potest, caussis fidei non agnoscerent, frustra omnia erant: præsertim quod Protestantes, in pace Passaviensi eodem anno in comitiis facta, inducias peterent deliberandi, quonam modo controversiæ essent componendæ, an in concilio generali, vel nationali, vel colloquio, vel conventu cæsareo seu comitiis? Id quidem postea in comitiis Augustanis an. 1555. in quibus Pax Religiosa inter proceres facta est, Ferdinandus R. Rom. multis adhortatus omnes ad unitatem fidei, egit, obtinuitque, ne iterum de dictis illis quatuor, componendi controversias fidei, modis deliberaretur. Dicitur pacis conditionibus lacrimans subscripsisse, quas imperator non subsignavit, pontifex vero usurpatam iurisdictionem incompetentem indignissime tulit.

Erat interea temporis concilium Tridentinum suspensum per decennium prope ab ultima sessione habita an. 1552. usque ad initia an. 1562. quo demum prima iterum sessio fuit celebrata; turbatum rebellione Mauritii Saxoniæ Ducis contra imperatorem, quem Oeniponti, ubi, ut rebus concilii propius consulere posset, residebat, nihil timentem subito perruptis faucibus Tyrolensibus obruit, atque concubia nocte relicta cœna, urbe, fugam arripere in Carinthiam compulit Mauritius, paucis post Oenipontum horis ingressus consumtis epularum imperatori paratarum reliquiis. Acciderunt hæc sub. Iulio III. P. sub quo eiusque post Marcellum successore Paulo IV. cum aula cæsarea

ſtilium in gregem incurſionum metu: quamobrem etiam epiſcopi Germani cum iam in ſeſſ. VI. abſentium tergiverſatio accuſata eſſet, habiti pro excuſatis ſunt; at vero nihilominus poſtea cum adventantibus certatim epiſcopis aliis ante ſeſſionem XII. conventus differrentur, ut Germani quoque poſſent diſcuſſioni rerum intereſſe, Moguntinus vero abſentiæ neceſſitate obtenta ſuo loco procuratorem ſe miſſurum promitteret, Creſcentius legatus neutrum admittere voluit, dictitans: cum propter Germanos in urbe Germaniæ concilium inſtitutum ſit, neminem minus habere abſentiæ cauſam, quam Germanos, unde factum, ut is Tridentum poſtea accederet, ac paulo poſt Trevirenſis, ac Colonienſis etiam ſeſſioni XIII. adeſſet. Cum vero ad ſeſſionem vigeſimam varia capita reformationis in diſquiſitionem venirent, Eyſtettenſis ep. ſuffraganeus, qui non pridem advenerat, verbis multis et acerbis poſtulavit, ut epiſcopi Germaniæ prius vocarentur, et exſpectarentur: immemor vel ignarus, eos per Nuntios apoſtolicos iam antea vocatos ob hoſtium metum ſeſe excuſaſſe.

Solus cum is eſſet tunc primum adveniens in ſynodo epiſcopus Germaniæ, isque ex ſuffraganeis, de quibus abolendis aliquando inter Patres diſceptabatur; mirum videatur, potuiſſe aliquando in quæſtionem venire (quod in ſynodo Conſtantienſi inauſpicato caſu atque eventu primum actitatum, qui in transverſum egit potiſſimum ſynodum Baſileenſem) ut per nationes vota fierent, quod ante ſeſſionem XXIII. inſinuabant oratores cæſarei et

ante

ante sessionem XXIV. Hispanus, excitatis insuper oratoribus aliis, opponente legato pontificio, id esse probatissimo totius antiquitatis mori contrarium, quæ iam solita fuerit seculis quindecim quæstiones et causas in conciliis decidere non pro nationum, sed pro capitum numero.

In concilio porro Tridentino consulto evitatæ sunt disceptationes de superioritate papæ vel concilii in schismate natæ, et ad fovenda in Ecclesia schismata factæ; quam quæstionem ipsi Galli studiose declinabant: unde licet ex decem partibus Patrum novem voluerint, confirmari decretum concilii Florentini de potestate pontificis supra universalem Ecclesiam, synodus tamen omisit iteratam facere definitionem; cum tamen nulla gravius operosiusque esse ante sessionem XXIII. disceptata quæstio, quam divina hierarchici ordinis institutio, card. Lotharingo imprimis Ecclesiæ Gallicanæ partes agente: qui nihilominus ad finem concilii inter acclamationes solennes, quas ipse concepit, et pro veteri more præivit, mox in prima nominavit beneque precatus est *Beatissimo Pio papæ et Domino nostro sanctæ universalis Ecclesiæ pontifici* &c. cuius profecto piis concordibusque cum S. Carolo Bor. susceptis potissimum studiis cum cæteris hierarchis in communione potestatis ecclesiasticæ inter summos ecclesiæ pastores pontificem et episcopos in acceptis ferendus est felix, faustusque celebratissimæ huius œcumenicæ Tridentinæ synodi progressus atque exitus auspicatissimus.

et guberrnatoribus urbis obiecta, contra quæ cum ipse per se non prævaleret, in ditione principis constitutus, Romanæ sedis imploravit tutelam, ad violata Ecclesiæ iura ac immunitatem vindicanda: sacris etiam interdicto demum, cum frustra essent omnia alia, quæ summa, qua erat, animi moderatione adhibuerat consilia, supremo provinciæ moderatore eiusque fautoribus. Dispar in hoc erat S. Francisci Salesii sors, qui cum propitium haberet in suis sacris moliminibus non solum principes Sabaudiæ, in cuius provincia Anisii sedes episcopalis, Geneva deturbata, sita erat, verum etiam Henricum IV. et postea Ludovicum XIII. Galliæ reges, tanto infensiores sibi hæreticos habuit, reddiditque, ad quorum conversionem totis viribus incumbens, ope principum fuerat usus, missionarii officio ei commisso a suo antecessore episcopo Genevensi. Iussus etiam a Clemente VIII. conversioni Theodori Bezæ Calvini discipuli ac successoris in ministerio Genevensi operam dare, quem dicitur ad lacrymas etiam commovisse, non vero ad salutem: non semel Genevæ cum illo congressus etiam cum vitæ periculo, alias etiam non semel vitæ eius ab hæreticis structis insidiis, parato veneno, alias strictis gladiis, ne quid de calumniis et obtrectationibus dicam. „ At ille nullo infamiæ metu, nullo insi-„ diarum strepitu, nullo vitæ discrimine adduci „ potuit, ut tentatam fidei catholicæ restitutionem „ aliqua ratione omitteret„ sunt verba bullæ canonizationis eiusdem. In qua complura ab eo patrata miracula recensentur, quibus etiam in eius vi-

ta

ta legitur illustrem reddidisse missionem suam pro convertendis hæreticis. Coadiutor electus episcopalis, missusque ab antecessore Romam, tum eam ob causam, cum etiam alia ob negotia catholicæ fidei, bullas seu litteras apostolicas inde retulit, conversionem hæreticorum concernentes, quas Taurini duci Sabaudiæ exhibendas accepit a pontifice, cui æque ac S. Franc. Salesio cordi fuit, ut fides catholica ubique per ditiones principis postliminio restitueretur, atque redintegraretur. Igitur sanctus apostolico, redux ab apostolica sede, animatus fervore resumsit pristinum opus, missionemque suam prosecutus est, non obstantibus belli turbis inter ducem et regem Galliarum, utrique acceptus, Henrico IV. ei etiam insignem episcopatum ultra, cum esset Parisiis, offerente; qui postea Parisiensem cathedram detrectavit, unice lætus de accepta a rege potestate, in agro Gexensi, qui in Gallorum ditione erat, de catholica religione habendi conciones, quarum et efficacia, qua pollebat summa, plurimos ad fidem Ecclesiamque catholicam reduxit, structis ibi ei a ministris vitæ insidiis, quod duos nobiles viros Gexenses ad Ecclesiæ gremium revocasset.
„ Et tantum absuit (ut in laudata iam bulla ca-
„ nonizationis narratur) ut propterea ab incœpto
„ desisteret, ut constantius desudaverit in con-
„ cionibus habendis, quarum vi Divione, Gra-
„ tianopoli, Parisiis et alibi plures insignes viros
„ fidei catholicæ restituit, ac præcipue Claudium
„ Burcardum Lausannæ publicum theologiæ pro-
„ fessorem, Franciscum ducem Diguerianum

„ Del-

„ Delphinatus proregem, Barberium, et Iacobum „ Philippum, celebres Calvinianæ sectæ pseudo- „ ministros „. Infra notatur, fama vulgatum esse, eum septuaginta hæreticorum millia Ecclesiæ catholicæ subiecisse.

---

## Caput XLIV.

### *Varia circa hierarchiam contentio Sec. XVII.*

Cum tantum sec. XVI. esset effusum in Germania religionis causa sanguinis, parum id erat, nec comparandum cum cruentissimis bellis, quibus sec XVII. integra Europa, arce religionis catholicæ Roma una fere excepta, conficiebatur: dum Augustanæ confessioni addictis superiori iam seculo adiuncti Calvinistæ societatis titulo, perinde ac ipsi confessionistæ contra transactionem Passaviensem certatim bona ecclesiastica, prætenso iure territoriali, occupant, ac reformant non attenta, quam cuique integram volunt, conscientiæ libertate: dumque ineunte seculo XVII. occasione successionis Iuliacensis in unionem coitur inter reformatos, cui liga catholicorum opponitur, ac variæ utrinque fiunt querelæ, quod paci religionis contra veniretur, succeduntque motus Bohemici: exitiale illud, quo integris triginta annis Germania conflagrabat, an. 1618. bellum exarsit. In Gallia Hugenottarum turbæ fuerunt eodem fere tempore sub Ludovico XIII. his vero a Ludovico XIV. expulsis, religioni avitæ consultum fuit, uti etiam in Bohemia, aliisque ditionis Austriacæ regionibus,

bus, ſecus ac in Anglia. Res catholicæ cum an. 1629. in imperio Germanico cæſaris ſanctione de bonis eccleſiaſticis, contra Pacem Religioſam occupatis, reſtituendis, quod *Reſervatum eccleſiaſticum* eſt dictum, profectum habere viderentur, illud recrudeſcente bello, atque an. 1648. in pace Weſtphalica ſtatuto anno decretorio 1624. grandem iacturam fecit, maxime autem ius circa ſacra, dum iure reformandi ſtatibus imperii conceſſo, legitimis id poſſeſſoribus extortum eſt, ex ſententia iurisconſultorum profanorum a principibus ſeculi, non vero legitima eccleſiaſtica poteſtate, determinatum.

Hugo Grotius, cui, dum viveret, reſtitutio chriſtianorum in unum idemque corpus ſemper cordi fuit, ſenſit aliquando et cum eo multi, uti in Rivetiani apoleget. diſcuſſione legere eſt, *a)* non poſſe Proteſtantes inter ſe iungi, niſi ſimul iungantur cum iis, qui ſedi Romanæ cohærent, ſine qua ſperari non poſſet in Eccleſia commune regimen. Ideo optat, ut ea divulſio, quæ evenit, et cauſæ divulſionis tollantur. Inter has reponit, ablatum primatum epiſcopi Romani, ſecundum canones ei debitum, cum Melanchtone, qui eum primatum etiam neceſſarium putavit ad retinendam unitatem. Neque enim hoc eſt, ex eius ſententia, Eccleſiam ſubiicere pontificis libidini, ſed reponere ordinem ſapienter inſtitutum. Is tamen in commentario poſthumo de imperio ſummarum poteſtatum circa ſacra *b)* dicere auſus eſt, eccleſiam legislativam poteſtatem lege divina non habere,

*quare*,

a) T. IV. Opp. p. 744. b) cap. VIII. n. 10.

*quare*, inquit, *quæ ante imperatores christianos in synodis conscripta sunt, ad ordinem aut ornatum facientia, habent aut solam consilii vim, aut obligant per modum pacti. Neque hæc tamen obstant, quo minus facultas aliqua legislativa ecclesiis, pastoribus, presbyteris, synodis concedi possit humana lege.* Hanc autem, postea *a)* dicit, iurisdictionis partem primum obtigisse episcopis, postquam imperatores christianam fidem amplexi sint. Quæ nemo non intelligit, quam sint sacrosancta religione christiana, eiusque divino auctore Christo Iesu indigna, indigna etiam refutatione; quæ merito inepta, dicit auctor anonymus *de finibus utriusque potestatis ecclesiasticæ et laicæ*, plura huiusmodi etiam excerpta dans ex Puffendorfio, *de habitu religionis christianæ ad vitam civilem.* Illud vero ab impietate abesse non putat, in quo summam vim summi imperii circa sacra statuit Grotius, *quod in eius arbitrio sit, quænam religio publice exerceatur.*

Est vero palladium illud ex pace Westphalica a Protestantibus reportatum, ut cuius est regio, illius etiam sit religio; ut sicut post pacem Religiosam Protestantes ius episcopale, ceu avito illo catholicorum episcoporum suspenso, sibi arrogarunt, principes hoc iam veluti indignati, ex iure territoriali, quod enorme sane ac omnibus limitibus solutum statuitur, ius sibi circa sacra usurpent, ne fœminis quidem pudentibus, sese Ecclesiæ caput gerere, uti accidit sub Elisabetha regina in Anglia. Dum adolescente hoc sec. XVII. card.

a) Cap. IX. n. 11.

card. Iacobus Perronius archiep. Ebroicensis in Gallia an. 1616. orationem evulgavit de papæ auctoritate in Ecclesia, et obsequio debito regum erga ipsum, Angliæ Iacobus I. rex contrarium scriptum edendum quidem duxit; nihilominus vero in monitoria præfatione ad christianos principes pro iuramento fidelitatis, ut habetur in edit. opp. an. 1689. dicit, *episcopos esse in Ecclesia debere, tanquam institutionem apostolicam ac ordinationem divinam semper se sensisse.* Cum his vero non conveniunt, quæ mox sequuntur, posteriori aut aliena manu addita, *politici duntaxat ordinis causa* se in episcoporum, et ecclesiasticæ hierarchiæ defensionem semper incubuisse. Carolo regi, an. 1649. a Scotis in Anglorum potestatem tradito, hæc etiam a senatu seu parlamento proposita est conditio, ut episcopale regimen, et novam liturgiam aboleret; sed, ut iam annotavimus, Angliæ rex sacra sibi arrogando, sua iam caret auctoritate; episcopi vero ibidem suam, quam quidem Puritani, atque ex his Rob. Parckerus de politia eccl. tyrannidem vocant, sustentant, egregie imprimis a Guilielmo Beveregio defensam.

Ab Anglicano systemate, quod politiam ecclesiasticam attinet, parum abesse multis videntur, Pragmatici Gallicani, qui a fidei quidem definitionibus principum cognitionem submovent, sed disciplinæ curam propemodum omnem ad eorum imperium revocant, ut de illis Petrus de Marca *a)* in prolegomenis ad libros de concordia sacerdotii et imperii loquitur apud laudatum anonymum



*a)* p. 58.

de finibus utriusque potestatis, qui Petri huius de Marca, et Bossueti auctoritate congreditur contra hos *libertatum Gallicanarum consarcinatores*, ut vocant. Eos nominatim recenset l. c. Petrus de Marca: suntque probe notandi, ne si forte nomen libertatum ecclesiæ Gallicanæ audias, in errorem abducaris ob hos libertatum Gallicanarum, Græcis schismaticis ex sententia anonymi nostri haud dissimiles auctores, de quibus iam an. 1660. episcopus Augustodunensis in comitiis cleri Gall. proposuit, ut constituerentur ad eos solide refutandos viri docti.

Nihil remiserat clerus Gallicanus seculo hoc XVII. de suo vigore, quem semper pro domo Dei, quæ est *Ecclesia militans regnum Christi in terris*, ostendit, in conventu generali e. g. anno 1615. non solum omnem lapidem ad receptionem concilii Tridentini movendo, verum etiam palam profitendo, se ad illud acceptandum in conscientia obstringi, iuramento etiam idcirco ad sacra evangelia præstito a tribus cardinalibus, quinquaginta episcopis, et triginta ex clero minori: ex quo tam seculari, quam regulari usque ad annum famosæ declarationis 1682. fere omnes scriptores tam theologos quam canonistas infallibilitatem pontificis defendisse, testatur Pet. Ballerini. *a)*

Ed. Richerius vero facultatis Sorbonicæ syndicus, dum edito an. 1611. *de potestate ecclesiastica et politica*, libro non solum hierarchicæ, sed etiam regiæ auctoritati se iniurium exhibuerat,

*a)* Append. de infallibilitate Pontif. §. XII. p. 288.

rat, statum monarchicum non tantum Ecclesiæ oppugnando, omnem vero principatum a subiecti populi consensu suspendendo; Romam sibi, et a clero Gallicano in conciliis etiam provincialibus damnatus, atque a sacra facultate exauctoratus, aulamque regiam in se concitavit; a M. Charlas inter alios magni nominis scriptores toto lib. IV. tract. de libert. Eccl. Gall. refutatus. Ubi recte in procemio notavit ille, magnum illustrissimorum antistitum Gallicanorum odium potius, quam robur ex Richerianæ doctrinæ præsidio conciliari. Conventus porro generalis in encyclica an. 1626. ad archiepiscopos et episcopos hortatur „ ut honorent S. sedem apostolicam et Ecclesiam Romanam, promissis Dei infallibilibus, atque apostolorum et martyrum sanguine fundatam „: admonet demum „ ut coerceant refractarios, qui „ in dubium revocare audent auctoritatem tam sacram, tot divinis humanisque legibus stabilitam, viamque, quam secuturo populo orthodoxo monstraverint, ipsi ineant primi „.

Anno 1650. episcopi 85. congregati, cum turbas ex Iansenii libro, *Augustinus*, inscripto excitatas compescere non possent, rem ad Innocentium X. P. deferentes, in hæc verba scripserunt: „ Maiores causas ad sedem apostolicam referre, solemnis Ecclesiæ mos est, quem fides Petri nunquam deficiens perpetuo retineri, pro iure suo postulat: æquissimæ huic legi obsequentes, de gravissimo circa religionem negotio Sanctitati tuæ scribendum censuimus „. Delata autem pontificia in hac causa constitutione apostolica ad

clerum Gallicanum, hic iterum congregatus, ad eundem Innocentium X. an. 1653. rescribens inter alia, contestatur: „ Ecclesia catholica persuasum semper habuit, iudicia pro sancienda regula fidei a summis pontificibus lata super episcoporum consultatione (sive suam in actis relationis sententiam ponant, sive omittant, prout illis collibuerit) divina æque et summa per universam Ecclesiam auctoritate niti: cui christiani omnes ex officio ipsius quoque mentis obsequium præstare teneantur „. Ipse etiam rex Ludovicus XIV. obsequentem se sedi apostolicæ in controversia Iansenistica filium præstitit, omnemque ad reprimendos motus movit lapidem.

At dum rex pontificem renitentem haberet in negotio regaliæ, eius auctoritatem omni modo reprimere studuit. Iuvat, quod regaliam attinet, rem B. Bossueti verbis hic ascribere in hist. univ. ad annum 1682. *a*) Ad eius epistolam 94. T. IX. p. 305. de hac re narratur inter alia de episcopis Alethensi et Apamiensi, quod a pontifice appellantes in causa Iansenii, in negotio regaliæ ipsi postea ad pontificem recurrerint. Sequitur ibidem p. 310. epistola cleri Gallicani in hac causa ad In-

*a*) L'origine de ce differend étoit, que le roi cherchant toutes sortes des moyens pour accroitre ses finances, s'étoit laissé persuader, d'étendre indifferemment le droit regale sur toutes les eglises de son royaume, dont plusieurs avoient été jusques-là exemptes. Le droit le rendoit maitre des tous les revenus des évêches et des abbayes la premiere année de leur vacance, et le mettoit en état de jouir de toute l'autorité, et toutes les prérogatives annexées à la dignité du prelat vivant, excepté celles, qui regardent les functions spirituelles. &c.

no-

nocentium XI. huiusque ad eundem clerum responsio, in qua illud propheticum usurpans p. 342. *Filii matris meæ pugnaverunt contra me*: „ Quamquam, (subdit,) adversus vos ipsos potius pugnatis, dum nobis in ea causa resistitis, in qua vestrarum ecclesiarum salus et libertas agitur, et in qua nos pro iuribus et dignitate episcopali in toto regno tuenda, ab aliquibus ordinis vestri piis et fortibus viris appellati, absque mora insurreximus, et iam pridem in gradu stamus, nullas privatas nostras rationes secuti, sed debitæ ecclesiis omnibus sollicitudini, et intimo amori erga vos nostro satisfacturi „ Conqueritur porro pontifex, quod nec unus esset, qui se murum opposuisset pro defensione domus Israel. Sequitur p. 356. epistola cleri Gallicani responsoria ad eundem pontificem, in qua se de pacto cum rege in negotio regaliæ inito excusant, causati, iam a suis antecessoribus rem ad consistorium regium esse delatam.

Acta sunt hæc in eodem conventu cleri Gallicani, in quo edita est celebris declaratio illa anni 1682. postquam an. 1681. episcopi Parisiis congregati in processu verbali extinctam propemodum iurisdictionem ecclesiasticam essent conquesti, de Romano pontifice autem hæc professi: „ Caput Ecclesiæ est: centrum unitatis: obtinet ille in nos primatum auctoritatis et iurisdictionis sibi a Christo Iesu in persona S. Petri collatum. Qui ab hac veritate dissentiret, schismaticus, imo et hæreticus esset „. In memorata equidem declaratione statim in exordio incessit cle-

rus Gallicanus eos, qui libertatum Gallicanarum obtentu primatum S. Petri, eiusque successorum Romanorum pontificum a Christo institutum, iisque debitam ab omnibus christianis obedientiam, ac sedis apostolicæ, in qua fides prædicatur, et unitas servatur Ecclesiæ, reverendam omnibus gentibus maiestatem imminuere non vereantur. Sed, utinam! in hac ipsa declaratione, facta in comitiis iussu regis coactis contra Innocentii XI. potissimum, quæ formidabantur, molimina, non etiam principia in schismate magno olim nata, huic unioni sacræ adversa, fuissent inserta, ipsi quoque legitimæ contraria ecclesiasticæ potestati, dum ea stabiliri intenditur contra hæreticos, quorum etiam reuniendorum consilium in animo habuisse dicuntur.

Vix vero prodierat sæpe dicta declaratio, dum ecce Innocentius XI. P. per litteras in forma Brevis 11. April. an. 1682. omnia in memorato conventu acta rescidit, cassavit, interdixit, et perpetuo irrita esse declaravit. Mox etiam ubique gentium calamum in eam declarationem strinxerunt in orbe catholico sacrorum præsules, aliique doctores: ac quidem e nostris card. Cœlestinus Sfondrati in Germania; card. de Aguirre, et Roccabertus archiep. Valentinus Dominicanus in Hispania: D. Zelepechimi archiep. Strigoniensis in Hungaria: in Belgio Dubois et alii doctores academiæ Lovaniensis: Em. Schelstrate bibliothecarius Vaticanus, ibidemque Romæ, ac per Italiam cardinales Ursi, Lucini, de Blanchis, archiep. Mansi, Roncaglia, Pet. Ballerini presb. Gonzalez Ies. M. Char-

Charlas presbyter Galliæ: ubi ipse clerus Gallicanus declarationem suam illam revocavit, specialiter ipsi 4. episcopi eiusdem declarationis auctores: utque revocarent, quicumque ad episcopatum promoverentur, conventum cum Innocentio XII. quando ipse rex revocavit Edictum suum. Henr. Dodwellus ineunte hoc seculo a) in *paraenesi ad exteros tam reformatos, quam etiam pontificios, qua iura episcoporum vetera eorundemque a magistratu seculari independentia omnibus asserenda commendantur*, causam illius controversiæ in Ludovicum XIV. reiiciens, clerum Gallicanum incessit, quod non antea revocaret, „ quam idem „ propositionum auctor princeps revocare iu- „ beret. Quis inde non intelligat (pergit) quam „ non sit iuris sui clerus ille, etiam in causa re- „ ligionis, si ad regem conferatur, qui de suis „ adversus pontifices libertatibus adeo gloriatur. „ Non possunt pro principis arbitrio propositio- „ nes ipsæ e veris falsæ fieri. Et nequidem cleri „ poterant mutari de iisdem propositionibus sen- „ tentiæ, hoc solo argumento, quod regi visum „ esset, eas revocandas. Si falsæ illæ fuissent propo- „ sitiones, cur, quæso, pontificibus opponeban- „ tur? Si vero non, cur postea revocabantur? Cur „ autem ipso iubente rege, si rex ipse clerum, „ cum de religione ageretur, iudicem agnovisset? „ Id certe faciendum erat, si fidus cleri amicus „ esse vellet, ipsiusque religionis: laici ergo nul- „ li sunt, quibus tuto credi possunt Ecclesiæ iu- „ ra, si vel id maxime licuisset. „



a) De nupero schism. Anglic. n. 51. p. 231.

Neque vero satis sibi ipse cavet ecclesiasticus status, principiis venditatarum potissimum a tempore magni schismatis conciliique Basileensis libertatum abductus. Observare licet, eos, qui se tutos ex una parte præstare volunt, ne quid innovetur ausu, ut timent, Romanæ sedis (cui nihil antiquius esse debet, ac fuit semper antiqua observantia canonum, quorum primarius sedes apostolica est custos) in Gallia perinde etiam contra concilia, eaque œcumenica (quæ tamen potestati pontificiæ opponunt) hoc libertatis scuto uti, si quid videatur adversum imprimis constitutionibus regni ac regis, quibus libertatem suam concreditam iam sustinet Gallia ecclesiastica, curiis etiam regiis obnoxia tum quoad personas, tum quoad res ecclesiasticas: dumque a curia Romana sese, contenderunt, a tempore præsertim magni schismatis expedire canonistæ Galli, seculo hoc XVII. a scriptoribus libertatum a Puteano editis, laicis omnibus causidicis et officialibus regiis, volentes nolentesque passim sunt abrepti. Quid est aliud, quod hactenus studia et conatus cleri Gallicani pro receptione concilii Tridentini, quos paulo ante ab ineunte hoc seculo impensos memoravimus, sufflaminavit?

Ad hæc vero quid ab exteris ultramontanis et aliis sperare, aut æquo iure postulare possunt Galli, quando Constantiense ac Basileense concilium in scenam producunt? Petrus de Marca a) disceptationem illam de superioritate papæ aut concilii

præ

a) Lib. III. de concordia sacerdotii et imperii c. 7. n. 1.

præ oculis habens, parum eam Gallorum referre fatetur: „ qui, (ut ait,) libertates perinde tue-
„ mur, si de concilii generalis novis decretis, ac
„ si de Romani pontificis constitutionibus agatur.
„ Quin etiam receptos mores et consuetudines ec-
„ clesiæ Gallicanæ nostro usui commodas adeo re-
„ tinemus, ut, etsi canone concilii generalis de-
„ stituamur, quo illæ firmatæ sint, tamen ab iis
„ nobis discedendum esse, non censeamus. Qua-
„ re non est, quod hæreamus in ea regula, quæ
„ Romanis stomachum movet, et quæ rebus no-
„ stris non prospicit, ut par est. Fruatur sum-
„ mus pontifex aut æquo iure cum conciliis ge-
„ neralibus, aut superiori. Illud unum in foro
„ expendetur, an nova constitutio, vel novum
„ rescriptum rebus Gallicanis consulat, aut no-
„ ceat? Si receptos canones vel receptos mores
„ infringat aliquo pacto, eius ratio non habebitur,
„ nisi consensu publico accedente „. Me non monente, quivis animadvertit, sermonem hunc esse hominis e foro potius, quam e clero, laicum magis sapere et pragmaticum, quam ecclesiasticum et hierarcham id genus, quos *Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* a) Et, ut alibi loquitur b) idem apostolus: *sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Hic iam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Libertatem ostentat Petr. de Marca a legibus ecclesiasticis solutam, quam ipse hactenus clerus Gallicanus veris ac genuinis libertatibus ip-



a) Act. XX. 28. b) I. Cor. IV. 1.

sius Gallicanæ ecclesiæ sensit tam perniciosam, universimque Ecclesia catholica experta est posterioribus seculis passim tam exitialem, experiturque proh dolor! fere ubivis, in ipso etiam suo gremio et alibi gentium iam multo amplius, quam in Ecclesia Gallicana, opera et contentione pragmaticorum, quos vocant: quorum numero Petrus de Marca, dum libros de concordia sacerdotii et imperii scribebat, accenseri poterat. Nec diffitetur idem ipse in epist. ad Innocentium X. data, cuius fragmentum refert Steph. Baluzius in eius vita, operi de concordia sacerdotii et imperii præfixa, se eo libro principis partes pro muneris sui ratione fovisse, præsidemque potius egisse, quam episcopum. Erat nempe, cum opus illud scriberet, curialis præses; retractavit vero postea, quæ oportebat, in variis libellis et epistolis, satisfecitque Romanæ sedi, cuius violaverat auctoritatem, in schedula etiam, quam Baluzius operi præfixit præfato, declarans; „ quidquid præter „ canonum et decretalium mentem in Gallia circa res ecclesiasticas agitur, id fieri ex privilegiis apostolicis, non autem mero iure regio, „ ut quidam autumabant, Marcæ persuasum esse „. Memorat Steph. Baluzius eius amanuensis in ipsius vita, eundem retractationem suam coram notario et testibus die 19. Augusti an. 1647. solemniter fecisse, correctionem promisisse, et sibi demandasse. Accusat vero Fagetus Petri de Marca cognatus Baluzium, quod, neglecta hac expressa ultima voluntate, mortuo illo, libros eius incorrectos ediderit. Est vero in ipso exordio operis

nota-

notabilis locus, dum Petrus de Marca sic præcise admodum loquitur: „Secundum sententiam meam, „ omniumque Gallorum assero, præcipuum pri- „ mumque libertatis ecclesiasticæ fundamentum „ apud nos esse, ut principatus apostolicæ sedis „ locum suum obtineat „. Qui vel ea, quæ memoravimus, memoria recolit, facile animadvertet, clerum maiorem Ecclesiæ Gallicanæ in conventu, et declaratione eius conventus an. 1682. complures vero ex clero minore, cumprimis in controversiis Iansenisticis, cynosuram hanc præ oculis non habuisse.

Res autem quam vera sit et pragmatica, hucusque magis magisque persensit clerus Gallicanus, præsensit vero, et alta mente repositum habuit magnus Bossuetus; licet is non solum calamum suum accomodasse dicatur declarationi an. 1682. iussu regio factæ, verum etiam eodem constrictus mandato volumina quidem implevit pro eius defensione, a se tamen impetrare non potuit, ut publicaret, continuo retractans, dum viveret, opus, libros etiam eiusdem operis integros supprimere paratus, lubenti animo eiusdem declarationis revocationem, regio consensu factam, suscipiens, ita in prævia dissertatione ad Galliam orthodoxam (quod tamen non perfecit opus) effatus: *abeat ergo Declaratio, quo libuerit; non enim eam, quod sæpe profiteri iuvat, tutandam hic suscipimus*: licet hic etiam Gallorum partes tueatur, eoquod doctrina illa, cum ultramontanis controversa, reprobata a Romana sede non fuerit, atque adeo ipsi visa sit cum sedis apostolicæ defensione esse con-

iuncta

iuncta, cui se devotum passim declarat, haud diffitens, quid ex necessitate unionis cum centro hoc unitatis atque Ecclesiæ catholicæ capite ei debeatur. Intima certe hac unione cum centro unitatis ecclesiasticæ Romana sede Ecclesia Gallicana in celebri illa Ianseniſtica controversia a schismate præservata est, quod turba contendentium inter se theologorum minabatur frustra quidem, integra nimirum persistente communione legitimæ potestatis ecclesiasticæ inter summos Ecclesiæ pastores, pontificem et episcopos, Ill. Bossuet necessitatem huius communionis concentratæ veluti ad unam cathedram in unione sedis apostolicæ ob oculos ponit exemplo Anglicanæ ecclesiæ, ubi populus illudit, et illuditur: dum ex una quidem parte est ordo episcopalis sed sine capite, quod rex esse contendit, non contentus suprema sua politica potestate, ut est apud nos catholicos utraque in suo ordine suprema, a) seu *ambæ potestates supremæ, et principes in suo ordine coniunctæ, et amicæ, non una per se subdita subordinataque*, ut rem verbis Bossueti explicem, qui in oratione funebri habita reginæ Angliæ causam omnem discissæ Ecclesiæ in reiectam Ecclesiæ auctoritatem reiicit, qua semel abiecta, deiectoque portu via ad omnem licentiam est aperta sine ullo freno.

Nec iam sectæ tantum sunt multiplicatæ, sed etiam, dum nullus est tutus portus, aut secura cynosura, plena vero libertas et independentia, indifferentia quædam omnium religionum animos occupavit usque ad Deismum et Atheismum. „Fru-

„ stra

a) Def. 4. prop. cleri Gall. P. V. l. II. c. 37.

„ ſtra reges Angliæ, ( inquit Boſſuetus, ) ſtabilito episcopatu in ſuo regno perniciosam licentiam cohibere ſe poſſe exiſtimarunt. Quid enim „ valent epiſcopi, qui ipſi auctoritatem cathedrarum ſuarum abiecerunt, atque reverentiam, „ quæ ſucceſſioni debetur, quando illi palam prædeceſſores ſuos condemnarunt? Quid eſt (pergit) epiſcopatus, qui ſe ſeparat ab Eccleſia, „ cuius eſt epiſcopatus, et de ea ſede, quæ eſt „ eius centrum, ut ſe contra naturam ad regiam „ poteſtatem ceu ad caput teneat? Duæ hæ poteſtates diverſi ordinis, mutuo ſeſe impediunt, „ conficiuntque, quando inter ſe confunduntur: „ manſiſſetque maieſtas regia inviolatior, ſi contenta ſacratis iuribus, non ſibi iura et auctoritatem Eccleſiæ uſurpaſſet „. Quis vero eſt, aut eſſe poteſt, qui ſacram Eccleſiæ auctoritatem cum dignitate, integritate præſertim fidei, conſenſuque doctrinæ et diſciplinæ ſacræ ſuſtinere ſe poſſe confidat, niſi ea ſit legitimæ poteſtatis eccleſiaſticæ communione ad centrum unitatis colligata, qualem una ſancta, catholica, et apoſtolica Romana Eccleſia oſtentat? Quod tribunal qui abiecerunt, ac dignum ſibi ipſis Proteſtantium nomen indiderunt vano libertatis conſcientiæ prætextu, nequaquam tamen ſe ipſos, ſed principes potius iudices, ſuis rebus ſtudentes, conſtituerunt. Rem ſupra laudati Schilteri verbis edicamus ſic *a)* loquentis: „ Imperio circa ſacra nonnulli ita abuſi ab „ adverſariis inculpantur, quaſi bona eccleſiaſtica „ non melius adminiſtrata, ſed ſeculariſata et di-

„ lapi-

*a)* De lib. eccl. Germ. lib. VII. c. 14. §. 11.

„ lapidata quandoque. Populus vero a cultibus „ superstitiosis liberatus, omnem divinum cultum „ negligere adsuevit, ad Atheismum ubique fere „ pronus: ut dum hæc inter sese comparamus, „ parum absit, quin fateri habeamus, ecclesias „ Germanicas ante superiorem reformationem mi- „ nus fuisse infelices, quam in præsenti esse co- „ gnoscuntur: quoniam penitius rem consideranti, „ difficile est iudicare, utrum regnum Christi in- „ ternum, quod ecclesiarum omnium anima est „ ac vita, minus remotum ab isto ecclesiæ Germa- „ nicæ statu fuerit, an ab hodierno, proh dolor „! In medium proposita est S. scriptura, quam utraque pars veneratur; apud nos catholicos vero nemo sibi privatim arbitrium in eius interpretatione arrogat; quivis quiete et placide degit; cogitatum suum in infallibilem auctoritatem iactando, vere libertate illa christiana suæ conscientiæ gaudet, quam frustra Protestantes ceu palladium depereunt, inextricabilibus sese proprii examinis controversorum dogmatum difficultatibus committendo, nunquam de veritate certi, nunquam securi, dum non nisi fallibili suo iudicio stant, tanto maioris fallaciæ, et erroris periculo, quo est diversior in rebus controversis opinantium infinitorum sententia, prono proh dolor! ad indifferentismum cursu, aut scepticismum illum, quem ad finem seculi XVII. induxit infelix ille pestilensque inter alios scriptor Pet. Bayle, ineunte adhuc hoc seculo XVIII. quod est iam (cum fuerit præteritum indifferentium et scepticorum in suis auctoribus) irrisorum religionis ferax.

CAPUT

## Caput XLV.

### *Status hodiernus Ecclesiæ periclitans.*

Versamur in seculo, in quo nunc sibi demum velut cum Phrygibus sapere videntur homines suffeni et iactabundi, plenis buccis, buccinisque extollentes lucem, quæ suo demum hoc ævo accensa sit: quasi nunc demum facta sit lux, atque ante se omnia tenebricosa fuerint, bruta, stolida et stupida. Ast studiose nos lucem a tenebris discernere monet Christus: *Vide*, inquit, *ne lumen, quod in te est, tenebræ sint.* Terribile vero est illud dictum Christi a) postquam oculis corporis ac mentis donasset cæcum natum, qui est symbolum miseræ, qua nos nascimur filii Adæ, conditionis: *In iudicium ego in hunc mundum veni, ut, qui non vident, videant, et qui vident, cæci fiant. Et audierunt quidam ex Pharisæis, qui cum ipso erant, et dixerunt ei: numquid et nos cæci sumus? Dixit eis Iesus: si cæci essetis, non haberetis peccatum: nunc vero dicitis, quia videmus. Peccatum vestrum manet.* Quod apostolus constitutos a se episcopos Timotheum et Titum de cavendis pseudodoctoribus, magistris prurientibus auribus, monet, in tanta licentia et libidine, quidvis in medium proferendi, asserendique, nunc vel maxime locum habere debet, nobisque, quod de Corinthiis ob pseudoapostolos, et doctores timuit, maxime timendum, *ne*, ut ait b) *sicut serpens Hevam seduxit astutia sua, ita corrumpantur sensus*

a) Io. IX. 39. b) II. Cor. XI. 3.

*sensus vestri, et excidant a simplicitate, quæ est in Christo.* Noluit benignissimum Numen in statu naturæ, ut vocant, puræ nos quasi nobismetipsis relinquere, sed ipse fieri dignatus est noster magister, et per gratiæ lumen doctor et ductor esse in statu naturæ integræ, sesemet primis parentibus per revelationem communicando. Sed dum illi a serpente seducti, scientiam boni et mali, veri et falsi quasi sibi propriam habere volunt, affectantes esse sicut dii, in eum nos secum cæcæ ignorantiæ statum abduxerunt, ut videntes non videant, et intelligentes non intelligant homines, ex paradiso quasi in labyrinthum proiecti, in quo circa lumen veritatis perplexi palpamus, nobisque nos relinquentes a recto aberrantes in puteum interitus prolabimur devii, degeneresque alios etiam nobiscum in foveam abducimus. *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur. Sinite illos: cæci sunt, et duces cæcorum: cæcus autem si cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* a) Dixit hæc Christus, dum ei referunt apostoli, quod Pharisæi in eius sermone fuerint scandalizati: sicut nunc Ecclesiæ Christi non solum ab iis, qui, quia durus ipsis fuit divinus per ipsam propositus sermo, retro abierunt, contigit: verum etiam a filiis suis, qui de mensa eius communicant, et bonis cœlestibus sunt imbuti; ut merito pia mater Ecclesia conqueri cum psalmista b) possit: *Quoniam si inimicus meus maledixisset mihi, sustinuissem utique. Et si is, qui oderat me, super me magna locutus fuisset, abscondissem*

a) Matth. XV. 13. b) Psal. LIV.

*dissem me forsitan ab eo. Tu vero homo unanimis: dux meus, et notus meus: Qui simul mecum dulces capiebas cibos: in domo Dei ambulavimus cum consensu.*

Est hoc inauditum anterioribus temporibus facinus huius seculi, scelusque in piam matrem Ecclesiam, ut quæcunque eius hostes evomuerunt, iam sint, qui recoquant ex ordine etiam ecclesiastico, et religioso, ut possit dicere: *filii matris meæ, pugnaverunt contra me.* Totum sapientiæ studium ponitur in maledicendi, carpendique pruritu, invido proscindendi dente, insidiandi, inhiandique. Volant undique schediasmata, clamores ingentes scriptiunculas proletarias replent, in vulgus sparsas, orbem ac Ecclesiam; ecclesiastica et ecclesiasticos, religiosos et religiosa profliganda, exscindenda. Ad hæc iam fere recidunt præsentis ævi studia, ac eruditionis fama dictatoria: volo hoc, nolo hunc, nego, pernego, nego totum: quod vulgariter dicimus, unum stultum posse plus negare, quam centum sapientes probare. In hac gloriola laurea velut in multaceo quæritur: si quis facultate polleat, quidvis in dubium vocandi, vituperandi, cachinnis et ludibrio res etiam sanctissimas excipiendi, exponendique. Ad hoc huic Chami progeniei opportuna sunt infensissimorum Ecclesiæ hostium viperina dicta et scripta, quæ repetuntur, recuduntur, et continuo ingeminantur. Ast quomodo sic sibi constat ille, qui appingitur, affingiturque color: ut resecatis illis ad vivum omnibus, quæ constitutos extra Ecclesiam, nævis equidem, ut sunt res humanæ, suis haud destitutam.

tutam, fratres aversos offendunt, via ad reditum complanetur?

Improbanda haud foret, quin imo laudanda summopere contentio, reuniendi dissidentes in religione christianos, si sincera sit intentio, nihilque subsit fermenti Pharisaici. Sed id tamen gigantibus illis, qui in se suscipiunt totum orbem christianum reformandum ingenti studio, et contentione, æqui bonique verti nequit, quod animadvertere nolint commune hactenus irenicorum huiusmodi studiorum fatum, ut in utramque impingant partem: quod expertus nuperrime nimis sero animadvertit Iustinus ille, ut se scripsit, Febronius Ictus, ostentans inustum stigma in fronte, indignatus theologi, vel canonistæ, vel episcopi, qualis est saltem in partibus, nomen et characterem, dum iuris, qualequale illud sit, consultum se nominat Nic. Honthemius suffraganeus Trevirensis auctor libri singularis profecto: *De statu Ecclesiæ, et legitima potestate Romani pontificis ad reuniendos dissidentes christianos.* Qui mox in adversa pagina hoc, ex D. Chrysostomi hom. IV. in epist. ad Hebr. ad populum suum dicta, ponit lemma: *Melius est, ut vos me suspicemini audacem, sævum, et arrogantem, quam ut vos faciatis ea, quæ Deo non placent.* Quævis operis pagina prodit, merito vereri se audaciæ, sævitiæ, et arrogantiæ suspicionem ob Romanum pontificem, quem impetit *audax iuris peritus*, ut ipse alicubi Innocentium III. vocat. Titulus ac frons pacem ostentat, studium præsefert et contentionem ad *reuniendos dissidentes in religione christianos;* cum totum

tum

tum opus compositum potius sit, ad dissidia in ipsa Ecclesia catholica cienda. Qua igitur fronte mox e regione huius paginæ dedicare audet opus *Clementi XIII. summo pontifici, primo in terris Christi vicario?* Vult adeoque Febronius potius audax, sævus et arrogans erga communem Ecclesiæ patrem et caput (usurpatis sibi arroganter profecto verbis S. Chrysostomi erga suum populum, ad quem ex officio verba faciebat) videri, *quam ut vos*, o summi pontifices! *faciatis*, *quæ Deo non placent*. Iam non hic memorem legem charitatis. a) *Si autem peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te, et ipsum solum.* Febronius voluminosum a se opus non nisi multorum annorum clandestina lucubratione compositum, typis vulgatum mox in orbem protrudit, atra bile et multo felle tincto atramento scriptum; quod audax sane, ne iterum, quæ ipse sibi episcopi ad subiectum ei populum arrogat, verba repetam, summo pontifici dedicans sic infit: „ Iunctus ca-
„ thedræ Petri, tanquam centro catholicæ unio-
„ nis, a quo separari nunquam permissum est:
„ motus profundo respectu erga Romanam sedem,
„ tanquam in Ecclesia primam: plenus sincera ve-
„ neratione erga eum, quem divina providentia
„ locavit in apostolico throno, quemque submis-
„ se colo ut successorem principis apostolorum,
„ qui primatum in universa Ecclesia divinitus in-
„ stitutum legitime tenet. &c. „

Audire ego mihi hic Petrum sæpe videor, tam ardenter pollicitum, se non negaturum magistrum:



a) Matth. XVIII. IV. 15.

giſtrum: *etſi omnes fuerint ſcandalizati in te, ego nunquam ſcandalizabor*, qui tamen poſtea ter Chriſtum negavit; donec eum reſpexit Dominus, iſque reatum ſuum flevit amare. Fecit et hoc Febronius, ſed demum poſtquam *per quindecim annos dimicaverat*, ſunt verba epiſtolæ III. Honthemii, quam facta ſua retractatione ad me perſcripſit, et *arma illa ſua ad ſacratos Pii VI. pedes non invitus proiecit.* Atque ſic iam ad ſe reverſus dicere cum Petro vinculis liberato potuit: *Nunc ſcio vere, quia miſit Dominus angelum ſuum, qui eripuit me de manu Herodis. &c.* Cum antea neſciret, quid diceret his verbis, quibus dedicationem ſuam ad Clementem XIII. auſpicatur: *iunctus cathedræ Petri, tanquam centro catholicæ unionis, a quo ſeparari nunquam permiſſum eſt.* Quis enim cathedræ ſe iungi neceſſario debere exiſtimet, de cuius fide certus non ſit? *Quis centro catholicæ unionis* iunctum ſe eidem non fide integerrima committat? ſecuritate omnimoda non cohæreat, *a quo ſeparari nunquam permiſſum eſt?* Adeoque ei iunctus tam infallibiliter tutum ſe cenſere debet, quam infallibile eſt divinum oraculum, quo relinquere hoc centrum permiſſum non eſt, et hinc piaculum eſt, non adglutinari, obſequi ac revereri *ut ſucceſſorem Principis apoſtolorum, qui primatum in univerſa Eccleſia divinitus inſtitutum, legitime tenet.*

Cum hac vero Febronii tam aperta confeſſione quomodo conciliari queant varia, quæ in ipſo opere habet, aſſerta? Veluti ſchiſmaticum illud, prærogativas Petri non eſſe affixas Romæ: et inficetum illud ac paradoxum Marſilianum, et Richerianum,

rianum ( quod hodie Protestantes iterum recoxerunt, postquam viderunt, quam absone principi ceu domino territoriali competere ius dicatur circa sacra ) clavium potestatem originaliter esse penes collegium seu corpus Ecclesiæ: quod, quæso, ubinam substitit, quando Petro primum singulariter, et deinde cum collegio apostolorum potestas ligandi et solvendi fuit collata? Et quidem quod datum est Petro singulariter, verbis de futuro est factum: *Tibi dabo claves regni cœlorum &c. Tu es Petrus et super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. &c.*

Quam vero singula, quæ in medium affert Febronius ad reuniendos dissidentes, nata sint ad ipsam Ecclesiæ unitatem sufflaminandam in suo centro, nemo non videt: veluti appellatio adversus papam refractarium ad concilium generale, flabellum illud Ianseniistarum in Gallia; concilia nationalia ad determinanda iura S. Sedis cum consilio illo schismatico, constituendi patriarcham per nationes, cathedram nimirum contra cathedram: subtractio obedientiæ, qua schisma illud magnum Avenionense tamdiu in Ecclesia fotum est, et protractum: resistentia adversus pontificem ac retentio bullarum pontificiarum: interventio principum cum potestate reformandi; quæ ex eodem Febronio selecta examinavit, et quam absona sint, novissimus auctor Gallicus *de l'autorité de deux puissances* D. Pey canonicus metropolitanæ ecclesiæ Parisiensis solide et breviter demonstravit. *a)* Ipse vero mox in front Febronius totam suam



a) T. II. P. III. c. II. §. 2. art. 3. p. 306. &c.

structuram, seu cathedram contra cathedram Petri, super petram a Christo solidatam, destruxit, dum eandem cathedram Petri *pro centro unionis catholicæ, a quo separari nunquam permissum est*, agnoscit, tunc quidem verba dans, postea autem in sua revocatione ex animo, *non invitus* recognoscit cum ecclesia Gallicana, quam male deperierat, ac perperam sistit in contentiosis illis inde a tempore schismatis Avenionensis scriptoribus Gersone imprimis, postea Quesnellianis, toto cœlo aberrantibus ab illis, qui, ceu successores apostolorum in collegio episcoporum, constituunt ecclesiam Gallicanam, fueruntque ipsi delatores apud sanctam sedem Iansenii et Quesnelli; quæ factio paucos habuit ex ordine episcopali, ac nescio, an hodie ullum patronum: unde ipsemet Febronius causam eorum conclamatam esse *a)* dicit: „ Licet enim, „ (ait) nondum esset ultimato et in forma condemnatus (Iansenista) agnoscere tamen debet, „ adesse modo omnia materialia prævidendæ damnationis in futuro concilio generali &c. „

An non vero Honthemio ipsa hæc agnitio ac professio bonum æquumque præiudicium insinuare debuisset pro summo pontifice contra præiudicia illa, quæ seculo XV. ut supra vidimus, in causa fuerunt, ut quasi cathedra contra cathedram statueretur, tribunalque pontificis, id est Petri, cum tribunali concilii (seu collegii episcopalis succedentis collegio apostolorum, at non excluso Petro) committeretur, revocata veluti contentione illa: *quis eorum videretur esse maior*, inter apostolos

a) De statu Eccl. T. I. c. 6. §. 8. n. 17. p. 434.

stolos iam non semel a Christo redarguta, mota scilicet controversia: An concilium sit supra papam &c. Quam nisi suam fecisset clerus Gallicanus in declaratione an. 1682. paulo ante memorata, causa Ianseniana finita fuisset brevi S. Augustini sententia illa in causa Pelagiana: *Iam hac de causa concilia missa sunt ad sedem apostolicam: inde etiam Rescripta venerunt; causa finita est; utinam aliquando finiatur error!* Atque hinc recte M. Charlas optimum sumi argumentum statuit ad probandum, iudicium summorum pontificum circa quæstiones fidei esse irreformabile, ex eo, quod nihil unquam ab ipsis sit propositum toti Ecclesiæ, tanquam fide divina credendum, in quo a conciliis œcumenicis reformandum fuerit illorum iudicium; quin etiam eorumdem sententia, tanquam ex Petri cathedra pronuntiata, semper cum reverentia suscepta sit. „ Certe ( subdit idem „ auctor, ) periculum mali, quod per tot secula „ nunquam contigit, non usque adeo metuen„ dum erat, ut illustrissimi episcopi Gallicani, „ omissis veris et præsentibus ecclesiarum suarum „ malis, huic incerto, vel potius nunquam futu„ ro remedium præparare curarent „. Cæteras profecto per orbem catholicum ecclesias, recta in hac re imbutas fide, hæresis Ianseniana necquicquam commovit, quæ hactenus ecclesiam Gallicanam secum, imo cum aliis, commisit. Quos errores adversa Gallorum pars notat in Romanis pontificibus, ipsi fatentur, ceu eclypses esse, non diu perseverantes, fide ac sede Petri indefectibili, ut Ben. Bossuet fatetur in ipsa, post mortem eius

edita, defensione declarationis cleri Gallicani. At in proposita causa iam aberrasset Ecclesia Romana ultra duo secula, si epocha repetatur a Baio, longe ultra seculum, si ab Iansenio, per seculum fere iam, si a Quesnello.

Ipso anno seculari 1700. episcopi Gallicani, ut superiore seculo in causa Ianseniana, iam in consobrina Quesnelliana a sede apostolica iudicium, turbis invalescentibus, flagitarunt, in angustias redacti. In ipsa causa Ianseniana cum an. 1701. a 40. Sorbonæ doctoribus probaretur famosus casus conscientiæ, an. 1703. proscriptus a Clemente XI. quo asserebatur, obsequiosum silentium absque interno animi assensu sufficere, ut subscribatur præscripto formulario, seu illud eludatur potius: nova opus fuit constitutione: VINEAM DOMINI SABAOTH. Neque tulit pontifex, examini subiici bullam; nec admissi appellantes a bulla UNIGENITUS, an. 1713. ab eodem Clemente XI. promulgata, qua Quesnelli errores proscripti sunt, quatuor aut sex episcopi (aliis nonnullis hæsitantibus, nonnemine suspendente iudicium) qui appellationis libellum vulgarunt an. 1717. cui quidem paulo post Sorbonæ doctores non pauci subscripserunt, eorum numero primum aucto, sed paulatim iterum decrescente, post instructionem imprimis illam pastoralem, in qua venenum doctrinæ in bulla UNIGENITUS damnatæ detegitur, in comitiis cleri Gallicani a quadraginta episcopis factam, paucis tunc episcopis cum archiepiscopo Noallio, sed moderate admodum tergiversantibus, accedente identidem magis ad priorum numerum

clero,

clero, ac quidem maiore ordinis episcopalis vix non omni, longe etiam potiore parte academiarum, cleri item tam regularis, quam secularis in Gallia. In reliquis vero orbis catholici partibus Germania, Hungaria, Polonia, Flandria, Sicilia, Hispania, Italia omnis tam clerus major, quam minor secularis et regularis, quidquid sit de nonnullis doctoribus, ultro bullæ UNIGENITUS detulit: ita ut, si statueretur etiam fallibile Romani pontificis per se iudicium, esset iam infallibile consensu Ecclesiæ per orbem dispersæ. Id quod dubium non relinquit de futuro iudicio Ecclesiæ in concilio generali congregatæ.

Silent modo appellantes ad concilium eiusmodi generale, huius pro temporum circumstantiis ac rerum congregandæ difficultates perspicientes, nec mutire audentes post solemnem actum, quem *Iustitiæ* vocant, a rege an 1756. pro receptione bullæ susceptum. Ipsi etiam Ultraiectini schismatici in Belgio (quo Quesnellus Bruxellis dilapsus carcere, cui iussu archiepiscopi Mechliniensis inclusus fuerat, aufugit, an. 1719. mortuus) unionem desiderantes cum Ecclesia Romano-catholica, erga sacram sedem in plerisque æquiores reverentioresque sunt. Febronius autem cum larvatus adhuc Ultraiectinam illorum schismaticorum synodum anni 1763. neque approbat, neque improbat, in commentario suo in suam retractationem aliter sentit, constitutionique UNIGENITUS, ut dogmatico sanctæ sedis et universalis Ecclesiæ decreto, defert. *a*)



*a*) Posit. XXVI. p. 166.

Utinam ſic etiam ad ſe redirent Ultraiectini, agnoſcerentque divinam providentiam circa Ecclesiam ſuam a ſeculis illis, queis diviſo inter plures reges et principes imperio, illam ſedem, quæ debet eſſe centrum unitatis, fecit Deus a ſubiectione principum liberam, quod iam a Nicolao III. c. *Fundamentum* 17. V. *Decet namque.* de Elect. in 6. eſt animadverſum, fuit ſemper prærogativa illa velut ſacra anchora ab illis epiſcopis agnita, qui in aliorum principum ac regum ditionibus verſantur, ab eccleſia Gallicana nominatim, ut vidimus. Quæ etiam præcipuum caput libertatis conſtituit in primatu illo divinitus a Chriſto inſtituto, non honoris tantum illa ambitione, a qua ille ſuos apoſtolos abſterret; non quod maioritatis locum non habeat dignitas, ſed ut, qui maior eſt, ſit ſicut miniſter Eccleſiæ, nimirum ſponſæ Chriſti: prout ſupra ex S. Chryſoſtomo explicavimus breviter diſcrimen dominatus regum gentium et hierarchiæ eccleſiaſticæ in communione legitimæ poteſtatis eccleſiaſticæ inter ſummos Eccleſiæ principes epiſcopos, et pontificem maximum Eccleſiæ caput. Quare an. 1728. deputati ad hoc a clero Gall. epiſcopi per litteras regi declararunt: „ Comme intereſſant la foi catholique, ſavoir que „ I. Ch. a inſtitué dans ſon Egliſe une forme de „ monarchie viſible dont St. Pierre eſt le chef: „ que I. C. a voulu que St. Pierre, et les ſucceſ- „ ſeurs fuſſent ſes vicaires ſur la terre, et ſe re- „ preſentaſſent en la qualité de Chef, et que le „ pape ait de droit divin un primauté d'honneur, „ et de iurisdiction „. Quin imo gloriatur ipſa

mo-

monarchia Gallicana ad præsentem usque diem, inde ab origine sua, Francorum regnum tutum semper fuisse Romanorum pontificum perfugium.

Reges porro et imperatores Francici, quam hierarchico ordini reverentiam et obsequium etiam in sua inauguratione iuratam præstant, atque erga Ecclesiam præstiterunt fidem, eandem usque ad præsentem diem inviolatam servarunt, qui sese in felici impotentia versari gaudent, et gloriantur, leges violandi, uti palam profitetur Ludovicus XV. in responso an. 1766, ac novissimo edicto 1770. quæ auctor laudatus *a*) de auctoritate utriusque potestatis, sacræ nimirum et politicæ, citat, deinceps vero hinc inde eiusdem regis declarationes iam ab anno 1731. affert *b*) quomodo id sibi cordi sit, ut potestas sacra integra sua, quam a Deo accepit, fruatur auctoritate tam in doctrina fidei, quam in regulis morum et disciplinæ, in condendis eam in rem canonibus pro ministris Ecclesiæ et fidelibus in ordine ad religionem &c. Idem christianissimus rex non solum hæc anno 1766. repetiit, verum etiam primam hanc ac præcipuam sibi incumbere obligationem declaravit, impediendi, ne iura hæc Ecclesiæ divinitus accepta in quæstionem vocentur *c*) „ Notre premier devoir est, d'empecher qu'on mette en question les droits sacrés „ d'une puissance, qui a reçu de Dieu seul l'autorité de decider les questions de doctrine sur la „ foi, ou sur la regle des mœurs; de faire de

„ ca-

*a*) De deux puissances P. I. c. 5. T. I. p. 210.
*b*) T. II. p. 278. *c*) L. c. T. III. p. 163.

„ canons ou de regles de discipline, pour la con-
„ duite de ministres de l'Eglise et des fideles. „

Quæ si Febronius attendisset, non tam procaciter, quod tam frequenter facit, ad exemplum et auctoritatem ecclesiæ Gallicanæ provocasset. Eminentissimus card. Bathiani edidit an. 1782. in sua remonstratione p. 137. recusa an. 1787. responsum cleri Gallicani ad denunciationem Februniani operis factam a 1775. clero Gallicano a serenissimo Clemente archiep. Trevirensi, apud quem is suffraganei munere fungebatur, eoquod auctor suffragio cleri Gallicani abuteretur in pluribus opinionibus contrariis doctrinæ ecclesiæ Gallicanæ quam Em. præses card. de la Roche Aymon sess. 127. examinandam proposuit. Recusum est responsum illud nuper post secundum supplementum libri Gallici inscripti *Veritable Etat du different élevé entre le Nonce apostolique, et les trois Electeurs ecclesiastiques* sub titulo *coup-d'œil sur le Congrès d'Ems tenu en 1786.* unde nos partem dogmaticam adscribere, operæ pretium ducimus: ubi postquam dictum esset, Febronianum opus vix cognitum paucis Galliæ theologis, subditur:
„ Que loin d'avoir aucune autorité, il passe parmi
„ ceux, qui le connoissent pour savoriser les opi-
„ nions nouvelles, pour être inexact sur les ob-
„ jets de la plus haute importance, et surtout
„ pour s'ecarter du langage dont le clergé s'est
„ toujours fait une loi lorsqu'il a été dans le cas
„ de s'expliquer sur la primauté d'honneur et de
„ jurisdiction, qui appartient au successeur de S.
„ Pierre et l'autorité de l'Eglise de Rome centre

„ de

„ de l'unité, et mere et maîtresse de toutes les égli-
„ ses. Que la doctrine du clergé de France, sur
„ tous ces objets, consignée dans les declarations,
„ et expositions de ses assemblées est le desaveu
„ le plus formel, qu'il soit possible, d'opposer à
„ ceux, qui osent sans fondement s'appuyer de
„ son autorité: qu'il faudroit, pour s'en prévaloir,
„ tenir le même langage que lui, d'après la doctri-
„ nes des Peres et des anciens canons, et que
„ pour tirer avantage du silence de l'Eglise de Fran-
„ ce, il faudroit que l'ouvrage de Febronius y fut
„ assez connu et repandu pour avoir mérité de
„ fixer son attention „. Fuit quidem Febronius in Gallicam linguam conversus a religioso exule et extorre a suo ordine, sed in Germania, ubi ab episcopis publice fuit proscriptus, nihilominus tamen non sine damno serpens ac periculo apud utrumque statum ecclesiasticum et politicum, dum in suo opere Febronius se (ut repetam, quod ipse sibi in fronte libri veluti *Saulus adhuc spirans minarum* usurpat,) audacem, sævum et arrogantem ostentat, legitimam ecclesiasticam potestatem secum in summis Ecclesiæ pastoribus committendo, eamque violentis exponendo manibus summarum potestatum: nihil veritus, palam summo pontifici quasi in faciem edicere, se de huius primatus iure tractare præsumpsisse, eiusdemque terminos delineare aggressum, *ultra quos quidquid suscipitur, sanctæ nostræ religioni exitiosum esse intelligitur.* Enimvero horum se numero feliciter expedivit, personatus Febronius, reverendissimus Honthemius. Is dum larvam suam deposuit

er-

retractando Febronium, animi certe obstinati a se suspicionem est amolitus, etsi Fenelonii docilitatem non omnino assecutus fuisse videatur omnibus, notatus a suo archiepiscopo in litteris ad pontificem summum an. 1781. de mobilitate quadam animi, magis utique, quam hæreticorum pertinacia indulgenda.

Habitus fuit an. 1769. concipiente potissimum et parturiente simul atque obstetricante Febronio conventus deputatorum ab Electoribus ecclesiasticis, in quo gravamina, quæ in anterioribus imperatorum electionibus contra abusus quosdam tribunalium apud Nuntios apostolicos in Germania sunt facta, iam ad abolitionem Nuntiaturarum vergebant, tametsi Benedictus XIV. indulgentissimum se ea in re præbuisset (aliquanto etiam ultra ea, quæ in concilio Trident. *a)* de ordine appellationum sancita fuerant) atque optimus pontifex a vi inferenda concordatis Germaniæ sese maxime abhorrere, ostenderet, contestatus: „ Pessimi exempli „ novitatem esse, qua sacrorum canonum sanc„ tiones parvipenduntur, et concordata inter „ SSmam sedem et nationem Germanicam inita et „ firmata violantur. „

Conquievisse res visa est, donec an. 1782. præsente pontifice Viennæ, Nuntio apostolico iurisdictio, qua hactenus usus fuerat, decreto cæsareo ablata fuit: dumque redux pontifex per Monachium petitioni Electoris de mittendo in ditiones Palatino-Bavaricas Nuntio apostolico annueret, iam

*a)* Sess. XXII. c. 7. XXIV. c. 5.

iam non in eo res stetit, quod tribunal Nuntiaturarum in Germania spectabat, imperatorque suo exemplo metropolitis Germaniæ suum condixerat patrocinium litteris an. 1785. unde illi anno sequenti ex curiis suis singuli deputarunt ad conventum ad aquas Embsenses agendum, Elector Moguntinus Valentinum Heimes suffraganeum, Trevirensis Ios. Ludov. Beck officialem, Coloniensis Georg. Hen. de Tautphæus consil. int. archiep. Salisburgensis Io. Mich. Boenicke consil. consistor. qui iam non in eo, quod agebatur, sibi hærendum existimarunt, et imperatoris et metropolitarum abusi auctoritate, omnes prætergressi limites, totum pene a Deo in statu hierarchico constitutum, atque inde a S. Bonifacio Germaniæ apostolo servatum apud nos ordinem, susque deque habere præsumserunt. Hi igitur prætetulerunt, redintegrare a Christo datam episcopis potestatem, quæ quantacunque est (de qua, multa in concilio Tridentino facta conquisitione, nihil articulatius definitum est) ipsorum episcoporum personæ inhæret. Quare immerito anonymus ille, qui præterito anno in Spirensem episcopum calamum strinxit, irreverenter etiam passim non solum Romanos pontifices, verum etiam ipsum Tridentinum concilium perstringit, in eo etiam, quod legatis episcoporum in concilio Tridentino suffragium non fuerit concessum. Id tamen ab anonymo hoc, cum ex tenore definitivo sententiarum, quo utuntur commissarii Emsenses, contrarium potuisset videri, gratanter accipimus, quod in præfatione profitetur, nullum ex eorum assertionibus (positionibus nem-

pe

pe seu thesibus ad ventilandum poni solitis) præjudicium fieri: „ Vorgreifung und Neuerung war „ sie nicht, sondern nur vorläufige Berathung und „ Vorbereitung, eines Werks, das gemeinschaft- „ lich zu seiner Vollkommenheit gebracht wer- „ den solte „. Postremum hoc *Gemeinschaftlich* sic ego in sensu catholico accipio, ut transigenda sint huiusmodi negotia in communione potestatis ecclesiasticæ inter summos Ecclesiæ pastores, episcopos et pontificem; quem tamen, quomodo sibi in animum inducere potuerunt, fore concessurum, ut a privatis quatuor doctoribus (hoc enim solo charactere, uno excepto episcopo in partibus, Febronii socio, sunt insigniti) omnibus suis propemodum iuribus spoliaretur? Quod egisse videri possunt commissarii hi; quidquid præseferant de Romani pontificis primatu in Ecclesia ceu centri unitatis, a Deo ad id requisita iurisdictione instructi, cui catholici canonicam obedientiam debeant ac reverentiam; dum vero omnem recursum ad Romanam sedem quorumcunque diœcesanorum ab episcopi nutu, exemtiones autem quascunque a pontifice datas a licentia procerum etiam imperii Germanici suspendunt, religiososque ordines quoscunque a nexu superiorum suorum exterorum liberant: episcopis facultatem omnem dispensandi in legibus universalibus Ecclesiæ atque pontificis tribuunt, etiam in sacramentis, si non videri queat pœnitentiæ quoad reservationem casuum contra expressum Tridentinum canonem, saltem matrimonii: cum in materiis sacramentorum tamen tutior semper sit tenenda sententia. Haud minus est, quod habetur

betur

betur in punctationibus, ut vocant, eiusdem consessus de facultate dispensandi in voto continentiæ ordini diaconatus et subdiaconatus annexo, atque solemnibus votis ordinum religiosorum et aliis dispensationum generibus, quarum facultatem singulis quinquenniis hactenus Roma petebant, obtinebantque episcopi; has autem facultates quinquennales prorsus cessare volunt isti: liberam item dispositionem relinqui volunt episcopis circa pias fundationes, eas pro libitu cuiusque episcopi contra voluntatem fundatorum, atque destinatum ab ipsa fundatione finem: bullas pontificias non nisi ex arbitrio episcoporum suscipiendas, uti etiam declarationes congregationum Romanarum saluberrimo consilio institutarum, Nuntios apostolicos facultatibus quibusvis a pontifice instructos abesse Germania volunt, uti etiam notarios seu protonotarios apostolicos. Pro libitu porro restrictum sciscunt aut abrogatum, quidquid iuris hactenus in Germania pontifici fuit in dignitatibus, ac beneficiis ecclesiasticis, etiam secundum Concordata Germaniæ, mutuo pacto firmatum; de annatis item &c. quasi suo et episcoporum solo arbitrio transigendum: atque iuramentum ab episcopis summo pontifici præstari solitum restringendum &c. ut mox articulatius videbimus.

Etsi vero punctationes hæ conventus Emsensis clementer a Cæsare susceptæ sint, iam tamen is ingens iisdem fecerat præiudicium data ad Moguntinum anno antecedenti 1785. epistola, qua, quod beneficia attinet, ad claram omnino litteram standum inhærendumque sciscit Concordatis natio-

nis Germanicæ: cum vero illud maxime, quod de ipsis his punctationibus ad quatuor Germaniæ metropolitas perscribit, ut non solum cum episcopis exemptis et non exemptis res transigantur, verum etiam cum singulis imperii statibus, quorum in territoria diœceses singulæ sese extendunt. Ea cuiusmodi sint, nemo non videt, quot in imperio Germanico dominorum serva futura sit Ecclesia.

Est vero præ oculis epistola Electoris Moguntini ad suos suffraganeos, et alios quosdam episcopos Germaniæ, nunc primum data, in qua nihil de his punctationibus, sed de sola nova Monacensi, perpetuisque illis per Germaniam apostolicis Nuntiaturis. Dudum autem mihi mens Clementissimi Electoris Moguntini comperta est, quam semper is alienus fuerit ab eiusmodi innovationibus legati munere Viennæ functus sub suo antecessore: qui ipse ille etiam, nunc quam maxime opportunum, ecclesiastici vigoris an. 1764. documentum præbuit, Romanæ sedis iura ut salva essent, et integra ab usurpationibus tribunalium secularium: „ Quoad „ ea, quæ in derogationem libertatis iuriumque „ apostolicæ sedis ex laicis imperii tribunalibus „ hactenus emanarunt, ea omnino pro iuribus „ tolli curabo; neve unquam imposterum in exem- „ plum trahi possint aut debeant, omni solli- „ tudine obsistam. Manu propria subscripsi Eme- „ ricus Iosephus princeps Elector „. Quod nimirum singulare semper fuit sacrosanctæ huic Moguntinæ, sedi S. Bonifacii Germanorum apostoli exemplo, ut eius successores veluti hæreditario te-

nerent

nerent devotionem præcipuam erga ſedem apoſtolicam. De Electore Trevirenſi quid dicam? Quo nemo maius teſtimonium dare potuit iis, quæ is egit ad Febronium in orbitam atque ad revocationem ſui operis inducendum, quod archiepiſcopus non dubitavit *partum ſatanæ* vocare, quo *beatiſſimi Petri*, ſunt eius verba, *apoſtolicam ſedem penitus evertere, et petram, ſupra quam Chriſtus Dominus ædificavit Eccleſiam ſuam, omni adhibito conatu tentat ſuffodere.* Quæ aliaque ad rem leguntur *a*) in ſupplemento ſecundo ad librum Gallice editum ſub titulo VERITABLE ETAT &c. a nobis iam laudato, ubi etiam locum inſignem *b*) affert auctor, ex eiusdem ſereniſſimi Electoris Trevirenſis de prærogativis Romanæ ſedis epiſtola paſtorali edit. Pariſienſis an. 1782. cui conſona eſt epiſtola paſtoralis *c*) Germanice edita Treviris an. 1780. integro volumine. Maximilianus vero Ioſephi II. auguſtus germanus, Colonienſis Elector, quam devotum ſeſe exhibuerit, obſervantemque erga Pium VI. P. cum ad Viennam diverteret, ipſe teſtis non ſine tenero animi affectu recordor. Nec compertum eſt aliquid, punctationibus Emſenſibus eum aut cæteros collegas ſuos inſiſtere, ultra cauſam perpetuarum Nuntiaturarum, Colonienſis imprimis ac noviſſimæ Monacenſis, cum connexis quibusdam diſpenſationum facultatibus.

Mirum, dum primum lucem publicam aſpexerunt punctationes, curſum mox, fatumque varium habuerunt in volantibus hodie undique ſchediaſmatis, ultro citroque ſparſis. Nec locus aqua-



*a*) p. 120. ſeq. *b*) p. 71. *c*) p. 220.

rum Emsensium Lutheranus inculpatus est relictus, atque insolens occasio concursus ad alia omnia varii, a re tali ac tanta alieni, ad huiusmodi balnea: unde esse sarcasmum rumorem illum existimo sparsum præterito anno, fore, ut brevi conventui Emsensi contradictorius sit habendus apud aquas Spadanas, vel Aquisgranenses. Id vero animos imprimis commovit, quod conventus hic ex quatuor compositus hominibus Pythagoricum illud: αὐτὸς ἔφα tanto sibi supercilio usurpasse sit visus, ac si universum collegium apostolorum in suis successoribus congregatum cum suo capite ex cathedra pronuntiasset. Præseferunt punctatores isti, incumbere se sub auspiciis potentissimis maiestatis cæsareæ ad restituenda postliminio primigenia episcoporum iura, quæ iisdem tanquam apostolorum successoribus ipso ore dominico data competant, habuerintque primis Ecclesiæ sæculis, quorum vero in punctationibus vix unum reperias (etsi non agatur de lana caprina, in punctatorum præsertim munere) caput, quod ad primitivam illam missionem apostolicam referendum sit, a Christo in Evangelio factam. Minime vero eo referri possunt facultates illæ, ad quas pleræque punctationes redeunt, quæ sunt potius ad destructionem per indulta et dispensationes, quam ad ædificationem disciplinæ, et legum ecclesiasticarum, ab iis, quos Christus posuit, regere Ecclesiam Dei, successu demum temporis in Ecclesia constitutarum. Quæ si sint leges particulares ecclesiarum particularium, non autem generales Ecclesiæ universæ, per eos, quorum auctoritate sunt conditæ pro re-

rum

rum et temporum circumstantiis mutationem subire possunt: quo sensu dici potest S. Cyprianus cuivis episcopo *in solidum* curam Ecclesiæ suæ tribuisse; errore tamen iuris et facti in causa rebaptizationis hæreticorum deceptus. Quæ apostolis data est potestas ordinis et iurisdictionis in universum orbem ad constituendam Ecclesiam, ea cum apostolis exspiravit, dum singularum diœceseon sunt constituti limites, excepta sede Romana D. Petri, cui præter communem cum collegio apostolorum potestatem ligandi et solvendi, Christus dedit singulariter claves regni cœlorum, fundamentum insuper Ecclesiæ constituendo, adversus quam portæ inferi non sint prævaliturae. Quod hactenus experientia felici compertum habemus, dum undique cecidisse vidimus Ecclesias reliquas ab apostolis satas; tum vero integras non solum provincias, et regna, sed etiam orbis partes, Asiam, et Africam cum magna Europæ portione, quæ communione Ecclesiæ Rom. exciderunt, inconcussa semper Petri sede. Unde merito quisque cum S. Hieronymo ad Damasum P. scribente dicat: „ Ego nullum nisi Christum sequens, Beatitudini „ tuæ consocior. Super illam Petram ædificatam „ Ecclesiam scio. Quicunque extra hanc domum „ agnum comederit, profanus est... Quicunque „ tecum non colligit, spargit, hoc est, qui Chri„ sti non est, antichristi est.

Hæc se profiteri mecum dicent punctatores etiam Emsenses, principio statim Romanum pontificem superintendentem quasi (*Oberaufseher*) et primatem professi. Sed, si ita dicere fas sit, superin-

tendentem illi ſignificatu proteſtantico, etſi iurisdictionis aliquam rationem pontifici tribuant, accipiunt, non plenam illam tamen ἐπισκοπὴν, unde illi, quorum cauſam ſibi videntur propugnare punctatores, epiſcopi vocantur: ut ſicut hi, quod Eccleſiæ univerſæ attinet regimen, in partem ſollicitudinis in ſuis epiſcopatibus vocati ſunt, ita Romanus pontifex in ſede apoſtolica, ſucceſſioneque Petri epiſcopatum (ἐπισκοπὴν) totius Eccleſiæ in plenitudinem poteſtatis hæreditaverit. Anterior vero hæc vox eſt plenitudinis poteſtatis pſeudodecretalibus illis Iſidorianis, quibus punctatores uſurpationes illas, ut vocant, Romanæ ſedis in præiudicium iurium epiſcopalium primigeniorum adſcribunt, de quibus iam locuti ſumus, oſtenſumque abunde eſt, eas ex genuinis monumentis ſec. IV. et conſarcinatas eſſe, et, ut hoc ſolum hic opportune commemorem, comparuiſſe primum eas in Eccleſia Moguntina circa finem ſeculi VIII. ſub Riculpho archiepiſcopo, poſt S. Bonifacium Germaniæ apoſtolum, ex cuius epiſtolis, cura Rev. Wurthweinii ſuffraganei Wormatienſis nuperrime editis, palam cumprimis erit, quam in plerisque punctationibus iniurii ſint Romanæ ſedi, quamve multa perperam pſeudodecretalibus tribuant, atque ob eas Romanos pontifices inceſſant, ubi earum ratio primum ſec. IX. haberi cœpit, ipſo Nicolao I. P. tunc in ſcriniis Romanis eas, cum ab ipſo peterentur, haud reperiente. Quid? quod noviſſime Spitlerus in hiſtoria iuris canonici earum auctorem Benedictum levitam, diaconum Moguntinum, cuius etiam

addi-

additiones ad collectionem capitularium Andegisi habemus, faciat; applaudente anonymo (qui nuperime ad art. XXII. congressus Emsensis lingua vernacula historiam appellationum in tribunalibus ecclesiasticis edidit) quod collectionem illam sub ementito nomine Isidori, sive Mercatoris, sive Peccatoris concinnaverit levita ille, cum tamen nomen Isidori sine fraude a S. Isidoro Hispalensi acceptum esse videatur; non quod ille auctor sit pseudodecretalium; sed quod adhucdum in Hispania supersit collectio S. Isidori, dispertita in duas partes, quarum prima continet canones conciliorum Græcorum inde a Nicæno I. concilio, deinde Africanorum, Francicorum, Hispanicorum, dum secunda pars continet Decretales summorum pontificum, sumto exordio a duabus epistolis S. Damasi ad Paulinum Antiochenum, post quas sequitur epistola S. Siricii, a qua collectio Dionysii exigui exordium sumit. Sequuntur in collectione S. Isidori aliorum pontificum epistolæ usque ad S. Gregorium M. S. Isidoro coætaneum. Unde id saltem palam fit, quo loco in Hispania decretales summorum pontificum fuerint habitæ genuinæ illæ: quales etiam nonnullæ pontificum Romanorum epistolæ, plenæ vigoris apostolici habentur inde a Clemente I. S. Petri discipulo præter confictas illas Clementis, Lini, Cleti, Lucii, Melchiadis in collectione Isidoriana, ex qua diffiteri nemo potest, antiquam disciplinam quoad iudicia ecclesiastica immutationem accepisse; sed fere in iis capitibus, in quibus antiquam revocare hodie disciplinam, vix non esset impossibile, non tantum

contentione, aut vitio Romanæ ſedis, quam reliqui etiam per orbem catholicum ſtatus hierarchici, præſertim in noſtra Germania mutata rerum et perſonarum facie, ac temporum circumſtantiis.

Dependet res, quod auctoritatem R. P. attinet, a notione iurisdictionis, quam, ut iam diximus, punctatores ad aquas Emſenſes ſecundum ſyſtema eccleſiaſticum Proteſtantium ſibi potius effinxerunt, quam Eccleſiæ catholicæ. Unde etiam eſt, quod omnes omnino exemptiones abrogatas eſſe velint: quæ dudum ante pſeudodecretales pontificum Romanorum in Eccleſia obtinuerunt, in conciliis ipſis iam inde a ſeculo V. firmatæ. Ex iis anonymus in additamentis ad librum Gallice ſcriptum, inſcriptumque VERITABLE ETAT a nobis identidem citatum memorat *a*) Arelatenſe an. 455. et Carthaginenſia duo, alterum a. 525. alterum a. 534. in hanc ipſam Emſenſium punctationem: ibidemque *b*) remonſtrationes in medium profert archiepiſcopi Mechlinenſis, card. et archiep. Strigonienſis regni Hungariæ primatis, ipſiusque Electoris Trevirenſis factas imperatori: cuius exemplo etiam punctatores uno concidunt ictu omnem nexum, quem religioſi ordines erga ſuos ſuperiores extra diœceſin aut territorium habent, habueruntque nonnulli ordines ab ipſa fundatione, unacum exemptione illa, qua, præterquam quod conſervationi communibusque utilitatibus ordinis conſulant, poſſint in diverſis diœceſibus et regionibus per orbem chriſtianum ſubſidio eſſe in cura anima-

*a*) Coup-d'œil ſur le Congrès d'Ems p. 146.
*b*) p. 147. ſeqq.

animarum, aut etiam munere apostolico missionum apud fideles vel infideles nationes. Male vero sibi constant punctatores, suisque consulunt hierarchis, a quibus sunt deputati, dum eas exemptiones probant, quæ per leges imperiales auctoramentum habent, reiectis illis, quæ a legitima ecclesiastica potestate sunt constitutæ, ipsoque summo pontifice, cui tanquam primati Ecclesiæ canonicam obedientiam non abnuunt. Et siquidem hoc ad conciliares canones restringunt, præsto sunt etiam concilia generalia, Lateranensia sub Alexandro III. et Innocentio III. Lugdunense, Viennense ac Tridentinum, in quibus non solum legitime constitutæ sunt exemptiones, verum etiam rite ordinatæ, communionique potestatis ecclesiasticæ inter summos Ecclesiæ pastores, pontificem et episcopos, conformatæ in concilio præsertim Tridentino: in quo materia hæc de exemptionibus operosissime fuit disputata, atque diligentissime discussa, tandemque sic demum decisa *a)* ut sollicite abusibus omnibus, qui aut irrepserunt, aut evenire possent, cautissime prospiceretur, imprimis iuribus episcoporum, quod curam animarum attinet, ac cætera episcopalia munia, tutius relictis superioribus regularibus iis, quæ ad observantiam regularem spectant, earum rerum magis gnaris atque etiam studiosis, quam episcopis aut eorum curiis, quas sæpius novercam sunt experti; nec in ipsis semper episcopis paternum satis affectum. Vid. Tit. Decretal. *de excessibus prælatorum.*



*a)* Seff. V. et XXI. de Reform.

Quod latum posterioribus demum seculis dispensationum in legibus ecclesiasticis campum attinet, quem totum punctatores episcopis vindicatum volunt; dum tamen ipsi scriptores Galli Petrus de Marca, Fleurius post Thomasinum ius dispensandi in legibus ecclesiasticis summo pontifici reservent, conservatum hactenus in Gallia perinde ac aliis catholicis regionibus ex avita observantia: tum etiam quod pontifici totius Ecclesiæ cura commissa est, quam exerceat, dum conciliorum præsertim œcumenicorum rara sit, ac forte hodie pene nulla spes aut facultas: atque ipsa etiam provincialia concilia dudum in desuetudinem venerint, ad quæ anterioribus Ecclesiæ temporibus huiusmodi causæ fuerunt relatæ, in difficilioribus casibus relatione ad Roman. sedem haud infrequenter facta: ita tamen ut remotioribus Ecclesiæ seculis nullas legum ecclesiasticarum dispensationes deprehendere liceat, nisi postea quam leges iam infractæ fuissent. Quod tamen, multiplicatis cum tempore ecclesiasticis legibus, mirum adeo non est, tulisse mutationem. *a*) Ut vero ea

*a*) Mentem suam de hac re an. 1782. Clemens Elector Trevirensis in epist. ad Card. archiep. Mechliniensem sequentibus declaravit verbis. „ Plus j'ai réfléchi, dit S. A. E., „ & consulté sur les dispenses qu'on veut nous faire accorder, plus j'y ai trouvé d'inconvéniens & de danger, „ en admettant même que, lorsque le recours à Rome est „ impossible, les Evéques peuvent dispenser ( ce que je „ ne crois pas, si ce n'est peut-être dans le cas d'une „ véritable & urgente nécessité ); il me semble encore que, „ vu l'atteinte, qu'ils porteroient par-là aux droits du „ Saint-Siege, qui est le centre de l'unité, auquel malheureusement on ne tient presque plus; vu encore le „ scandale qui résulteroit de leur complaisance dans les

ea dispensandi in legibus generalibus facultas episcopis promiscua esse iam non potest, ita nec penitus demi valet: quando obversatur iusta legis epikia pro personarum, rerum ac temporum circumstantiis, quas illi propius inspicere possunt, in casibus præsertim particularibus, in legibus e. g. abstinentiæ et ieiunii, dummodo tamen caveatur periculum, ne in desuetudinem lex veniat aut despectum: neque superentur limites avitæ observantiæ, introductæque consuetudinis, nec non observantiæ et auctoritatis, universalis legum ecclesiasticarum custodis, Romani pontificis, præsertim in re sacramentaria pœnitentiæ e. g. et matrimonii, de quo in concilio Trident. diu disceptatum est, an episcopis concedenda in impedimentis matrimonii dispensandi facultas. Qua de re etsi in decreto *a*) abstrahatur, nec fiat absoluta pontifici reservatio, usus tamen constans ius illud Romanæ sedi hactenus asseruit, nec ipsis diffitentibus punctatoribus. Quare de hac re episcopis cum pontifice conveniendum est, prout Viennæ factum an. 1782. cum præsentibus tunc Hungaricis et Germanicis episcopis, illis veluti coactis in synodum cum pontifice. SSmus P. N. Pius VI. P. M. postquam in epistola an. 1787. data Maximiliano Electori Coloniensi suæ sedis in hac re iura ex antiquitate

„ circonstances actuelles, ils devroient tenir ferme & s'a„ bandonner pour les suites à la divine Providence „. Eadem adhuc pluribus edisserit in epistola eodem anno ad fratrem suum Albertum Sax. Ducem data Vid. Reflex. sur les 73. articl. du pro Memoria pres. à la Diete de l'empire &c. à Ratisbonne 1788. p. 142.

*a*) Sess. XXIV. de reform. cap. 5.

tiquitate ecclesiastica, canonibus conciliorum, Coloniensis etiam novissimi an. 1536. ob oculos posuisset, „Si nunc (subdit) dispensari inciperet a te „ Ven. Frater, iure proprio, quid aliud ageretur, „ nisi ut sedes ap. suo spoliaretur iure, quod ab „ antiquissimo tempore sola semper exercuit, „ cuiusque exercendi tenuit non interruptam, sed constantem, receptamque in Ecclesia „ possessionem. Qui certe tam inveteratus possessionis titulus, etiamsi alia deessent in suo primatu constituta fundamenta, valere per se ipse „ plurimum apud omnes deberet. Neque hic contra obiici ullum imperatoris edictum potest, „ cum eiusdem extet Nobiscum satis iam pervulgatum Concordatum. Ex eodem patet, inter „ utrosque Nostrum convenisse, ut eæ dispensandi ab impedimentis facultates, quæ antea „ a sede apostolica concedebantur suarum ditionum episcopis, extenderentur imposterum etiam „ ad divitum matrimonia, ita tamen, ut in præfixos arctiorum graduum limites non transcurrerint „. Ibidem igitur agnoscitur ad summos pontifices dumtaxat pertinens, seu privativa ipsorum iurisdictio in impedimentorum matrimonialium dispensationibus, quoniam, eadem uti conceditur episcopis ex pontificia delegatione: ipsique pontifici adhuc reservatur usus concedendarum in arctioribus gradibus dispensationum. Atqui vero præmissis his, legitime S. C. M. suarum ditionum episcopis *universis diœcesanis* fecit declarari, ipsis nunc liberum relinqui, ut facultates dispensandi circa impedimenta matri-

monii

monii in gradibus prohibitis consanguinitatis et affinitatis, in quantum hæ in gradu quarto et tertio, nullatenus tamen tangente secundum, ipsis hucusque pro pauperibus concessæ erant, etiam pro nobilibus et ditioribus ad dies vitæ impetrare, atque hac ratione ipsi etiam in formula consueta dispensare possint.

Pergunt punctatores dilatare fimbrias suas, ac quasi ex cathedra confidenter statuere, pertinere pariter ad potestatem cuiusque episcopi, obligationes, quæ ex sacris ordinibus oriuntur, tollere, *utenturque hac licentia ex urgenti ratione archiepiscopi et episcopi respectu sub-et diaconorum.* Causam hic facile subodoratus nobis aperuit anonymus ille, qui lingua Gallica stricturas edidit *a)* in punctationes conventus Emsensis: profertque ex Thomasino *b)* exemplum Casimiri Poloniæ regis, qui monasticam vitam sec. XI. Cluniaci professus, et diaconus, a pontifice dispensationem obtinuit. Quam etsi ipse Thomasinus *dispensationem novam* prorsus, et priori ætate inauditam vocet; inde tamen, quod Poloniæ proceres abbatem Cluniacensem primum convenerint, sed remissi ab eo, ut „supremum in terris tribunal, supremamque „ potestatem, sedem videlicet apostolicam Romæ, „ et vicarium Christi adirent, et necessitate pu„blica regni declarata, principem Casimirum „ reddi deposcerent „; ut ex Longini hist. Polon. narrat: adnotat equidem, haud videri usque adeo tunc præiudicatum vulgo fuisse, non posse gra-

vissimas

*a)* Coup-d'œil sur le Congrès d'Ems p. 165.
*b)* De Beneficiis P. II. l. III. c. 27. n. 3.

vissimas quasque dispensationes proficisci, nisi a sede apostolica, cum Poloni legati, imo et antistites electum a se Casimirum præsumerent, ab abbate Cluniacensi in regem sibi relaxari posse. Sed quid? quod primam et inauditam relaxationem hanc agnoscat Thomasinus, quamque, ut alibi *a*) loquitur, extrema regni calamitas, iamdiu turbulentissimis, et cruentissimis dissensionibus dilacerati inter diutini interregni difficultates exorarit. Attamen ex ipsorum legatorum apud cit. Longinum ad pontificem facta supplicatione discere Thomasinus poterat, quo illi rem loco haberent: „ Ex te (aiunt) sanctissime Pater, nostra et „ totius Polonici regni salus et restauratio pen„ det: tu solus patriæ nostræ potes sanare discri„ men, tu bellicum furorem inhibere. Te pa„ tria nostra invocat, te intuetur, ad te fiducia„ libus precibus recurrit „. Nec nisi gravi cum cardinalibus et aliis, quod *res et supplicatio nova, et sine exemplo* esset, præmissa consultatione annuit pontifex.

Nec interest punctatorum, quod Casimirus monasticis quoque fuerit constrictus votis, quippe a quibus illi perinde potestatem dispensandi ex canonicis causis, cuique episcopo faciant. Quæ vero hic possunt esse causæ canonicæ dispensationis in votis solemnibus, quam sibi nullus unquam episcoporum usurpavit? Episcopis Hungariæ ultro Viennæ an. 1782. hoc præsenti pontifici contestantibus, ipse respondit pontifex, *neque se in votis solemnibus directe dispensare posse*: mihique

*a*) P. III. lib. III. c. 24. n. 12.

hique compertum est, Pium VI. cum primum ad sedem R. assumtus esset, id firmiter apud se constituisse animo, nunquam se hic ulla usurum relaxatione: diuque in ea mente firmus stetit, donec ad evitanda maiora mala ad remittendum rigorem necessitate constrictus fuisset. Quae vero, ut iterum quaeram, potest subesse causa canonica licentiae, tam promiscue dispensandi in voto solemni, promissioneque ipsi Deo, in facie Ecclesiae post integram unius anni deliberationem, quam non solum firmavit concilium Tridentinum, sed et quinquennium insuper ad reclamandum indulsit? Quo deveniet fides humana in promissionibus mutuis, factis etiam cum iureiurando, si fidem Deo datam post tantam temporis intercapedinem liceat tam facile solvere, aut fallere? et quidem per illos, quos Deus in sua Ecclesia ad eam sibi a commissis fidelibus praestandam constituit: hique ipsi eius collegii episcoporum socii, qui in spiritu sancto congregati Tridenti post tam maturam deliberationem discussionemque statuerunt, singuli sibi decreta illa immutandi licentiam usurpent? Id vero uno eodemque halitu punctatores Emsenses, quasi omnibus Ecclesiae sanctissimis legibus superiores, mox iterum indulgent, dum constitutos ab eodem concilio Tridentino post multam disquisitionem, ut ex actis et hist. concilii Trid. *a)* constat, ad professionem solemnem aetatis annos immutare, nulli sibi religioni ducunt: et quidem tam enormiter, ut loco anni decimi sexti, quem olim etiam legimus a S. Basilio constitutum, concilium

*a)* Pallav. l. XXIV. c. 6. n. 2. &c.

ciliumque Tridentinum ſtatuerat, ipſi in viris ad annum 25. in feminis ad quadrageſimum usque prorogent. Qua in re inſigniter punctatores feſellit ratio, non attento duplici, Deo ſacratarum virginum, in antiquiore Eccleſiæ diſciplina diſcrimine, de quo copioſe agit Thomaſinus in veteri et nova diſciplina *a*) de beneficiis: quod nunc iterum recuſum Moguntiæ opus conſuli *b*) poterit. Ubi poſt alia can. 19. concilii Agathenſis citans, quo ſtatuitur, *ſanctimoniales, quamlibet vita earum, et mores probati ſint, ante annum ætatis ſuæ* 40. *non velentur.* Annotat vero Thomaſinus: „ De „ conſecrationis utique velo interpretandus eſt „ hic canon, non de religioſæ profeſsionis. Vo- „ cantur enim ſanctimoniales ante ſuſceptum ve- „ lum, de quo hic agitur: ætas 40. anorum de- „ ſignata eſt, tum in conciliorum canonibus, tum „ in legibus imperatorum ad diaconiſſarum con- „ ſecrationem. De his ergo agere Agathenſis „ ſynodus exiſtimanda eſt, non univerſim de mo- „ nialibus. Infra docebimus, id in Gallia quoque „ inoleviſſe tunc, ut filios rudes adhuc monaſte- „ riis offerrent, addicerentque ii, quorum in po- „ teſtate erant, conſtringerentque impuberes eo „ vinculo, quod diſſolvi poſtea non poſſet. Non „ ergo monaſtica ibi profeſſio in an. 40. diffe- „ rebatur „. Quod mox de Gallia probat, parvulos in monaſteria an. æt. 10. vel 12. aſſumtos fuiſſe: pluribus autem deinceps *c*) capp. 56. &c. agit *de impuberibus utriusque ſexus, quos propria voluntas vel paterna devotio monaſteriis dicabat.* Sic in

*a*) P. I. lib. III. c. 52. *b*) T. III. p. 409.
*c*) Ib. p. 421. ſeqq.

in regula S. Benedicti *a)* statuitur: *Si ipse puer minore ætate est, parentes eius faciant petitionem, quam supra diximus. Et cum oblatione ipsum petitionem, et manum pueri involvant in palla altaris, et sic eum offerant.*

Quod anonymus *b)* in punctationes Emsenses iam subodoratus fuerat, facultatem promiscue episcopis datam, dispensandi in votis solemnibus, ad destructionem status monastici tendere; nihil autem ad ruinam monasteriorum virginum esse accomodatius, quam statutam ætatem 40. annorum ad professionem virginum; id nemo non videt, facile futurum, si ex sententia punctatorum episcopis facultas sit, pro lubitu pias fundationes in alias convertendi; siquidem, quod iam ab experientia habemus, brocardicon hoc ad fundationes monasteriorum extendatur. Ex ungue leonem, vel potius, persequentem illum, ut habet fabula, Leonem. Hierarchæ illi, qui in Germania amplum territorium, immediati imperii principes, tenent, ipsi tamen sibi hic non satis consultum habent, dum aliis pessime consulunt iuxta illud, *summum ius, summa iniuria.* Ad unum omnes miseri Adami filii paradiso pulsi ad possidendam terram (neque enim quisquam hominum id sibi usurpet: Hæc omnia mea sunt, et cui volo, ea do) ius acceperunt, ut rerum, quas possident, proprietatem teneant, a qua sine iniuria depelli nemo queat, aut deturbari, nisi quis præadamita, aut aliter, quam communi humani generis fato, in hanc terram devenisset. Quanta



*a)* c. 59. *b)* Beleucht. der Bad. Emsischen Punctation. p. 49.

vero est hæc rerum catastrophe, ut personæ, quarum res sub principibus christianis semper, ceu Deo sacræ, immunitate gaudebant, iam nec earum quidem proprietate gaudeant? Ex decreto conc. Tridentin. *a)* ut argumento ad hominem utar, omnia monasteria (præter ea Minorum de observantia, et Capucinorum, qui vocantur mendicantes primæ classis, qui omnium facillime in communitate sustentantur) capaces sunt possidendi bona immobilia. „Quodsi (subditur) aliqua loca „ex prædictis, quibus auctoritate apostolica bo„na possidere permissum erat, eis spoliata sint, „eadem omnia, illis restituenda esse decernit„. Fundatores quicunque bona sua, quibus cum pro suo libitu disponere potuerunt, et reipsa disposuerunt, passim muniti publicis tabulis et auctoritate, non in genere, sed in particulari ad hos aut illos usus seu fines, hoc aut illud institutum, fundationes fecerunt; alias bona illa ac facultates comisissent vel ecclesiasticæ vel politicæ potestati, ad disponendum de illis pro lubitu earum. Illi vero, qui tunc et successu temporum ad utendum fruendumque bonis et facultatibus illis semel sunt legitime admissi, ius acquisitum habent, quo sine iniuria spoliari non possunt: siquidem corpus habent (manus licet mortuas hodie,) et de corpore sunt perinde ac alii in communitate cives, ad quos bona legitimo titulo devenerunt, sive illa ex prima fundatione sint, sive deinceps legitimo quocunque titulo acquisita. Si a fine fundationis deflexerunt, ad illum revocari possunt, neutiquam

*a)* Sess. XXV. c. 3.

neutiquam vero ad alium, quam a fundatoribus intentum destinari, aut alio quocunque demum modo de eorum sustentatione provideri: quin in solidum, non ex parte tantum, in possessionem immissi legitime, inviti illi deturbari nequeunt. Christi vicariis in terris illud hic accomodari potest, quod Christus *a)* illi, qui ab eo petiit, dicere fratri suo, ut dividat secum hæreditatem; *at ille dixit illi: Homo, quis me constituit iudicem, aut divisorem inter vos?* Eorum est invigilare et curare, ne alienentur, dissipentur, aut in alienum usum convertantur bona ecclesiastica, non ut ipsi faciant, quod ne ab aliis fiat, prospicere deberent. Punctatores demum id, quod ad hoc maxime attentionem excitare potest, ad calcem reservarunt: archiepiscopos nempe et episcopos posteaquam potentissimo Sac. Cæs. Maiestatis adiutorio in possessionem iurium suorum fuerint reducti, et a capitalibus adversus Romanam curiam gravaminibus liberati, tunc demum eos posse, secumque constituisse, quam primum emendationem disciplinæ Ecclesiæ per omnes partes communibus axiomatis suscipere ad profectum curæ animarum, ordinanda ea, quæ pro collegiis et monasteriis necessaria videbuntur, ad abusus radicitus evellendos.

Sed ante hæc adhuc, quæ pontificem attinent, tot ac tanta habent, quæ statuant, et quidem talia, ut memoria eorum excidisse videatur, quod principio edixerant, Romanum pontificem esse, ac manere superintendentem et primatem totius



a) Luc. XII. 13.

Ecclesiæ, centrum unitatis, atque ad hoc a Deo requisita iurisdictione instructum esse, catholicosque omnes semper eidem canonicam obedientiam cum plena reverentia debere. Nihil vero his obstantibus, facultates illas quinquennales (quibus nempe per singula quinquennia hactenus archiepiscopi et episcopi indulta quædam plura vel pauciora Roma petierunt, obtinueruntque) deinceps non solum non amplius esse requirenda, atque in iis, quæ facultates illæ continent, nisi obsint canonica obstacula, pro lubitu fore dispensandum; verum etiam dispensationes, quæ Roma obtinentur, pro nullis habendas fore, rotunde enunciant. Quod quid aliud est, quam pontificem omni potestate iurisdictionis, et auctoritate spoliare, dum mox etiam omnem vim et obligationem detrectant quibusvis Romanis bullis, brevibus, aliisque indultis papalibus, sine prævia episcoporum acceptatione: sine qua etiam nullæ declarationes, decisiones seu consulta et ordinationes Romanarum congregationum, quocunque nomine veniant, in Germania nullatenus recipiantur. Saluberrime institutæ sunt Romæ congregationes peritorum, atque in rebus, quæ ad munus suum attinent, versatorum vel ipso usu materiarum ac praxi de sacris ritibus, interpretatione conc. Trident. de propaganda fide: iam vero, quæ in istis congregationibus operose disquiruntur ac studiose, vel ideo, quod Roma veniant, reiecta sint? cum potius ob expensas etiam, quæ in his congregationibus, earumque collaboratoribus faciendæ sunt, non solum gratiæ agendæ, sed etiam habendæ sint in-

re

re merito Romanæ ſedi, huiusmodi pro tota Ecclesia in ſe ſuſcipienti curas et labores: quandoquidem ipſum conc. Baſileenſe, antequam huiusmodi congregationes eſſent inſtitutæ, loco annatarum proſpiciendum cenſuit Romanæ curiæ de ſubſidiis pecuniarum ob expenſas, in communem Eccleſiæ utilitatem Romæ fieri ſolitas. Id equidem epiſcoporum eſt, cum non omnia omnibus locorum et aliis circumſtantiis congruant, hoc perpendere in reſcriptis etiam pontificiis, bullis ac brevibus, ad decenter ſuggerendum pontifici, ſi quæ obſtacula aut difficultates ſingulares obveniant, prout dudum Alexander III. ad archiep. Ravennatem reſcripſit, habeturque a) in corpore iuris canonici: „ Qualitatem negotii, pro quo tibi ſcribi„ tur, diligenter conſiderans, aut mandatum no„ ſtrum diligenter adimpleas, aut per litteras „ tuas, quare adimplere non poſſis, rationabilem „ cauſam prætendas „. Rectæ hæc fiunt, ſi rite obſerventur leges communionis poteſtatis eccleſiaſticæ inter ſummos Eccleſiæ paſtores, pontificem et epiſcopos; qui tamen ſibi caveant præſertim in rebus maioris momenti, ſive ad diſciplinam univerſalem, imprimis vero dogmata et fidem Eccleſiæ, attinent, ne inde exempla ſumant, unde potius abſterreri debeant ipſo cleri Gallicani exemplo, qui hoc ſeculo ſatis iam perpendit, quam male prætextu libertatum Eccleſiæ Gallicanæ maiores ſui vergente ſeculo ſuperiore ſibi conſuluerint: quod valde verendum eſt, ne idem aliquando in Germania contingat. Antiquiſſima etiam

K 3 exempla

a) C. 5. de Reſcriptis.

exempla absterrere deberent episcoporum Asiaticorum in causa paschatis, et Africanorum in causa rebaptizationis hæreticorum: imprimis vero totius Ecclesiæ orientalis, paulatim in schisma collapsæ æmulatione sedis Romanæ: cuius iam igniculos quosdam in Cpolitanæ I. et Chalcedonensi conciliis generalibus, sed invito Occidente, ac reclamante sede Romana, deprehendere licet.

Pergunt Emsenses dictatores, quod modum dictatorium loquendi attinet, quem illi nec in papa loquente ex cathedra ferrent: Nunciaturæ, aiunt, in futurum omnino cessant. Vidimus hactenus eadem illos velut plenaria auctoritate suorum principum, Germaniæ metropolitanorum, complura capita ita pronunciasse, ac si decisæ res essent, atque definitæ: cum unum hactenus a tribus annis habiti congressus agitetur contra pontificem a quatuor archiepiscopis de Nuntiaturis; at longe aliter, quam a punctatoribus. Non diffitentur archipræsules, ius competere pontifici, Nuncios per orbem catholicum mittendi, quo utique functum munere ipsum S. Bonifacium M. Germaniæ apostolum non ignorant. Nec cum punctatoribus statuunt, Nuncios apostolicos nihil aliud esse posse quam legatos papales; largientes id pontifici, ubi de causa fidei catholicæ, unitate doctrinæ, evitando schismate in Ecclesia, aut aliis emergentibus gravioribus Ecclesiæ causis res agitur, posse a Romana sede mitti Nuncios, legatosque a latere; de perpetuis tantum Nuntiaturis est quæstio, quales a sec. XVI. in Germania esse cœperunt. Neque statim illi præiudicatam causam esse voluerunt, ac etiamnum volunt,

sunt, ut ex laudatis novissimis litteris Eminentissimi Electoris Moguntini ad suffraganeos suos et alios episcopos palam fit, quæ adhucdum ad rem conciliandam pacificeque transigendam cum pontifice præseferunt animum. Quod ut ex voto cedat consilium, eo ardentius apud Deum flagitant quique unitatis et pacis ecclesiasticæ atque communionis inter summos Ecclesiæ pastores, pontificem et episcopos, studiosi, quo dolentius coram cernunt afflictis animis, ob rem hanc universum imperium Romano-Germanicum commoveri. In spem vero conciliandorum Ecclesiæ hierarcharum eo fidentius erigimur, quo alieniorem optimi maximi pontificis animum esse, compertum est, a minuendis fratrum suorum episcoporum auctoritate ac iuribus, ut potius ea sarta tectaque voluerit, mittendo Monachium nuper Nuncium, prout litteris ad p. m. Lud. Iosephum episcopum Frisingensem est contestatus, ad cuius dioecesin pertinet Monachium Bavariæ metropolis: dum eidem Nuntio expresse in mandatis dedit, „ Ut sibi, „ scribit ad episcopum, tecum et cum aliis episco„ pis conveniret, utque omnium vestrum eam ip„ se haberet, quæ par est, rationem. Hunc in „ modum, nostræ voluntati Ecclesiæque et impe„ rii legibus obsequens, tibi proximiorem habe„ bis, qui nostro nomine defendat, et tueatur „ iura tua, et bene de ipsa religione mereberis, et „ populis eam conservabis utilitatem, quam S. Se„ des iisdem cum proprio etiam impendio præ„ stari per suos Nuncios curat, quorum utilitas „ ab ipso Hontheim admittitur, et fatetur in hi-

„ storia Trevirensi T. II. ad Differt. Seculi XVI. „ §. 10. p. 540 „. Non igitur tunc memoria Hontemii exciderat, qua se fide Romano pontifici iuramenti sacramento, dum episcopus ordinaretur, obstrinxerat.

Videbimus mox punctatores, ad nodum hunc Gordium animum advertentes, pro more suo superiores quibusvis, quæ nodum nectere possent, Alexandri M. gladio eum solvere. Is tamen illis præsto non est in proximis punctationibus, quæ rem beneficiariam spectant, in quibus imperator sanctam esse vult Concordatorum Germaniæ fidem; quod punctatores latere non potuit, cum eorum Congressum litteræ cæsareæ in hanc rem integro antecesserint anno. Primum de re beneficiaria caput quasi peremtorium perinde ac fere alia dictata Emsensium punctatorum, attinet beneficiorum pluralitatem, in qua dispensandi omnimodam potestatem penes episcopos esse, præcise decernunt, pseudodecretales iterum inclamantes: cuius imputationis falsitatem palam fecit iam citatus anonymus *a*) Thomasini verbis, *b*) qui ex a Costa observat, „ Ante Innocentium de pluralitate beneficiorum solitos episcopos dispensare. Enimvero inde manaverat, illa accumulandi, sine fine libido, cui Alexander III. mederi percupiit, nec „ potuisse se, professus est. Eas dispensationes apostolicæ sedi reservavit Innocentius III. et exinde rariores aliquamdiu fuerunt „. Factum id in concilio Lateranensi œcumenico, ut idem anonymus

*a*) Beleuchtung der Bad-Emf. punctationen. p. 63.
*b*) De benef. l. III. c. 7. n. 1.

nymus annotat, ſimulque quid deinde in eadem re proviſum ſit (dum etiam in diſpenſationibus pontificiis exceſſus fierent) in Lugdunenſi gen. conc. an. 1274. confirmato utroque decreto in conc. Tridentin. *a)* additis aliis ſaluberrimis in hac re cautelis *b)* magis adhuc conſtrictis Lateranenſis, et Lugdunenſis conc. decretis.

Porro quis non miretur, punctatores in ſubſequentibus punctationibus, varia Concordatorum Germaniæ capita ſpectantibus, Concordata illa, quæ *ex una et alia partibus Romanæ Eccleſiæ et dictæ nationis* (Germanicæ) *nominibus... hinc inde approbata, concluſa, acceptata, et concordata fuerunt* &c. levi reiicere brachio, atque ſubfodere. Idem porro fere fatum habere ſolent paſſim Concordata, quod Decretales, ut, quidquid querelæ eſt contra Romanam ſedem vel curiam, iisdem imputetur plerumque immerito ab iis, qui forte nec pſeudo-decretales, nec Concordata aſpexerunt oculis. Sunt, quæ per antiquos canones, vel antiquam conſuetudinem Eccleſiæ Romanæ reſervantur: quæ pleraque omnia tanquam primigenia iura ab aliis hierarchis reclamari nequeunt: ea e. c. quæ in Concordatis de confirmatione electionum tam abbatum quam epiſcoporum, de annatis et taxis Romanis, de reſervationibus, et menſibus papalibus habentur.

Acta primum res eſt in comitiis Moguntinis an. 1439. de quibus egimus ſupra cap. 42. cum



*a)* Seſſ. VII. c. 4. et 5. *b)* Seſſ. XXIV. c. 17.

illic legati conc. Basileens. adessent receptionem decretorum suorum flagitantes: „ Neque ( ut de „ hac re a) loquitur Iac. Abel ) in iis adoptandis „ studium suum desiderari passa fuit natio nostra. „ Potius in iisdem adhuc comitiis memorata Basi„ leensia decreta partim simpliciter, partim cum „ certis modificationibus singulari Ecclesiæ Ger„ manicæ bono magis adhuc attemperatis ab Al„ berti II. Romanorum regis oratoribus. . . accep„ tabantur, nullo papæ interventu „. Concordata illa ab Orixio et Würdtwein b) novissime edita. Nominatim vero Basileensia singula notantur decreta, quæ pro suo placito acceptanda sunt visa, repudiatis aliis. Unde fere accidit hic, quod factum in conventu Bituricensi a Gallis, ubi retractata pro libitu eadem Basileensia decreta. Id vero singulari divina providentia contigit, ut quæ præcipua Basileæ contra communionem potestatis ecclesiasticæ inter summos Ecclesiæ pastores ad divisum inter se reddendum regnum Christi in terris tam sæpe sunt actitata, locum in his Concordatis non acceperint. Imprimis enim non solum non acceptarunt decretum *suspensionis sanctissimi D. N. papæ, et aliorum, quæ illam suspensionem concernunt*: verum etiam *circa illud, et alia certa dicti S. concilii decreta stare* se velle, solemniter protestantur *in prioribus nationis Germanicæ protestationibus pridem factis, nec ab illis recedere, donec aliter duxerimus deliberandum*: atque adeo totam concilii auctoritatem proprio isti suo relinquunt arbitrio. Præiudicium quidem mox facere videntur, dum primo loco recensent

*decretum*

a) Disquis. de iure et off. summ. imp. tribun. &c. p. 57.
b) T. VII. subsid. diplom. n. XLII. p. 336.

*decretum per sacrum Constantiense concilium factum, et per sacrum Basileense concilium renovatum de auctoritate et potestate sacrorum generalium conciliorum, temporibusque et modis eadem convocandi et celebrandi, quod est primæ sessionis, et incipit:* „ Frequens generalium conciliorum celebra„ tio agri dominici præcipua cultura est„. Sed dum rem restringunt ad primam sessionem concilii Basileensis, eo ipso excludunt decreta sess. IV. et V. concilii Constantiensis, quæ cum cap. *Frequens* in sess. I. conc. Basileensis non coniunguntur; sed primum in sess. II. habetur, in concilio autem Constantiensi demum sess. XXXIX. legitur cap. *Frequens*, itaque a decretis sess. IV. et V. longe remotum. Infra quidem in iisdem Concordatis recipitur *Idem decretum* de collationibus beneficior. *in tricesima prima sessione, et incipit*, PLACUIT DIVINÆ PIETATI; in quo mentio fit aliqua decretorum sess. IV. et V. conc. Constant. sed satis prospectum est communioni potestatis ecclef. inter summos Ecclesiæ pastores, pontificem et episcopos, dum ex hoc cap. PLACUIT illa tantum ad rem esse Concordatorum, expresse notatur, quæ in illo habentur copiose *de collationibus beneficiorum.* Nec vel ipsis punctatoribus Emsensibus decreta illa conveniunt: quippe qui mox in fronte agnoscunt, pontificem esse centrum unitatis veræ utique ac orthodoxæ fidei, in una nempe sancta catholica et apostolica Ecclesia, atque adeo *in his, quæ pertinent ad fidem et exstirpationem schismatis:* quale schisma tempore conc. Constant. in ipsa Romana sede erat; quin tamen unitas fidei inter ca-

puc

put et membra Ecclesiæ fuerit concussa; imo in ipso concilio contra hæreticos egregie constabilita, uti semper alias, et nunc et deinceps constanter erit iuxta promissionem Christi: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*, in apostolis etiam collegio episcoporum Ecclesiæ catholicæ factam, non utique excluso Petro, Petrique legitimis successoribus in sede Romana: quod cum sit centrum unitatis, idque divina ordinatione, divina utique providentia fieri nequit, ut, qui est centro huic divinitus constituto conjunctus, a vera fide in Ecclesiæ unitate aberraret. Itaque hoc in tuto posito, reliqua in Concordatis illis principum an. 1439. ad constituendos ministros Ecclesiæ ac hierarchas, annatas et simoniam spectant: quæ ut robur acciperent a Romana sede, solemnis delegatio an. 1447. Romam, dum Germania ab an. 1437. neutralitatem amplexa esset, novum in Ecclesia monstrum, ad restituendam communionem missa est ad Eugenium IV. iam extremo morbo colluctantem. Quatuor, quas legati petierant, datis ab Eugenio bullis, ingenti totius urbis iubilo omnia visa sunt integritati ac concordiæ restituta, quodque dubietatis reliquerat salvatorium eodem datum die ab Eugenio, paulo post defuncto, ne quid sedi suæ præiudicaretur, id Nicolaus V. ipso electionis die, conventus a legatis, secundum leges communionis potestatis ecclesiasticæ inter summos Ecclesiæ pastores visus est animo optimo atque æquissimis sustulisse conditionibus: „ Ego (inquit) quæ cum „ natione Germanica meus antecessor fecit, non

„ solum

„ solum approbare, confirmareque volo, sed exe-
„ qui, et manutenere omnia. Nimis, ut mihi vi-
„ detur, Romani pontifices fimbrias suas exten-
„ derunt, qui nihil iurisdictionis cæteris episcopis
„ reliquerunt. Nimis quoque Basileenses aposto-
„ licæ sedis manus abbreviarunt. Sed ita evenit:
„ qui facit indigna, ut iniusta ferat, oportet. Ar-
„ borem, quæ in unam partem pependit, qui vo-
„ lunt erigere, in partem adversam trahunt. No-
„ bis sententia est, in partem sollicitudinis, qui
„ vocati sunt, episcopos suo iure minime spoliare.
„ Sic iurisdictionem nostram nos denique servatu-
„ ros speramus, si non usurpaverimus alienam:„
ut legitur apud Baluzium a) in relatione huius legationis ad Fridericum III. imp. facta ab Ænea Sylvio, cuius postea potissimum opera sequenti anno Concordata Aschaffenburgensia inter Romanam sedem et nationem Germanicam inita sunt an. 1448. adiecta in fine clausula: „ In aliis autem, quæ per
„ felicis recordationis D. Eugenium P. IV. pro
„ natione præfata usque ad tempus futuri conci-
„ lii generalis permissa, concessa, indulta atque
„ decreta, et per memoratum dominum nostrum
„ papam Nicolaum confirmata fuere in quantum
„ illa concordiæ præsenti non obviant, ista vice
„ nihil extitit immutatum „. Cuius clausulæ perinde ac ipsorum Concordatorum legalis interpretatio ad utramque paciscentium partem pertinet. Placet vero punctatoribus, ut quamdiu adhuc Concordata, quæ vellent abrogata, subsistunt, nec sibi natio Germanica aliter prospexerit, decreta Basileensia prout ea an. 1439. sub Alberto Moguntiæ sunt

a) T. VII. Miscell. p. 525.

ſunt recepta pro regula Concordatorum; ea vero, quæ in concordia Aſchaffenburgenſi (ut vocant) an. 1448. Romanæ ſedi interim ſint pacta iura, pro exceptione a regula ſint habenda: etſi hactenus, quando de Concordatis Germaniæ fuit ſermo, vulgo exiſtimatum fuiſſet, Aſchaffenburgenſia intelligi ceteris poſteriora, quibus perſuaſum fuit, priora eſſe antiquata. Oſtendit porro P. Zallwein *a*) quo damno epiſcoporum et capitulorum Concordata illa abrogarentur, dum forte metropolitani aliquid lucrarentur; ita ſcribens in ſede metropolitana rector academiæ Salisburgenſis. At cautiores hic quid intendant punctatores, obſcurum non eſt. Volunt vero interim, donec abrogentur Concordata, illa decreta Baſileenſia revocentur in uſum, quorum Barthelius a natione Germanica, *generoſa quadam reverentia*, ceſſionem factam fuiſſe, aſſerit. Hæc quidem ille ante, quam Orixius *Concordata nationis Germanicæ integra* in lucem protraxerat, ut tamen horum Concordatorum apud ſcriptores conſervata fuerit memoria: veluti ſec. XV. apud Aug. Patritium in hiſt. conc. Baſil. et Florent. apud Labbeum conc. T. XIII. et Harzhemium Conc. Germ. T. V. §. LXXXVI. apud Cochlæum ſec. XVI. in hiſt. Huſſitarum lib. IX. apud Oderic. Raynaldum ſec. XVII. in contin. Baronii editis quoque eam in rem bullis Eugenii IV. confirmatoriis: noſtro vero hoc ſec. a Baluzio T. VII. Miſcell. edita relatione de hac re ad Fridericum III. et in eiusdem imperatoris vita: quam Kollarius T. II. analectorum ex ipſo autographo

*a*) Princip. Iur. eccl. univ. et partic. Germ. T. III. Q. II. c. 3. p. 8.

pho auctiorem dedit. Post hæc Spittlerus, professor Göttinganus nuperrime probandum suscepit, decreta Basileensia in Germania auctoritate non amplius pollere: id quod disertis verbis Æneas Sylvius ad Mart. Mayerum cancell. Mogunt. perscripsit, ut apud Bzovium in Annal. eccles. T. XVII. p. 186. legere est his verbis: *Cum dicis decreta Basileensis concilii non custodiri, idque putas iniuriosum esse nationi, indignam dicimus esse querelam tuam. Propter decreta enim Basileensis concilii inter sedem apostolicam et nationem vestram dissidium cœpit, cum vos illa prorsus tenenda diceretis, apostolica vero sedes omnia reiiceret. Itaque fuit denique compositio facta, in qua nos imperatorio nomine interfuimus. Ea certam legem dedit, deinceps inviolabiliter observandam, per quam aliqua ex decretis concilii prædicti recepta videntur, aliqua reiecta.* Dicta hæc Æneæ ad Concordata Aschaffenburgensia pertinent, nulla priorum habita ratione. Atque ita etiam Spittlerus verba bullæ Eugenianæ, qua Concordata principum firmantur, interpretanda esse vult, ut confirmatio pontificia eatenus tantum valeat, donec aliter cum legato fuerit transactum. Quodsi vero subsit dubietas, ad pontificem utique magis saltem ut compaciscentem attineret verborum suorum interpretatio, quam æquitatem cernimus conspicuam hodie in doctore lutherano Spittlero, quem superiore anno refutandum adgressus est B. F. Mols. Idem dum alibi a) instituta quæstione: *An potestas episcoporum*

a) Untersuchung der Frage: In wie ferne streitigkeiten in der Teutschcatholischen Kirche zur Reichstaglichen berathschlagung geeignet seien? pag. ult.

*scoporum immediate sit a Deo?* asserit, historiam nimis clare contra archiepiscopos et episcopos loqui; quod nempe ecclesiæ nostræ Germanicæ status hactenus semper Romanus fuerit (*Unsere Kirchenverfassung war von ieher römisch*) non attendit, principiis protestanticis abductus, vel ob hanc ipsam originem ab Ecclesia Romana D. Petri, apostolicam esse ecclesiam Germanicam.

Concilium vero Basileense quod attinet, cuiusmodi illud fuerit, supra cap. XLII. depinximus, clero minore (potentia principum imperii quoque Germanici suffulto) ibi prædominante, dum inaudito anterioribus Ecclesiæ temporibus exemplo indiscriminatim eis datum fuit suffragii ius, frustra reclamantibus episcopis, paulatimque diffluentibus, maxime, dum concilium Florentinum instaurabatur, residuis plerisque tumultuarias sessiones deserentibus. In concilio Tridentino, in quo ordinis episcopalis dignitas restituta est, vix semel, nec nisi cum indignatione mentio conc. Basil. iniecta perhibetur. Quæ cum ita sint, consultumne sit ordini hierarchico, auctoritati eiuscemodi insistere? Problema vero esto, an non consimilis casus possibilis sit aliquando in nostra Germania per causas easdem, mutatis per provincias alias rerum aspectibus, qui in aliis eminus iam apparere videntur, conspicui quasi per speculum? An non similis etiam extra concilium abusus et arrogatio contingere queat eorum, qui perinde divinam a se acceptam semel in sacra ordinatione potestatem restringi, aut non posse aut non debere, conclamarent, dum iam particulares eiusce-

modi

modi percipiuntur, leguntur que susurri. Scopæ attamen dissolutæ facile quidem franguntur. Sed fabula non est, quod poetæ canunt experientia comprobatum, Iovis fulmina esse frondosis quercubus, quam siccis stipulis aut arundinibus infestiora. Quod nupero bello septennali actitatum est, eis, quorum interest, clam esse nequit, eum attinens, qui cum Triumviris iam in capite libri est: designata vero res inde est, unde novissimum fœdus principum auspicium cepit.

Sed ad punctatores denuo revertamur. Offendit hos quoque iuramenti formula in ordinatione ab episcopis præstari sueti Romano pontifici, quod iuramenti sacramentum non solum S. Bonifacius Germaniæ apostolus, dum in episcopum ordinatus fuit, ipse præstitit Gregorio II. P.; sed etiam ab aliis episcopis, ut iuramento sese constringerent Romanæ sedi, curavit. Non equidem iuramentum illud tunc in consuetudinem abiit, usque ad Gregorium VII. qui illud tum ab episcopis Italiæ, cum etiam Germaniæ in schisma prolapsis exegit. Fuit porro successu temporis aucta iuramenti huius formula; sed nihil obstitit hactenus, quominus eo iuramento obstricti hierarchæ Germaniæ imperii principes utrique statui, quod suum erat, redderent omnes ad præsentem usque diem. Florens apud Thomasinum *a)* ad tit. 8. Decretal. observavit, horum sacramentorum formulis, quæ ibi recensentur, inserta esse capita, quæ suspicantur aliqui ex natura et lege feudorum esse. „ Sed ea sacramenta ( subdit Thomasinus ) feudis non pau-



*a)* De benef. P. II. l. II. c. 46. n. 13.

„ lo antiquiora, simillimum veri est, quanquam „ nec inter doctos constet de origine initiisque „ feudorum „. Sed hactenus nihil sinistri in mentem venit de formula illa iuramenti, prout per totum orbem catholicum typis vulgata in libris ritualibus habetur, eadem integerrima fide et religione ab omnium nationum episcopis præstito iuxta illam sacramento. Videntur punctatores, ubi de annatis atque pecuniis, quas archiepiscopi pro pallio Romam mittunt, cothurnum aliquantum seponere, nec tam præcise totam, quanta res est, pontifici rotunde denegare: prout quidem in concilio Basileensi nomen potius, quam res, abrogatum fuerat: voluntque rerum gnari recompensationis modum, qui propositus fuerat, si non maioris, haud saltem minoris pretii futurum fuisse. Siquidem ibi pro oneribus, quæ summum pontificem pro regimine universalis Ecclesiæ subire oportet, proque sustentatione S. R. E. cardinalium, et aliorum necessariorum officialium, sedi pontificiæ congruum subsidium ante dissolutionem concilii assignandum promittebatur, et in eventum provisorie assignabatur. Sed hæc qualiacunque sunt, quoad præstationes eiuscemodi faciendas, altioris subsellii sunt, inter summos Ecclesiæ pastores transigenda, ut initis necessitatis, æquitatisque rationibus, ratio decoris sine nota dedecoris habeatur. Agebatur Basileæ, et deinceps etiam non semel in SS. concilio Tridentino a legatis cæsareis de numero cardinalium minuendo, atque reducendo ad numerum viginti quatuor, cui imperator duos adhuc, conformiter decreto Basileensi, saltem iungebat: qua

ratione

ratione parceretur sumtibus faciendis pro eorum dignitate et splendore, qui hactenus tum Romæ cum alibi in catholico orbe fuit conservatus. Sed enim in ipsa papali aula, et curia non deprehenditur fastus cum luxu illo coniunctus, quo vetus Roma profana diffluens periit. Non illic pretiosus et numerosus aulæ vel aulicorum apparatus: non ibi pompa secularis aut prodigalitas in ludis aut lusibus, luxus in conviviis, nec venatica exercetur. Est ibi pompa ac ornatus, sed religiosus; pretiosa suppellex auri, argenti, serici, sed in templo; ibique aulæa pretiosiora, quam in aula: ubi pontifex sibi et Ecclesiæ vivit solitarius, per urbem officiales negotiis religionis pro Ecclesia distenti per gradus varios quidem, ac dignitates, quibus congrua merces et auctoramentum præstetur. Cum sess. XXIV. *de Reformat.* iniecta de expensis Romam faciendis in episcoporum confirmatione, ac de annatis in SS. Trident. conc. ageretur, episcopus Neuceriensis dixit: *Reum esse læsæ maiestatis, qui negat, principi laico tributa solvenda; gravius illum errare, qui neget, esse pontifici solvendos ab ecclesiis fructus, omni iure debitos.* Miri hodie post punctatores in sparsis undique schediasmatis fiunt clamores et computationes immodicarum expensarum, ac quasi immensarum summarum Romam faciendarum pro dispensationibus, annatis, palliis; cuiusmodi computus pro ingenio confingunt etiam per secula. Sicut nonnemo per 280. annos milliones computavit. Ostendit vero anonymus quidam a) ea ipsa computatione quotannis

 vix

a) Historische Bemerkungen über das sogenannte Resultat des Emsercongresses 47.

vix pendi Romam pretium unius beneficii canonici in Germania. Sed hæc præfiscine dicta sunto, relicta altiori, ut diximus, ad librandas, moderandasque rationes iudicio: salvo utrinque ac integro decore, honorisque ac honestatis existimatione. Sunt, qui iterum hic pseudodecretales inducant, Pelagii decretali in medium prolata; quidam etiam, quod Pallium attinet, indignantur punctatoribus, quod ornatum hunc suorum hierarcharum non penitus excusserint humeris; quem tamen, antequam pseudodecretales in lucem productæ fuerint, S. Bonifacius M. Germaniæ apostolus a Gregorio III. P. acceptum tam reverenter accepit.

Ex iis, quæ passim in hoc opere de pseudodecretalibus a primo eorum ortu in Germania diximus, palam fit, latiorem eas explicasse campum in appellationibus ad Romanam sedem, rerum hierarchicarum, seu hierarcharum (quod spectata eorum dependentia a R. P., quæ non negatur in supplendis defectibus et negligentia prælatorum, quid sit, nemo non videt, utra ex parte excessus fiant, aut præsertim hodie timeri possint) quod est postremum punctatorum Emsensium caput: in quo illi tales rationes ineunt, quæ ad separationem nimiam hierarchiæ patriæ a Romana sede in caussis ecclesiasticis vergant, atque adeo ad subfodiendam communionem potestatis ecclesiasticæ inter summos Ecclesiæ pastores, pontificem et episcopos, fomitem dare possunt, quæ ab ipso Christo instituta, ab incunabulis Ecclesiæ semper sese conspicuam reddidit, ut hucusque videre licuit.

Non

Non equidem caput aliquod fidei apud nos in Germania attingitur: neque ea omnia in scenam producunrur, quæ nemo, nisi familiarius Italis Romæ etiam consueverit, sibi in animum inducere potuisset, fore, ut in ipsa Italia, haud procul ab urbe Roma sede apostolica iterum hodie moverentur, quæ superiore seculo non solum communionem inter summos Ecclesiæ pastores, verum etiam fidem ipsam in controversiis Iansenisticis concusserunt. Quas vero controversias in Gallia inter summos gaudemus Ecclesiæ pastores consopitas, videre est in magno Hetruriæ ducatu revocatas iterum efferbuisse, commotas contentione cleri numerosi tam secularis quam regularis, auspiciis principis congregati in synodo Pistoiacensi cum suo episcopo, paucis aliis colludentibus, dum reliquus Italiæ ordo hierarchicus, lata quoque nuperrime sententia contra Pistoiac. in frequenti metropol. synodo regni Sardiniæ, conspirat cum hierarchis Hetruriæ, qui in conventu Florent. nubes illas dispulerunt, ut speramus, averteruntque Iovis illa fulmina, sedata tempestate, qua pars adversa in turbido remigare tentabat, ad disturbandam in Ecclesiæ capite communionem potestatis ecclesiasticæ inter summos Ecclesiæ pastores pontificem et episcopos. Fuit et in causa Pistoiacensi efficax Christi pro apostolis suis Patrem rogantis: *ut sint unum*, oratio, in eo quoque, quod circa iura hierarchica summorum Ecclesiæ pastorum pontificis et episcoporum fuit disceptatum variis etiam Patrum in conventu Florentino studiis, archiepiscopo Pisano eorum sententiam, quod dispensationes R. P.

reservatas attinet, eo flectente, ut ad pontificem recurreretur: quod hactenus facere per facultates quinquennales consueverunt hierarchæ Germaniæ: nec hodiedum punctatores Emsenses in hac re præiudicium, quod intenderunt, facere valuerunt: eas quippe renovari fecit Moguntinus: obtentæ vero a Coloniensi an. 1784. necdum hodie penitus exspirarunt: id quod de Trevirensi inde præsumitur, dum is facultates has pro dicecesi Augustana, cum utrobique eadem sit ratio, petiit; neque secus de Salisburgensi in re præsertim sacramentaria persuasi sumus. Et siquidem divina pietas mentes archihierarcharum eo inflexit, ne in tot aliis capitibus a punctatoribus in transversum agerentur; idem de divina providentia confidimus fore, ut in controverso adhuc negotio de Nuntiis apostolicis idem feliciter eveniat; dum iam percepimus ex Pii VI. P. M. epistola p. 151. quam is promto sit animo, tueri potius, quam quidquam derogare episcopalibus iuribus. Id quod *animo pacifico*, ut verbis S. Basilii in simili causa utar, *dignum est, non unum quidem coniungere, aliud vero disiungere, sed ad eam coniunctionem, quæ prior extitit, ea, quæ sunt separata, reducere.* Fuit hoc argumentum singularis libri a me lucubrati ante triginta annos, dum eminus tantum prospicere liceret (ex iis potius, quæ in vicina Gallia potissimum a vergente ad finem seculo præterito actitata sunt, quam domesticis exemplis, dum apud nos perinde ac in Italia, Hispania et reliquo orbe catholico sibi coniunctissima erat hierarchia) semina illa schismatis, lites et contentio-

nes,

nes, quas hodie coram cernimus inter summos Ecclesiæ pastores, pontificem et hierarchas Germaniæ exasperatas a curialistis, qui in curia et curialistis Romanis carpunt non raro acerrime, ac reprehendunt, insuper odiose pontificum et curiæ pontificiæ facta male vertunt quævis, ac talia, quæ a semetipsis sæpe patrata non animadvertunt. Nescio vero, an simul fuerunt unquam tot ac tanta, quanta uno veluti profusa halitu sunt accumulata a punctatoribus capita controversa, ad disturbandam communionem inter summos Ecclesiæ pastores, pontificem et episcopos simul cum capite centro unitatis collegium apostolorum in ordine hierarchico Ecclesiæ catholicæ repræsentantes, unione illa, pro qua Christus in ultima ante passionem oratione rogavit Patrem: *ut sint unum.* Elongant vero isti enormi punctationum adversarum numero spem, quam bonus quisque tanquam certam conceperat, ex promta ipsorum archihierarcharum voluntate, quam ad conciliationem cum sede apostolica hactenus præsetulerunt. Absit vero in Ecclesia sancta pseudopoliticum illud: pete iniquum, ut obtineas iustum, quod forte in mente habitum excusationis loco prætendi queat a punctatoribus.

Putant, illi causam suorum hierarcharum agere, dum contra eam Ecclesiam, ad quam, iudicio S. Irenæi M., quem primum in plaga Occidentis a nobis non admodum remotæ Ecclesiæ Lugdunensis hierarcham reveremur, qui cathedram suam suo sanguine pro Christo consecravit: ad quam, inquam, ex sententia sancti martyris et pontificis propter maiorem principalitatem necesse est omnem

Ecclesiam convenire, quod et ipse Romam concedens, et post eum innumeri hierarchæ fecerunt prima Ecclesiæ ætate ex florentissima tunc potissimum orientali Ecclesia, inviolabilem non solum illic fidei integritatem haurientes, sed etiam tutum in suis caussis perfugium et tutelam, quod quam sacrosanctum tunc fuerit illic terrarum, unus ex his S. Athanasius, qui unice apud Romanam sedem undique ab utraque potestate apud suos, ecclesiastica et politica exagitatus, asylum reperit, testatus: *a fratribus definitum esse consonanter, ut vestra*, sic Iulium P. compellat, *sancta Romana interpelletur sedes, cui ab ipso Domino potestas ligandi et solvendi speciali privilegio super alias concessa est.* Hanc potestatem pleno illa semper iure per Ecclesiam catholicam exercuit per se atque per suos apocrysiarios, legatos seu Nuntios, in caussis præsertim episcoporum, et aliis, quas maiores vocare postea mos fuit, quarum iudicium nec concilium Basileense Romanæ sedi ausum est detrahere, ipso nuperrime rem agnoscente Iosepho II. atque etiam Febronio, ut apud Iac. Abel ea in disquisitione, qua in novissimis controversiis contra Nuntios calamum strinxit, notatur mox *a*) in exordio, et postea *b*) circa finem: „ Ad „ harum (inquit) caussarum cognitionem discus„ sionemque S. Pontifex utique pro arbitrio Nun„ tios pontificios delegare potest, neque ulli „ Germanorum in mentem veniet, contradicto„ rem se opponere. Sic recens memoria est pro„ cessus informativi occasione novissimæ coadiu-

„ toriæ

*a*) §. 1. *b*) §. 139.

„ toriæ Moguntinæ ex delegatione S. pontificis „ a nominato in partibus Rheni inferioris Nuntio D. Pacca, nemine contradicente formati „.

Eſt hic illuſtriſſimus, novum exoriens in cœlo hierarchico primæ magnitudinis ſidus Car. Theodorus B. de Dalberg, qui in ſpem maximam proximi quam maxime ſeculi anno præterito etiam in coadiutorem Celſ. epiſcopi Conſtantienſis eſt electus, cui adeo, ut eram hactenus divinarum dotum admirator, ita deinceps ut Ordinario in diœceſi Conſtantienſi et metropolitæ in archidiœceſi Moguntina duplici vinculo integerrimæ obſervantiæ et obedientiæ obſtrictus, non ſolum mihi, ſed Eccleſiæ cumprimis gratulor, ſecurus iam vel ex eo, quod modo retulimus felici omine, fore ut integram inter ſummos Eccleſiæ paſtores, pontificem et epiſcopos, reſtituat harmoniam tantopere hodie a pragmaticis noſtri ævi illis laceſſitam, qui dum in cauſis contentioſis fere ætatem terunt, aſſueſcunt, in ſcirpo etiam nodum quærere, ſummos quoque hierarchas ſecum committendo.

Quales hactenus punctatores Emſenſes ſumus perſecuti in ſuo Reſultato, ut vocant, ad extremum iam caput delatos de cauſis fori eccleſiaſtici contentioſi, Nuntiis apoſtolicis (hic nullo facto diſcrimine extraordinariorum, vel ordinariorum ſeu perpetuorum, de quibus ſolis modo controverſia agitur) omnem prorſus iuris dicendi facultatem abnegantes: tum vero novum quoddam tribunal molientes, quod provinciale ſynodale iu-

dicium appellant, synodi nomine hic abutentes, dum in provincialibus synodis episcopis tantum semper fuit locus, apostolorum in collegio ac propria persona successoribus. Alias difficultates huius rei ob oculos posuit Christ. Reinfeld hyperaspistes licet conventus Emsensis; ut tamen integrum illud sit, quod de iudicibus in partibus pro tertia instantia constituendis etiam in SS. Concilio Tridentino *a*) decretum est. Cui tantum abest, ut Romana sedes refragaretur, ut etiam Benedictus XIV. an. 1741. facultatem illam ampliaverit, quam concilium Tridentinum ea conditione dedit, ut iudices illi a conciliis provincialibus constituantur, in quorum restituendorum studio exemplum præclarum sese præbet S. Bonifacius Germanorum apostolus: qui id omni conatu viribusque egit, fategitque.

Iam meminimus, promittere punctatores, (quos vidimus hactenus dictatum, qualis falso adscribitur Gregorio VII. ex adverso sibi usurpasse) postquam archiepiscopi et episcopi potentissima C. M. tutela in possessionem iurium restituti fuerint divina ordinatione sibi competentium, et a præcipuis gravaminibus contra Romanam curiam liberati, tunc se emendationi disciplinæ operam dare, apud se constituisse, in omnibus suis partibus, cura nimirum animarum, reformatione collegiorum et monasteriorum suscipienda, et abusibus radicitus tollendis. Anne, ut hæc Athlantico profecto labore effectum eant, anne conducibile erit, si prius non solum in generalibus disciplinæ ecclesiasticæ

*a*) Seff. XXV. de Reform. c. 10.

ſiaſticæ capitibus, verum etiam in ſacramentis, et votis Deo ſolemniter factis, ordinibus ſacris, et ſtatui religioſo annexis, indiſcriminatim omnibus epiſcopis diſpenſandi licentia facta fuerit? Cum contrariam e diametro ob rationem huiusmodi reſervationes a pontificibus, conciliis, generali præſertim Tridentino factæ fuerint. An ritus in Eccleſia, aliaque diſciplinæ capita maiorem firmitatem conformitatemque habebunt, ſi cuilibet epiſcopo integrum fuerit, ac liberum de illis diſponere? An non ſacroſanctius eſt, ac integrius, quod egit Tridentinum concilium in ſuis definitionibus de fide, moribus, et diſciplina, tam contra hæreticos, quam etiam diſcolos, refragarios &c. inter fideles, his præſertim depravatiſſimis, ad omnem diſſolutionem, libertiniſmum, et irreligionem proclivibus temporibus? Quid vero ſi abiectis Congregationibus in hunc finem Romæ inſtitutis, poſthabitaque Romanæ ſedis auctoritate, quilibet epiſcopus, imo pro noſtræ ætatis licentia ac libertate, ſublata quin imo vix non epiſcopali ipſa poteſtate auctoritateque, quivis alius quidvis ſtatuat apud ſe, et agat pro lubitu?

Gravamina vero contra Romanam ſedem, dum cauſantur, eorum præcipuum mox dicunt punctatores, ipſa eſſe Germaniæ Concordata, quibus in exequendis iuribus fuerint hierarchæ cæteri impediti, ipſumque SS. Tridentinum concilium hic incuſant: cum tamen ex articulis illis a legatis Ferdinandi a natione Germanica concilio oblatis, quæ apud Lunigium *a)* leguntur, nihil de his habeatur,

ut

*a)* Spicil. eccl. P. I. p. 490. ſeqq.

ut sæpe laudatus anonymus notavit, observavitque *a*) ex celebri Barthelio, clausulam illam in Concordatis, *nisi in futuro concilio de consensu nationis aliter fuerit ordinatum*, haud eum ob finem appositam fuisse, ac si a generali concilio mitigationem in reservationibus vel annatis exspectarent, sed ne vel papa per se, aut cum concilio, in quo forte nullus aut pauci episcopi Germaniæ adessent, sine nationis consensu adversus Concordata aliquid statuat vel addendo, vel demendo. Quid? quod Orixius consiliarius et professor Moguntinus dicat, clausulam illam spectasse tantum concilium ab Eugenio IV. ob alia nationis Germanicæ gravamina promissum. Vel hinc vero patet, quam lubricum sit, dum punctatores et quidem in termino duorum annorum concilium saltem nationale ad tollenda gravamina cogunt, aut ut per imperium ipsum prospiciatur. Quo utroque casu utraque pars conveniat, necesse erit, mutua auctoritate mutua pacta dissolvendo. Ubi utique integrum erit pontifici, sua quoque proferre gravamina: quæ iudicio doctorum etiam Germanorum a studio partium alienorum modica haud erunt. Id quod de novissimis his temporibus nemo æquus facile inficias ierit. Quid vero in concilio etiam generali (dum nationale, nisi pontifice accedente, partiale foret,) futurum esset in systemate punctatorum, vel inde divinare quadantenus licet, quod factum est tempore concilii Tridentini in causa Protestantium pontificem tanquam partialem inter iudices in concilio detrectantium. Ne quid dicam,

*a*) Beleuchtung der Bad-Emsischen punctation p. 77.

cam, quid in ipsa Ecclesia futurum sit, posthabita communione inter summos Ecclesiæ pastores, pontificem et episcopos: quando tot capita Ecclesiæ erunt, quot episcopi invicem independentes (neque enim metropolitæ arrogant ultra usus receptos aliquid sibi, vel arrogare possunt iuxta principia et declarationem punctatorum, qui initio statim omnia ad formam normamque primorum Ecclesiæ seculorum revocanda volunt) dum quilibet dispensat ac disponit de legibus, ac inolitis consuetudinibus Ecclesiæ soluta dependentia inter se et cum Romana Ecclesia matre Ecclesiæ Germanicæ, tum particulariter quoque iure patriarchali obstrictæ, iure quidem humano, quo nec eget R. S. quidem, dum iure divino tenet primatum Ecclesiæ universæ. Quid vero demum illud, quod punctatores (statuta licet veluti mutua hierarcharum independentia) ac si in ipsos omnes archiepiscopi compromiserint, passim eorum omnium nomine sciscant, transigant, decernant, definiant; dum tamen nec in uno capite integre et totaliter eis cum suis ipsismet conveniat archihierarchis; ut ostendimus de ipsis etiam Nuntiaturis, maxime perpetuis, quam causam solam illi apud comitia imperii urgent et prosequuntur? Qua quæso fronte episcoporum sibi nomen et auctoritatem usurpare ausi sunt? Unus ex illis est hactenus Aug. comes de Styrum episcopus Spirensis qui mentem suam candide et aperte, quod conventum Emsensem attinet, declaravit epistola ad Em. Electorem Moguntinum data, quam hic recensere ad rem est, nuper typis editam, mox in ipsa fron-

te

ſtitutis, ea demi pontifici non poſſe: ſi vero ſint iura controverſa, ea ipſo facto demi non poſſe, ſed non ſolum debite pontifici eſſe faciendam remonſtrationem; verum etiam dum fit diſcuſſio, a poſſeſſione ſua pontificem deiici non poſſe, eo quod parti alteri aliter quam pontifici videatur; inde vel minime, quo hodie ſedis Romanæ auctoritas preſſa ſit, et deprimatur. Quodſi papæ ius decidendi non ſit integrum, cum ſit caput Eccleſiæ, quomodo hoc ius adverſa pars arroget? Cum nec in concilio œcumenico aliquid niſi in unione et conſenſione pontificis cum epiſcopis confici queat, ac definiri. Affertur ibi ad calcem paginæ *a*) extractus literarum Vicariatus Argentoratenſis conſulti in hac re a Vicariatu Spirenſi an. 1787. huiuscemodi: „ Ingenue nobis fatendum eſt, nos „ in illis (punctis Emſenſibus) paucis tantum „ paſſibus exceptis tam nova, tamque dura inve- „ niſſe, ut, ſi admitterentur, non ſolum omnia „ ſusque deque in hierarchia verterentur, ſed etiam „ ingratiſſimæ ſequelæ exitusque pro republica „ chriſtiana infeliciſſimi pertimeſcendi ſint „. Epiſcopus Spirenſis huiusmodi ingratiſſimas ſequelas ex utriusque reipublicæ ſtatu hodierno mox initio epiſtolæ ſtrenue proſecutus, ad ſingularia dein progreſſus, quid ſibi emendandum videatur, etiam ſubinde aperit: e. g. de tollenda exemptione tam ſecularium quam regularium, tam quoad diſciplinam externam quam internam, ut tamen nexus, et ſubordinatio cum exteris ſuperioribus generalibus ordinum permaneat; quod utique dicit ſup-

poſita

*a*) p. 21.

posita amicabili conventione cum Romana sede: religiosos etiam sibi necessarios esse, dicit, ad subsidium in cura animarum, in qua concilium Tridentinum omnes religiosos episcopis, non obstante exemptione, subiicit. Dispensationes vero in præceptis abstinentiæ et ieiunii, in cœlibatu ordinum superiorum, ac votis religiosorum si episcopis permitterentur, agnoscit Spirensis, unitatem seu uniformitatem, in re disciplinari maximi momenti, concuti: consultum vero existimat, ut communi opera agatur apud Romanum pontificem pro minuendis diebus abstinentiæ, præsertim sabbati. Piarum autem fundationum mutationem episcopis relinqui, nequaquam consultum ducit; ut tamen bullæ et brevia, declarationesque congregationum ante episcopi acceptationem non publicentur. Nuntiis apostolicis, sciscit, non omnem iurisdictionem denegari posse ex ipso quoque imperatoris placito, tantum ne iurisdictioni ordinariæ episcoporum præiudicent, iuxta ac pontifex promisit de nova Nuntiatura Monacensi: Notarios apostolicos immatriculari apud curiam episcopalem, cupit. In pluralitate autem beneficiorum ut facultas dispensandi episcopis relinquatur, eo minus consultum putat, quo certius illæ multiplicarentur ex multis, quas affert, rationibus; optat vero, ut a Romano pontifice non nisi raro concedantur. Miratur porro, quod Emsenses punctatores, qui alias huiusmodi res, quæ hactenus ad Rom. P. dispensandæ conferendæque pertinebant, extorqueant, eidem brevia eligibilitatis relinquant, ex rationibus tamen facile divinandis. Quoad col-

lationes dignitatum maiorum post pontificalem, menses papales, via facti procedendum negat: abestque ab ista sententia, quoad annatas et pallia a cæsare aut concilio nationali solo remedium afferri posse. Dependentiam porro episcoporum ab archiepiscopis moderandam potius, quam augendam vult. Iudicium autem, ut vocant, provinciale synodale omnino reiicit, nec hic quoad appellationes in synodalibus aliquid mutandum existimat; nec demum abusuum emendationem usque ad restitutionem episcopalium iurium primitivorum, qualia esse punctatores opinentur, procrastinandam esse. Speciminis hæc loco sunto compromissi hierarchiæ Germanicæ in personas punctatorum Emsensium. Sunt tamen isti, qui ad calcem totius nationis Germanicæ votum depromunt, ut interventu S. C. M. apud pontificem, quandoquidem sacrosanctum concilium Tridentinum œcumenicum ipsis non satisfacit, promissum in Concordatis concilium ad minimum nationale in termino ad summum duorum annorum ab an. 1786. fixo cogatur.

Unum adhuc, quod bonum quemque ad causam agendam, suscipiendamque defensionem Romanæ sedis merito animare debet, ex apologista mox memorato epistolæ episcopi Spirensis animadvertendum est, hodiernis scriptoribus passim ea, quæ apud alios in eadem occasione et argumento festucam dicerent, dum de Romana curia res est, trabem videri. Idque cumprimis offendit, et offensionibus, præsertim autem scandalo pusillorum locum dat: quod quidquid a seculis actum fe-

re

re a tot summis pontificibus ( non plerisque solo nomine sanctissimis ) eorumque curia fuerat, zelo potius honoris proprii, quam divini tribuatur, ambitionique magis dilatandæ, quam ex officio exercendæ potestatis. Ex horum numero eximendus non est anonymus ille, contra quem scripta est apologia illa epistolæ episc. Spirensis: cui geminus est, qui eodem anno præterito historiam appellationum apud tribunalia ecclesiastica edidit, et tot alii, qui quævis dicta et facta pontificum in deteriorem partem accipiunt, exaggerant, exagitantque; atque ea singula omni studio in apricum producunt, quibus eorum famæ aliquid detractum iri intelligunt. Iuvat hic adscribere, quæ ex ipsis Protestantibus recensor duorum huiusmodi librorum in Ephemeridibus Gottinganis *a*) præterito anno insolentiæ huius pertæsus annotavit.

 Attinent

*a*) Götting. Anzeige 39. Stuk, den 8. Merz 1788. Seite 388. Einmal solte bey einer neuen Geschichte des Pabstthums das Absehen nicht mehr blos darauf genohmen werden, die Unrechtmässigkeit der Römischen Gewalt und die Grundlosigkeit der Päbstlichen Anmassungen durch historische Darstellung der Mittel zu zeigen, wodurch sich die Päbste jene zu verschaffen, und diese zu behaupten wussten. Gezeiget muss und kann dies immer noch werden; ja es muss der Natur der Sache nach immer noch Hauptgeschäft der Geschichte seyn; aber jezt sollte sie sichs nicht mehr zum einzigen Geschäft machen, und nicht mehr blos darauf ausgehen, in jedem Umstand, der zur Vergrösserung der Römischen Macht etwas beytrug, einen neuen Beweis von Herrschsucht, Vergrösserungssucht oder gar Raubsucht der Römischen Bischöfe zu finden. Jezt wäre es einmal Zeit, auch unpartheyisch ins Licht zu setzen, wie doch auch die Päbste manchmal durch bloses Glück zu einem Zuwachs von Gewalt kamen, an den sie selbst nicht gedacht hatten, wie sie zu anderen Zeiten durch einen Zusammenfluss von äusseren Umständen unwidersteh-

Attinent hæc potissimum tempora, de quibus notatus modo anonymus ille verba faciens scriptor catholicus verba illa poetæ aptare non exhorruit Romanæ curiæ: *Monstrum horrendum, informe, ingens.* Quantopere nunc, quæso, passim paratragediantur de summa illa duorum millium florenorum Rhenensium, de quibus Æneas Sylvius apud Kollarium in *Analectis monumentorum omnis ævi Vindob. a)* quam ad expugnandos animos consiliariorum Moguntin. *bono animo cæsar solvit:* ac Nicolaus P. postea quidem per Æneam Sylvium remisit. „ Hi ergo (pergit ille) consiliarii, non „ veritatis amore, sed acri dulcedine pellecti ar„ chiepiscopum Moguntinum ad voluntatem cæ„ saris inclinabant. Sed nolebat pontifex ille iu„ ratum fœdus abrumpere sine causa iusta, quæ„ rebatque modos honestiores „.

Mirum in modum exacerbantur violationes Concordatorum, de quibus cæteroquin tam luculenta tot pontificum habentur, quam mente alieni ab ea re fuerint, testimonia: quorum nonnulla legere

lich gereizt wurden, Forderungen zu machen, auf welche sie sonst nie gekommen seyn würdeu, und wie sie wider zu andern Zeiten zu ihren scheinbar gewaltthätigsten und übermüthigsten Schritten durch die dringendste Nothwendigkeit und durch das erste aller Gesetze, das Gesetz der Selbsterhaltung, gezwungen wurden: Vorzüglich sollte aber auch gezeigt werden, wie manchmal nicht nur der Geist, sondern auch das Interesse des Zeitakers, nicht nur die Einfalt, londern auch der Vortheil der übrigen Gesellschaft, oft der Vortheil der bürgerlichen, wie der kirchlichen Gesellschaft, ihre Anmasungen begünstigte, und eben damit ihre Behauptung erleichterte.

a) T. II. p. 122.

legere est apud ipsum Orixium. *a*) Negari nequit, querelas passim in eam rem fuisse factas a proceribus imperii, ipsam etiam in Capitulationem cæsaream illatas. Ubi tamen id prætereundum haud est, quod, cum an. 1663. de perpetua formula Capitulationis cæs. ageretur, etiam insertas illas fuisse Capitulationi illi perpetuæ querelas. Cuiusmodi alia eiusdem Capitulationis capita, ex usu potius quam veritate in Capitulationibus hactenus fuisse conservata, iam ab aliis sunt notata. Cæterum violationes factas fuisse, haud ideo negaverim, ex supposito etiam aliquando illo falso, privilegia in illis contineri pontificia. Non ita multo tamen post Concordata inita Calixtus III. an. 1457. ad Fridericum III. excusationem affert, quæ in eiuscemodi casibus deinceps potuit habere haud infrequenter locum: „ Non sumus, ( inquit, ) me„ mores aliquid a nobis concessum contra Concor„ data prædicta. Quodsi quid tale factum est, ut „ sæpe in multitudine litterarum ac negotiorum „ aliqua transeunt neque bene gesta, neque revi„ sa, non est intentionis nostræ, Concordatis ip„ sis contravenire „. Nihil vero proclivius fuit, quam a Nuntiis apostolicis per regiones longinquas dispersis variis excedi modis, ac usurpationes fieri. Unde tot contra eos non paucos a seculis querelæ acerbæ haud raro ac comminatoriæ, ut nec minis tantum in eos res steterit violatæ inter sacerdotium et imperium concordiæ temporibus. Ea hodiedum omnia, novis exemplis ad posteros transmissis, plenis buccis in apricum deducta, in



*a*) Concordata nat. Germ. integra T. I. p. 25. &c.

invidiam iusque vocantur. At enimvero hodiernus pontifex Pius VI. ad episcopum Frisingensem scribens, certum eum esse vult: „ Siquis forte „ abusus oriretur, et siquæ proveniret iurium ad „ archiepiscopos, episcopos et principes imperii „ spectantium violatio, promtos nos paratosque „ fore, ad eos auctoritate nostra tollendos „. Non possum non hic ingenuo viri Protestantis eruditissimi B. de Senckenberg testimonio locum dare, quod in sua methodo iurisprudentiæ nobis reliquit *a)* „ Ecclesia Romana (ait) mater christiano„ rum, et orbis inprimis Germanici benignissima, „ data sua sacra auctoritate semper benigne tulit, „ siquis iura sua, ea, qua par est, modestia con„ servare niteretur. Non opus ergo, nec condu„ cit etiam, ut convellantur omnia, ut nexus et „ Ecclesiæ, et imperio utilis ac necessarius dissol„ vatur. Oportet ordinem esse inter christianos, „ oportet esse caput, quod regat; non alius huic „ regimini magis aptus, quam Christi vicarius, „ beatum Petrum continua successione referens. „ Is ab omni ævo ea fuit æquitate, ut oves suas „ balantes exaudiret, ut gravaminibus mederetur. „ Non renixum certe novimus Hadrianum pont. „ M. cum Carolus Magnus non omnia eius po„ stulata admitteret. Transactionem de investitu„ ris conflavit Calixtus II. in quamplurimis Fri„ derico I. cessit Alexander III. nec in cunctis ob„ streperos pontifices experti Philippus et Fride„ ricus, donec ultimus plane ab ipsa fide decli„ nasse crederetur. Summa quæque consecuti sunt „ Rudolphus I. et Heinricus VII. Usurus erat æquo

„ pontifice

a) Addit. IV. §. 3. p. 172.

„ pontifice Ludovicus IV. si sua tantum vindicatum ivisset, et ni mala istorum temporum intervenissent. Certe, quod ille tantopere cupiebat, obtinuit Carolus IV. ut Italiæ dominaretur, et regia potestas penderet a sola Electorum authoritate. Iure adfirmari poterit, ne exemplum quidem esse in omni rerum memoria, ubi pontifex processerit adversus eos, qui iuribus suis intenti, ultra limites vagari animum non induxerint suum „. Scripserat hæc Senckenbergius, antequam in Germania nostra catholica esse videretur, qui inimico animo in sedem apostolicam, Romanum pontificem diceret: *Venient dies luctus patris mei a)*. Suspiciebat Senckenbergius in sede Romana sagacem illam ac circumspectam œconomiam, qua iam a seculis identidem a rigore illo in moderando Ecclesiæ regimine remittebat, quem aliquando zelus secundum scientiam illorum temporum dictabat constringendum. Alienus igitur licet a sacris nostris illud tamen ad tribunal considens, in quo causæ imperii Germanici religione inter se scissi secundum ius fasque alterutrius diribitæ aguntur, in Romano pontifice reveritus caput Ecclesiæ catholicæ, in qua nihil antiquius est unitate, ab eius centro Romano pontifice, experientia inde a prima Ecclesiæ ætate edoctus, nihil non ad eam conservandam exspectavit litandum. Aliam chordam feriens, non ita multo postquam hæc scripserat Senckenbergius, oberravit Febronius. Superos is acherontaque movens libro suo singulari, quem, ut præsefert, in dubium haud vocem,

 ad

a) Gen. XXVII. 41.

ad reuniendos ab Ecclesia catholica dissidentes elucubrasse, dum vero, quas machinas adhibet, nihil non hactenus proh dolor! mirum quantum contulerunt præsertim apud punctatores Emsenses ad dissolvendam communionem inter summos Ecclesiæ pastores, pontificem et episcopos. Postquam vero Febronius fregisset barbiton, recantassetque, κακόφωνον harmoniæ hierarchicæ ac dissonantem imitari maluerunt punctatores Emsenses, tuba, quæ incentore Febronio an. 1769. frustra inflata fuerat, classicum iterum in conventu Emsensi canendo, sibi victoriam polliciti ac triumphum. Spem sibi et alii indubiam faciebant ex luctu Patris: dici vero possunt, fodisse *a*) *sibi cisternas veteres, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Nunquid servus est Israel aut vernaculus? Quare ergo factus est in prædam?* Accidit porro, quod post Io. Cabasutium *b*) pro sua tunc Gallia, nuperrime pro nostra Germania non equidem pari omnino sorte, a nonnemine *c*) ex Isaiæ illo VIII. observatum est: *Pro eo, quod abiecit populus iste aquas Siloe, quæ vadunt cum silentio, propter hoc ecce adducet Dominus super eos aquas fluminis fortes, et multas.*

Dispar est hic admodum hodie non solum cleri minoris sed etiam maioris sors pro conditione varia immunitatis, ac libertatis, quod statum temporalem attinet, et territorialem: quo qui libero gaudent in imperio Germanico, sollicite cavere debent,

*a*) Ierem. II. 13.
*b*) Theoria et praxis Iur. Can. lib. III. c. 27. n. 6.
*c*) Coup-d'œil sur le Congrès d'Embs p. 251. n. a.

bent, ne aliorum iugum aggravent suo etiam exemplo. Neque vero minus periculum iurisdictionis sacræ est hodie, quam profanæ, soluto vel concusso nexu hierarchico in communione potestatis ecclesiasticæ summorum Ecclesiæ pastorum, pontificis et episcoporum. Optandum esset, ut ad omnium hierarcharum notitiam pervenisset monitum illud, quod Benedictus XIV. reliquit in insigni opere de *synodo diœcesana a)* elucubrato ante suum pontificatum, cum esset archiepiscopus Bononiensis, collegis suis episcopis: „ Ne in suis „ constitutionibus aliquid obrepere sinant, quod „ ulla ratione apostolicæ sedis aut auctoritati iniu- „ riam irroget, aut iura diminuat: ob eam quip- „ pe coniunctionem et necessitudinem, quam mem- „ bra cum suo capite habere oportet, maxime de- „ cet, ut ipsi primæ sedis prærogativas, quæ hac „ præsertim tempestate, multorum invidia in dis- „ crimen vocantur, sedulo defendant, et pro vi- „ ribus promoveant: suam enim causam agunt, „ cum supremi pastoris auctoritatem propugnant, „ et sustinent: quoniam, si huius iura evertantur, „ paulatim pariter inferiorum præsulum iurisdictio „ nutabit, et corruet„. Subdit ad rem insignem Duziacensis concilii locum ex Harduini collectione. *b)* Quam vero doctrinam in tanta quidem hodie synodorum raritate migrandam prorsus animum induxit paulo ante memorata synodus diœcesana Pistoiacensis in Italia. Sed non permisit Christus suarum promissionum memor datæque fidei in suis etiam successoribus ( *super hanc petram*



a) Lib. IX. c. 1. b) T. V. col. 1321.

*ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam* ) ut cathedræ apostolicæ Petri admotæ cominus in principatu Florentino fortes machinæ eam divinitus firmatam possent concutere, aut ignis diu equidem etiam inibi sub cinere delitescens in apertam erumpere flammam, Ecclesiaque militans regnum Christi in terris commoveri in suo centro, re ad legitimum tribunal delata, atque in communione potestatis ecclesiasticæ inter summos Ecclesiæ pastores, pontificem et episcopos, ut supra memoravimus, composita: isque ex commotione hac est per divinam clementiam sperandus profectus, ut ebullientes illæ Tiberidis quoque ad petræas ripas collisæ aquæ deinceps in sinu suo sint conquieturæ materno, dum *iam proximus ardet Ucalegon.*

Modo audivimus, parum pensi haberi restitutam divino consilio in SS. concilio Trident. communionem illam inter summos Ecclesiæ pastores successores apostolorum, pro quibus in ultima illa ante passionem oratione Christus oravit, *ut sint unum.* Lacessita fuerat unio illa seculo antecedenti XV. facta inter apostolorum successores contentione, *quis eorum videretur esse maior?* in concilio Constantiensi et Basileensi, in quo, ut supra vidimus, collegium illud successorum apostolicorum, episcoporum nimirum, vix non ad nihilum redactum superiorem sustinuit inferiorem cleri ordinem, cui ius suffragii, quod illi anterioribus Ecclesiæ ætatibus nunquam competiit, datum fuit, atque adeo multitudine suffragiorum longe superior vicit.

Fallitur

Fallitur hinc anonymus ille, qui superiore anno, occasione controversiarum de dispensationibus et Nuntiaturis, calamum in zelosissimum hodiernum Spirensem episcopum strinxit: dum, minori clero perinde ac laicis numquam in Ecclesia ius suffragii decisivi fuisse, p. 56. dicit. Animadversione, memoratuque dignus est, quem hic adscribam, locus *a*) vel inde maxime, quod auctor ex eorum sit numero, qui concilio Basileensi (in quo promiscue ius suffragii fuit clero minori, obnitente maiori; quodque, ut suo loco ostendimus, fere ex inferioris subsellii clero post translationem concilii constabat) non solum auctoritatem in praesenti causa prae SS. concilio Tridentino deferunt, (et quidem in posterioribus sessionibus, in quibus, dissoluta

a) „ Was versteht der Verfasser hier unter Katholiken? Entweder die Laien und geringere Geistliche, oder die Bischöffe? Iene haben nach katolischen Grundsäzen wohl die Freiheit, zu disputieren, aber nie das Entscheidungsrecht in der Kirche gehabt. Und wenn sie es auf einige augenblike hætten, was für ein unübersehliches Meer von theologischen Wellen und Wirbeln würden wir vor uns haben! Sovil Köpfe, sovil verschidene Meinungen würden entstehen, die kein Mensch vereinigen könte. Theologisch- und canonistisches Schulgezanke kan also hier keine Norm abgeben, wornach man etwas fur streitig haben könte „. Quorsum hæc, si ad actionem concilii Basileensis, posterioribus præsertim sessionibus, exigantur, contendanturque cum memorata paulo ante synodo dioecesana Pistoiacensi perinde ac conventu Emsensi cum suis hysperaspitis. Experti sunt iam sagaces, quod anonymus de abeuntibus in diversa adversaque concertationibus theologorum et canonistarum ait, hierarchæ Galli in causa præsertim Ianseniana: experiuntur Germani in hodiernis controversiis hierarchicis, et Itali ob causam Florentinam in maximi momenti utroque articulo, fidei et disciplinæ, circa constitutam divinitus ecclesiastici regiminis formam.

dissoluta penitus communitate potestatis ecclesiasticæ inter summos Ecclesiæ pastores, pontificem et episcopos, a plerisque pro schismatico habitum est conciliabulo ) verum etiam dignitatem eiusdem sacrosancti concilii Tridentini; auctoritatemque deprimere satagunt, fucum facientes ac suspicionem imperitis ( quam hactenus passim dispulimus ) ex Isidorianismo, ob necdum tunc detectam pseudodecretalium epistolarum fraudem. Hos inter, præter punctatores Emsenses et modo memoratum, etiam anonymus alter ( nisi sit unus idemque homonymus, quod inde videri queat, cum uterque perinde disertus sit ac doctus ) ille, qui superiore eodem anno historiam appellationum apud tribunalia ecclesiastica in lucem edidit: atque uterque rata vult ea, quæ in concilio Basileensi acephalo ( neque enim fas fuit clero illic residuo, proprio marte præsidem sibi constituere contra divinum primatus R. P. ius, communionemque potestatis ecclesiasticæ inter summos Ecclesiæ pastores, pontificem et episcopos: cum nec ista rata esse potuerint, quæ ipsi legati contra mentem delegantis pontificis egerant ) sessione XXXI. sunt decreta de appellationibus, non contenti iis, quæ in SS. concilio Tridentino in variis sessionibus in favorem cathedræ episcopalis de eadem re iudiciaria sunt constituta.

Notatur quidem decretum illud sess. XXXI. *de caussis et appellationibus* in instrumento conventus Moguntini an. 1439. sed mox anno sequenti desideratur in concilio Frisingensi *a)* etsi diætæ Moguntinæ

*a*) T. V. conc. Germ. p. 280.

Moguntinæ fiat mentio, in qua principes „ decre„ ta edita in ſacra Baſileenſi ſynodo cum certis ta„ men reſtrictionibus modificationibusque tempo„ rum qualitatibus, ac dictæ Germanicæ nationi „ accomodis, concorditer acceptarunt „. Quæ reſtrictio amplioribus adhuc verbis ſeu conditionibus in ipſo quoque inſtrumento Moguntino legitur, ſcilicet: „ Cuilibet noſtrum ( ut loquuntur „ principes ) ſingulariter in ſuis provinciis, diœ„ ceſibus, ac territoriis congruentibus et accomo„ dis factis, et fiendis ſuis loco et tempore oppor„ tunis exprimendis „ prout factum in concilio Friſingenſi, habito pro lubitu ſelectu, nulla facta attentione ad numerum aut ſeriem decretorum vel concilii Baſileenſis vel conventus Moguntini, cuius cæteroquin verba ſua facit, ut alias, ita etiam, ubi ad decreta ſeſſ. XXXI. ventum fuit; omiſſis omnibus illis, quæ in inſtrumento Moguntino ad decretum *de cauſis et appellationibus* pertinent. Quam vero libertatem omittendi vel adoptandi pro lubitu decreta Baſileenſia ( quæ inter erant ſaluberrima complura ſi cætus ille ſuis in finibus in communione poteſtatis hierarchicæ ſtetiſſet, magnam deploratis illis temporibus Eccleſiæ afferre utilitatem valuiſſet ) multo adhuc ampliorem in aliis conciliis Germanicis tunc temporis habitis, paucis quidem illis, in quibus deinceps mentio aliqua concilii Baſileenſis eſt facta, deprehendere eſt, *a*) ipſo in concilio Moguntino anni 1451. quod multo pauciora decreta Baſileenſia, decretis quidem integris appoſitis, acceptavit: ac primo quidem

dem

*a*) T. V. conc. Germ. p. 399.

*ſtolicam ſedem, ſi ardua eſt, deducatur, quatenus noſtræ audientiæ ſententia decidatur*: ut ſcribit ad archiep. Larriſſenſem, minatus excommunicationem, quod epiſcopum Thebanum depoſuiſſet, ſuffraganeum quidem, ſed per Romanam ſedem exemptum iurisdictione metropolitica Lariſſenſi. Ecce quo in ſtatu ante pſeudodecretales res manſerint, donec ab Eccleſia orientali iam cum ſchiſmate conflictante an. 870. in ſynodo Cpolitana œcumenica octava ultima appellationum inſtantia ſedibus patriarchalibus eſt relicta. Qua de re incaſſum gloriatur memoratus auctor hiſtoriæ appellationum, atque inſultat Romanæ ſedi, quod pati debuerit, appellationem ad Romanam ſedem prohiberi ſub excommunicationis quoque pœna. Nec animadvertit, adverſari iſtum canonem cauſæ ſuæ, dum appellationis tribunal apud ſedem patriarchalem ſtatuitur: qualis cum ſit in Occidente Eccleſia Romana; non tamen eſt, cur hanc oſtentet ſedes hæc apoſtolica prærogativam patriarchalem, quippe quæ eſt inſtitutionis eccleſiaſticæ, cum habeat primatum Eccleſiæ ex inſtitutione divina: non honoris, cuius typhum in ſuis apoſtolis Chriſtus damnavit, ſed iurisdictionis, dum iuris patriarchalis quoque pars in memorato canone ſynodi œcumenicæ octavæ agnita eſt, eſſe ius ac tribunal appellationum, quod hodie reſtringere geſtiunt in occidentali eccleſia, in ſede apoſtolica Romana. Acciderunt hæc in Oriente, quando adhuc S. Ignatius Cpolitanus iure hoc appellationis ad Romanam ſedem eſt uſus fruitusque Sec. IX. a Photio autem reſtitutam in patriarchatum Cpoli-

tanum

tanum obfirmatum est paulo post schisma Ecclesiæ orientalis, paulatim, ut passim in hoc opere notavimus, inductum æmulatione novæ Romæ, quam dictitabant, contra veterem Romam sedem Petri, cathedra contra cathedram posita, rupta communione inter summos Ecclesiæ pastores, pontificem et episcopos, quam frustra concutere hactenus in Occidente sunt connisi curiales quidam flamines, incentores novissimarum contentionum, summos Ecclesiæ pastores hoc seculo in Germania, ut præterito in Gallia, cum sede Petri Romana committendo: collatis etiam operis in quibusdam, quos memoravimus, habitis conventibus, non irrito quidem omnino conatu, Deo hierarcharum tamen mentes ad pacis conciliationisque studia inclinante; *a*) ut vero revocatæ inter hierarchiam seculo XV. contentiones, quibus concilia illius ævi sunt sufflaminata, nos terreant, quibus posthabitis in SS. conc. Tridentino Ecclesia occidentalis inter summa pericula in tuto posita fuit in communione summorum Ecclesiæ pastorum, pontificis et episcoporum; dum econtra Ecclesia orientalis post restitutam eodem sec. XV. in concilio Florentino feliciter eamdem communionem ac factam cum Ecclesia catholica unionem unius fere metropolitæ Marci Ephesini factione eadem excidens, recidivam passa est. Quæ merito terreant eos, qui in animum revocant, quam parvis initiis, dum in syn. Cpolit. I. Cpolitano episcopo *πρεσβεῖα τῆς τιμῆς* post Romam tantum sunt concessa, res eo tandem devenerit.



*a*) Quæ hoc cap. diximus ad rem conformiter iis, quæ cap. XLII. de conc. Basileensi retulimus, illustrantur Dissert. Marii Lupi *de parochiis ante an. ch. millesimum.*

Græca Ecclesia equidem sub Mahomedana tyrannide gemit, suis tamen legibus ecclesiasticis ac iure hierarchico canonum utitur sub patriarcharum, metropolitarum et episcoporum gubernio, qui etiam res gravioris momenti in conciliis transigunt; alia ad patriarchæ tribunal revocantur, obvia ab episcopis et presbyterio ordinantur. Sic etiam ad nostra usque tempora Russica Ecclesia regebatur, donec protestantica principia in eam quoque Ecclesiam sese insinuarunt.

---

## CAPUT XLVI.

### *Nil sibi constans apud Protestantes.*

Nostra ætate secessionem fecit Anglorum factio per ingentes illas concertationes episcopalium, presbyterianorum et independentium. Dum illi nimirum inter se digladiantur, Georgius Fox Quackkerorum, (qui hactenus adduci non potuerunt, ut aliquid sponte sua ad sustentationem status ecclesiastici conferrent) parens, et Thomas Hobbesius diversis viis eundem sibi finem ad subruendam omnem politiam ecclesiasticam proponunt: quorum ille nec docentium quidem in Ecclesia sua invisibili admittit munus; hic vero idem intendens, Ecclesiam cum statu politico confundit, sicque perturbata omnia fuisse vult ad Wilhelmum usque regem ineunte hoc seculo. Fructu econtra haud caruit paradoxum quidem ex multis titulis H. Dodwelli systema hierarchicum, ac parænesis eiusdem de vitando schismate ad vicinos

Protestantes,

Protestantes, in qua eos ex damnis, quæ Anglia perpessa est, quod regem caput Ecclesiæ constituerit, cautos reddere studet, ordinis hierarchici iura et potestatem revocare contendens; „ Plus „ æquo hactenus ( scribit *a*) post alia ) principibus „ indulsimus, iniquiores autem plerique fuimus, „ qui causam reformationis professi sumus. Dum „ scilicet ab ecclesiasticis metuebamus, principes „ autem propitios habuimus, non satis prospeximus Ecclesiæ conservandæ, cum principes essent „ a nobis in futurum alienores. Id certe consecuti sumus nimia illa cleri insectatione, quæ „ tum necessaria utilisque videbatur, ut et iustis „ iuribus clerum exuerimus, et laicos ubique clero infensos reddiderimus, minusque, quam par „ erat, sacri ordinis reverentes. Erat quidem principibus gratissima potestatis accessio ex illorum „ spoliis, a quibus ipsi olim fuissent spoliati, sed „ media potius via tenenda erat, ut dum cæsari, „ quæ sua erant, asserebamus, ne interim Deum „ Deique vicarios suis iuribus fraudaremur. Nec „ sensimus, dum firma esset inter principes atque „ ecclesiasticos concordia, harum concessionum incommoda. Dum idem utrique volebant, metus erat nullus, fore aliquando, ut invicem „ committerentur. Securi ergo decessorum errores iuribus suis adversos fovebant ecclesiastici. „ Inde audentiores facti laici malignitatem, quam „ in ecclesiasticos conceperant, securius iam atque „ fidentius exercebant, ipsis ecclesiasticis, ut videbatur, auctoribus, et minarum, quæ a laicis

 „ imminebant,

*a*) Dodw. de nupero Schismate Angl. n. 51. p. 225

„ imminebant, metu iura etiam propria proden-
„ tibus. Inde iurium suorum tepidior etiam apud
„ ecclesiasticos defensio, dum et concordes invi-
„ cem essent in eorum oppugnatione laici, et dis-
„ cordes ecclesiasticos fecerat illa ipsa proditio.
„ Accessit ad partes laicorum firmandas, non mo-
„ do vetus illa ante reformationem æmulatio iam
„ adversarum partium confessione firmata, sed vis
„ etiam externa, quam nullam præseferebant no-
„ stri antiquitatis primævæ cultores, sed princi-
„ pum propriam omnem, sine æmulo, fateban-
„ tur. Vim illam externam sequebantur ecclesia-
„ rum reditus, illosque pars corruptior (quæ ma-
„ iorem in corporibus plerisque partem facit) et-
„ iam ecclesiasticorum „. Sed integra exscribenda foret illa Dodwelli parænesis ad exteros tam reformatos, quam etiam pontificios, ad hoc composita, ut iura hierarchica vetera, eorundemque a magistratu seculari independentia omnibus asserendá commendentur maiori in Anglia, quam alibi apud Protestantes gentium, effectu: dum hierarchiæ in ecclesia Anglicana nunc sua auctoritas etiam definitiva et coactiva per censuras ecclesiasticas est restituta. Memorabilia eam in rem sunt episcopi Cliceſtrensis verba apud sæpe laudatum auctorem anonymum *a*) de potestate eccl. et polit.
„ La jurisdiction spirituelle qui consiste dans l'exa-
„ men de controverse de la foi, le jugement des
„ heresies, l'institution des benefices est reservé à
„ l'eglise, et les princes ne peuvent ni la lui don-
„ ner, ni la lui ôter. Et encore: la jurisdiction
„ exterieure

*a*) T. II. p. 562.

„ exterieure eſt oú definitive ou coactive. L'au-
„ torité definitive en matiere de foi, et de reli-
„ gion appartient à l'egliſe. La puiſſance coactive
„ qui ſe fait ou par violence, ou par cenſures ſpi-
„ rituelles; en tant qu'elle conſiſte dans les cen-
„ ſures ſpirituelles, le droit de les porter appar-
„ tient a l'egliſe „.

Dum ſic Eccleſia Anglicana propius ſyſtemati hierarchico Eccleſiæ catholicæ accedit; in Germania econtra Thomæ Hobbeſii doctrina introducitur auctore Chriſtiano Thomaſio. Qui qúidem non ut Hobbeſius pro fundamento poſuit inimicitias omnium contra omnes; ſed tamen inimicitias ſuas, animumque vindicandi ſeſe de miniſtris, et theologis Lipſienſibus, qui eum ſtatu docendi deiecerunt, ſpirans iras, ſibi propoſuit cum Hobbeſio eccleſiam omnem, ordinemque præprimis eccleſiaſticum etiam miniſterialem tantum et docentium loco ſuo movere. Iam tunc puduerat Proteſtantes iuris illius epiſcopalis ſeu diœceſani, quod ſibi velut ſacrum ignem viſi ſunt ſuffurati, igne et ferro extortum tum Pace Religioſa, cum etiam Weſtphalica. Ius hoc Bened. Carpzovius magno ſtudio principibus Proteſtantibus aſſertum eſſe voluit; diſplicere vero poſtea cœpit, quidquid hierarchiam ſaperet, viſumque eſt, Eccleſiam omni honore, ac iure ſpoliare. Sam. Puffendorfius id ſibi iam in libro de *habitu religionis chriſtianæ ad vitam civilem* ſtatuendum ſumſit, Eccleſiam non eſſe a ſummo imperio civili diſtinctum, vel exemtum ſtatum cum imperio nimirum, atque *præeminentia unius ad alterum.* Hoc póſito fundamen-

 to,

to, Christianus Thomasius Puffendorffii discipulus Ecclesiam, super firmam petram a Christo positam super fundamentum apostolorum, penitus deiiciendam sibi proposuit, principi ius absolutum et illimitatum adstruendo, ministeriumque ecclesiasticum, erga quod maximo odii et vindictæ spiritu agebatur, quodque eo usque apud Protestantes immunitate exactionum gaudet, hoc etiam et omnibus aliis iuribus et privilegiis spoliando, sublato omni discrimine bonorum ecclesiasticorum, quæ certatim principes, gavisi hac doctrina, sibi adscribenda duxerunt. Thomasii vestigia pressit in Hallensi ditionis Porussicæ academia I. Henningius Boehmerus et Ioannes Mich. Heineccius, quorum opiniones recensens anonymus ille sæpe laudatus *De finibus utriusque potestatis ecclesiasticæ et laicæ* sequens p. 39. epiphonema interponit: „ Nostratibus quibusdam hæc serio perpendenda propono, qui contra veritatis, religionis, ac iustitiæ leges videntur rebus novis hoc tempore studere; non alia de causa, ut credere licet, nisi quia scientia theologica destituti, iurisprudentiam ecclesiasticam tractare aggressi sunt: qui sane theologicis disciplinis non probe imbuti, tutius iurisprudentiæ ecclesiasticæ adytis abstinuissent, quoniam sine theologiæ principiis eum præsertim frequentius necesse est errare, ac labi, qui de finibus seu limitibus potestatum scribere, vel docere alios susceperit „.

Cacoethes hæc, quæ superiore seculo per auctores libertatum Gallicanarum Ecclesiam Gallicanam predidisset, nisi vigilantia et auctoritas hierarcha-

rum

rum obstitisset, nostro hoc sæculo Germanicam Ecclesiam occupavit, abreptam studio et lectione scriptorum illorum, qui vel ius ecclesiasticum Protestantium, ut tractat Boehmerus, vel Ius publicum tradunt ex doctrina eorum cum ecclesiastico, perinde ac Ius naturæ et gentium, commixtum quoad externa publica, ut vocant, a Mascovio *a)* definitum ius et auctoritas, quæ in imperio universo summæ Protestanticæ potestati circa sacra competit, ad conservandam conscientiarum libertatem, et pacem imperii publicam, legibus pactisque (in conventu non uno Germaniæ mutuo initis Protestantes inter et catholicos) stabilita. Exploserunt plerique nostri seculi Publicistæ Protestantes eos, qui ius circa sacra vel episcopale in principes Protestantes translatum ex transactione Passaviensi statuunt, vel eis tanquam membris præcipuis Ecclesiæ competere illud existimarunt; quod ius *horridam philosophiam* vocat Boehmerus, qui id principi qua principi (adeoque etiam imperatori Turcarum &c. et cuivis infideli et hæretico principi) asserit cum aliis, quos nominavimus. Dum vero ex pace Westphalica etiam ius reformandi sic accipiunt, ut penes principem sit, pro lubitu statuere exercitium publicum religionis: infidelis aut hæreticus princeps utique iure suo utitur, usique fuissent magistratus Iudæorum et imperatores ethnici comminando apostolis et prohibendo, ne ultra nomen Christi prædicarent: et qui pro fide Christi martyrium subierunt, iure sic videri potuissent a tyrannis ad mor-



a) Iur. publ. Germ. l. V. c. 3. n. 11.

tem condemnati. An minus horrida est hæc philosophia (theologicum etenim proferre in suam sententiam nihil possunt, ipsi fassi, in scripturis N. T. nihil ad rem esse; quod ipsa Ecclesiæ facies constanter alia fuerit primis præsertim seculis pressæ, nihil curant) quam illa, quæ principi, quidquid competit, qua primario membro deberi putant? quam sententiam natam putat Boehmerus *a*) „ ab erroneo falsoque, (ut ipse dicit,) principio, Ecclesiæ competere iurisdictionem: quod „ si verum est, Ecclesia quoque separatam rempublicam constituere debet, id quod nostrates „ negant „. Attamen illi tantum hoc audent, et quidem nostro hoc demum seculo (quo, si viveret Bossuetus, insigne complementum suis libb. de variationibus hæret. adiungere posset) sic philosophari cœperunt, qui apud monarchas absolutos veluti Thomasius, Boehmerus, Heineccius stipendia merentes, eorumque causam agentes, ad ius territoriale etiam ecclesiasticum revocant; alii aliam hodie præsertim, absurda huius philosophiæ perspicientes, vel non sub absolutis monarchis viventes, rationem ineunt.

Sic Pfaffius Acad. Tubingensis olim cancellarius in Wirtenbergia, ubi statibus ducatus sunt adhuc sua etiam iura, societatem a Christo et apostolis collectam distinctissimam agnoscit *b*) a statu civili vel republica, quæ ex sua suorumque sententia, sola per se ex imperantibus, et parentibus consistit: Ecclesiam vero saltem pro collegio in

*a*) Tit. XXXIII. de Maior. et obed. §. 15.
*b*) Iur. eccl. lib. I. c. 1. §. 6. &c.

in republica habet, in quo princeps, ubi membrum Ecclesiæ evadit, non ut princeps, sed ut auditor verbi spectetur. Hinc tamen ius principum circa sacra non penitus negat, sed iura sacrorum statuit, quæ collegio ut tali competunt; quæ quod necessitas reipublicæ id requirit, princeps sibi sumat, ad nutum tamen collegii administranda; *quæ*, ait, *et eapropter collegialia dicimus.* Pressit Pfaffium difficultas illa de iure principum circa sacra, quæ nunc facit, ut ab ipsis Protestantibus hæc sententia deseratur, ut apud Laur. Moshemium videre est in opere posthumo de iure ecclesiastico Protestantium communi *a)* ubi postremo de iure ecclesiastico communitatum Lutheranarum singula hactenus recensita systemata examini subiiciens, licet aliter se expedire nequeat, quam ut principi iuxta principia domestica cum suis illud attribuat, sententiam tamen illam, quæ principi idem ius vi iuris territorialis adscribit, non potest non novam agnoscere *b)* primum post pacem Westphalicam natam: quod etiam ius agnoscit *c)* nec demonstratum esse, nec demonstrari posse, esseque omnium periculosissimum a plerisque principibus iam reiectum, ac etiam paulatim a Iurisconsultis deseri, ac reiici, subditque: „Die Catholischen
„ Fürsten gebrauchen es in ansehung ihrer Evangeli-
„ schen Unterthanen, die sie in ihrem Lande haben.
„ Sie sagen, wir haben die Superioritatem territo-
„ rialem, und sind mithin nach euren eignen
„ Grundsätzen Herren über die Kirche in unseren

N 5 „ Staaten.

*a)* Allgemeines Kirchenr. der Protestanten c. 3. p. 469.
*b)* p. 577. *c)* p. 578.

„ Staaten. Nach diesem System können die Ca-
„ tholischen Herren ihren Protestantischen so viel
„ Eingrif thun, als si wollen. Der gelehrte Herr
„ von Ikstätt hat von den Protestantischen Rechts-
„ gelehrten auf unsern Academien dieses System
„ gelernt, und er hat es sehr wohl begriffen. Er weiß
„ die Klagen der Protestanten unvergleichlich da-
„ raus zu beantworten „.

Quibus tamen omnibus non obstantibus, cum aliud apud suos expediens non reperiat Moshemius *a*) pro salute utriusque reipublicæ, neque communitates iura, quæ ipsis competunt, ipsæ administrare queant, Lutheranis principibus summam in spiritualibus rebus potestatem relinquendam demum sciscit, uno addito voto (quod tamen quale sit, et quid sperandum, aut timendum potius, dum manibus armatis iura sacrorum concreduntur, ex Dodwelli parænesi de vitando schismate ad exteros Protestantes discere potuisset) ut iura, quæ indubitato Ecclesiæ competant, apud suos non penitus conterantur, sed confirmentur magis et dilatentur: deinde, quod honori religionis, ministeriique ecclesiastici haud parvum profectum allaturum sit, ut auctoritas et proventus ministrorum augeantur. Ex his nemo non videt, quibus se ipsos constrinxerint vinculis Protestantes, quas in angustias coniecerint, quibus incitarum periculis sese exposuerint, dum iura et facultates Ecclesiæ principis arbitrio et voluntati commiserunt.

Eiusmodi se laqueis irretiunt nostro demum hoc seculo et ætate, quando Galli etiam pragmatici

*a*) §. 6. p. 579.

stici iam ad saniora consilia sunt revocati, doctores nostrates, dum incauti Protestantium placita Ecclesiæ obtrudere contendunt sub ementita specie libertatum ecclesiasticarum, viri quoque ex ordine hierarchico editis libris, aut etiam hinc inde per quasdam provincias epistolis pastoralibus, ex quibus anonymus quidam *a*) anno præterito amaras querimonias S. catholicæ Ecclesiæ ob multiplicia accepta vulnera ab effrœni novandi studio, irreligione, irrisione, superbia, adulatione et protervia multorum catholicorum etiam scriptorum edens, tam multa colligere, proh dolor! potuit, dignitati Ecclesiæ Christi sponsæ adversa! Dum nimirum iura hierarchica aut convelluntur, aut perturbantur, atque a communione illa legitimæ ecclesiasticæ potestatis inter summos Ecclesiæ pastores summum pontificem et episcopos cum præsentaneo schismatis periculo fit abscessio, pax quæritur, ubi non est pax: propriis utilitatibus, honori, et auctoritati, aut etiam allotriæ defertur, cum dispendio utilitatis, honoris, et auctoritatis ecclesiasticæ: incaute ac inconsulto ad remedia, malis Ecclesiæ intestinis aliunde afferenda, consilia capiuntur, quæ ad eandem dignitate ac potestate sua deiiciendam vergunt, quam a Christo et apostolis accepit, semperque tum in statu presso, cum etiam illo eluctata conservavit in orbe christiano, christianisque sub principibus, piis munificisque

a) Bittere Klagen der heiligen christcatholischen Kirche über die vervielfältigten Wunden, welche ihr durch die zügellose Neuerungssucht, Unreligion, Spötterey, Stolz, Heucheley und Verwegenheit verschidener catholischen Schriftsteller von Zeit zu Zeit versezt werden.

nificisque erga se filiis, iurium et facultatum contra vim omnem et invasiones tutoribus, iuratis etiam Ecclesiæ advocatis.

---

## Caput XLVII.

*Inconcussa usque ad consummationem seculi in unitate fidei Ecclesia militans regnum Christi in terris.*

Nihil non egerunt posterioribus etiam hisce seculis, quod vidimus agitasse imperatores, cum primum Christo nomen dederunt, ut exortis hæresibus ac schismatibus Ecclesiam redintegrarent; hæreticosque reconciliare, sed plerumque cum suis erroribus, allaborarunt. Id quod multo minus valet, quam in statua illa Nabuchodonosoris Dan. II. 43. ferrum misceri potuit testæ, seu *ferrum mistum testæ ex luto*: prout erant pedes et digiti pedum, quibus quartum regnum, Romanum scilicet imperium designabatur, partim ferrei, partim fictiles. Neque enim cum errore veritas consistere potest, aut cum unitate Ecclesiæ doctrinæ fidei varietas. Ecclesiam Dei vivi dico, quam qui non audierit, *sit tibi*, ait Christus a) *sicut ethnicus et publicanus*, quamque apostolus b) vocat columnam et firmamentum veritatis. Continetur his irrefragabile testimonium legitimæ ecclesiasticæ auctoritatis, cui omnino deferendum sit. Magisterium hoc generale est, fidem, mores, politiam ecclesiasticam, credulitatem et obedientiam complectens.

Nec

a) Matth. XVIII. 17. b) Tim. III. 15.

Nec minor est obligatio in alterutro genere officii, neque minor reatus, in quo quis se obnoxium reddat, an vitam christianam crimine contaminet, aut rectam fidem errore: uti vero legitima a Christo instituta atque in Ecclesia relicta potestas ad probare crimen nequit, ita nec tolerare errorem in fide. D. Paulus Titum III. 10. ad Ecclesiæ ministerium instruens, *Hæreticum*, ait, *hominem post unam et secundam correptionem devita.* Et ad Timotheum scribens, mox primo capite epistolæ primæ in ipso exordio notat eos, qui contra finem præcepti, charitatis nimirum *de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta, ... aberrantes, conversi sunt in vaniloquium.* Et eodem adhuc capite Timotheum cohortans ad habendam *fidem et bonam conscientiam, quam quidam,* pergit, *repellentes, circa fidem naufragaverunt. Ex quibus est Hymenæus, et Alexander, quos tradidi satanæ, ut discant, non blasphemare.* Thessalonicenses rogat apostolus I. ep. V. 12. et, *ut noveritis*, ait, *eos, qui laborant inter vos, et præsunt vobis in Domino, et monent vos*, νεθετοῦντας ὑμᾶς, castigando ac cohortando: *ut habeatis illos abundantius in charitate propter opus illorum: pacem habete cum illis.* Porro iisdem Thessalonicensibus epistola secunda cap. III. 13. &c. iubet: *Quodsi quis non obedit verbo nostro per epistolam, hunc notate, et ne commisceamini cum illo, ut confundatur. Et nolite quasi inimicum existimare, sed corripite ut fratrem.* Idem gentium apostolus sollicite et graviter præmonet, maiores natu Ecclesiæ Miletum Epheso evocans Act. XX. 17. 28. &c.

cavetque

cavetque ab instantibus iam tunc periculis ab huiusmodi lupis rapacibus: *Attendite vobis*, ait, *et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo. Ego enim scio, quoniam intrabunt post discessionem meam lupi rapaces, non parcentes gregi. Et ex vobis ipsis exsurgent viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se. Propter quod vigilate, memoria retinentes: quoniam per triennium nocte et die non cessavi cum lacrymis monens unumquemque vestrum.* Epistolas ad septem Asiæ Ecclesias S. Ioanni Apoc. II, et III. dictatas iam supra commemoravi: quarum prima statim Angelo, id est episcopo Ephesi ecclesiæ laudi datur cap. II. 6. *Quia odisti facta Nicolaitarum, quæ et ego odi.* Angelo Pergami vero ob eosdem Nicolaitas exprobratur: *quia habes illic tenentes doctrinam Balaam.* Qui nil nisi charitatem spirat idem S. Ioannes in suis epistolis, passim nominat hæreticos antichristos et seductores, moxque addit Epist. II. 8. &c. *Videte vosmetipsos, ne perdatis, quæ operati estis: sed ut mercedem plenam accipiatis. Omnis, qui recedit, et non permanet in doctrina Christi, Deum non habet: qui permanet in doctrina, hic et Patrem et Filium habet. Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus eius malignis.*

Hæc dum tenerrimus dilectionis magister, dilectus Christi discipulus docet, quid de illis tenendum est econtra, qui securitatem dant, quam præstare non possunt? Ecclesia anathema dicit errori, et erranti in doctrina fidei, quem tu ab errore

absolvis?

absolvis? Quid si tu illum fallas, illeque falsus opinione sua, coram divino iudice reus æternum pereat? An tu miseri huius amicus es, ac eum diligis? An Ecclesia culpanda, quæ a magistro amoris S. Ioanne edocta talem non recipit, nec Ave ipsi dicit, falsam securitatem erranti demendo, ac errorem arguens, damnansque, ut ab eo abducat, quem tu incurium reddis, et aberrantis obfirmas animum. Est hoc, quod proh dolor! hodie millionibus hominum periculum creat, ac tantum quidem in negotio salutis æternæ! An non in re tanti, ac quantivis momenti tutius saltem et sequendum, et suadendum? O si possem ego, quam vellem omnes homines salvos, et æternum beatos! Sed quid iuvat dare securitatem, quam præstare non possum? Sic sæpe interpellatus ab amicis, constanter respondi, ne aliquando ingemiscere contingat; *Amici omnia perdidimus*, dicente Domino: *cæcus si cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt.* Quærat forte quis quempiam, an extra Ecclesiam unam catholicam possit esse salus, et is hoc aiat: quid iuvat, dum securum reddere non valet? Quid prodest sententia amici, si alia sit Dei? iudicium humanum, si aliud sit divinum? *Popule meus, qui te beatum dicunt, ipsi te decipiunt, et viam gressuum tuorum dissipant!* Quodsi hodie non tantus esset numerus eorum, qui falsam securitatem sibi faciunt, et dant aliis, forsan et infidelibus paganis; non foret tantus numerus æternæ salutis suæ incuriorum, indifferentium, irrisorum, contemptorumque religionis, sibi suffenorum.

Studiosi

Studiosi hi amatores videri volunt, ac deliciæ generis humani, frena omni licentiæ sentiendi et vivendi laxantes, religionisque suffocantes sensum sermonibus vanis et profanis ad delectandum compositis, de quibus epist. II. præcavens, Timotheum II. 15. sollicite Paulus monet; *Cura te ipsum probabilem exhibere Deo operarium inconfusibilem, recte tractantem verbum veritatis. Profana autem, et vaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem. Et sermo eorum ut cancer serpit: ex quibus est Hymenæus et Philetes.* Illum iam prima epistola memoravit tradidisse Satanæ cum Alexandro, *ut discant non blasphemare.* Vides hic veram genuinamque charitatem in apostolo gentium, qui tanto ardebat amore, ut optaret, *anathema esse a Christo pro fratribus*; ipse tamen, cum res posceret, anathemata vibrat in fratres, et satanæ tradit, nempe ad correctionem, et salutem, *ut spiritus salvus sit in die Domini*, ut ad Corinthios *a)* scripsit; quibus argumentum charitatis non quærentis, quæ sua sunt, iam dederat in schismate inter eos sui gratia orto, obsecrans *per nomen Domini*, ait, *nostri Iesu Christi, ut id ipsum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata. Sitis autem perfecti in eodem sensu, et in eadem sententia.*

Eius rei in haud absimili causa Corinthios commonuit postea S. Clemens Pauli discipulus, et Petri in sede Romana successor in epistola *b)* ad eosdem Corinthios prima n. 47. „ Sumite ( inquit ) „ epistolam beati Pauli apostoli. Quid primum „ vobis

*a)* I. Cor. I. *b)* T. I. Patr. apost. p. 175.

„ vobis in principio Evangelii scripsit? Profecto „ in spiritu ad vos litteras dedit de se ipso, et „ Cepha, et Apollo, quia etiam tunc diversa in „ studia scissi eratis. Sed varia illa animorum in- „ clinatio minus peccatum vobis intulit, propen- „ debatis enim in apostolum testatæ sanctitatis, et „ in virum ab illis probatum. Nunc vero quinam „ sint, qui vos perverterint, et nominatissimi frater- „ ni amoris imminuerint decus, animadvertite„. Iam prius *a*) eadem comparatione, qua D. Paulus de unius corporis membris usus addit, *universa conspirant, et ad conservationem totius una subiectione utuntur.* Versantur in hoc argumento, singulari Dei providentia scripta Patrum apostolicorum pleraque: imprimis S. Ignatii M. epistolæ ad unam omnes unitatem commendant *b*) Ecclesiæ, scilicet in auctoritate hierarchici ordinis, subordinationeque ac ordinata subiectione: *Ut una fide, una prædicatione, una Eucharistia* utantur, sicut Philadelphios obsecrat. Et paulo ante: *Abstinete itaque ab herbis noxiis, quas Iesus non excolit, sed fera hominum interfectrix, non enim sunt plantatio Patris, sed semen maligni.* Sic S. Polycarpus Romæ Marcionem hæreticum offendens, *primogenitum diaboli* in faciem dixit. Pergit vero S. Ignatius: „ Fratres ne erretis, si quis eum „ sectatur, qui se absciderit a veritate, regnum Dei „ non hæreditabit: et si quis non abscedit a falsiloquo „ prædicatore, in gehennam condemnabitur. Nec „ enim a piis discedere oportet, nec cum impiis „ convenire. Si quis in aliena sententia ambulat, „ hic non est Christi, neque passionis eius parti- „ ceps,



*a*) n. 37. p. 169. *b*) T. II. PP. apost. n. 3. et 4. p. 73.

„ ceps, sed est vulpes corruptrix vineæ Christi ;
„ cum huiusmodi non commisceamini, ne cum illis
„ pereatis, quamvis pater sit, quamvis filius,
„ quamvis frater, quamvis domesticus. Non par-
„ cet enim, inquit, oculus tuus super eum. O-
„ sores ergo Dei, et vos odisse oportet, et super
„ inimicos eius tabescere: non autem etiam ver-
„ berare, aut persequi eos, ut faciunt gentes,
„ quæ ignorant Dominum et Deum, sed pro ini-
„ micis habere, et ab iis segregari, eos tamen
„ commonefacere, et ad pœnitentiam cohortari,
„ si forte audiant, si forte credant „.

Quantum vero Patres illi apostolici ab omni errore fidei seu hæresi abhorruerint, altera antiquissimorum horumce scriptorum pars prodit contra hæreses, prout S. Iustinus M. in apologia I. ipse testatur, se contra omnes hæreses scripsisse. Hoc vero periit opus, uti etiam quod singulariter contra Marcionem exaravit. Desiderantur quoque, quæ Eusebio teste de schismate scripsit S. Irenæus M. cuius vero prostant libri quinque adversus hæreses: quorum quarto cap. 33. n. 7. „ Iu-
„ dicabit autem (inquit,) et eos qui schismata
„ operantur: qui sunt inanes, non habentes Dei
„ dilectionem, suamque utilitatem potius consi-
„ derantes, quam unitatem Ecclesiæ: et propter
„ modicas, et quaslibet causas magnum, et glo-
„ riosum corpus Christi conscindunt, et dividunt,
„ et quantum in ipsis est, interficiunt, pacem
„ loquentes, et bellum operantes. Nulla enim
„ ab eis tanta potest fieri correctio, quanta est
„ schismatis pernicies. Iudicabit autem et omnes

„ eos,

„ eos, qui ſunt extra veritatem, id eſt, qui ſunt „ extra Eccleſiam „.

Conſtat ſchiſmatum etiam, proximis deinceps ſeculis in Eccleſia ortorum, qualescunque ob cauſas, quæ et ipſa tamen anſam dederunt opportunam, ſingulari Dei providentia Eccleſiæ ſuæ proſpiciente, ut zelo Dei accenſi paſtores talia proferrent ſcripta, quæ ſemper fuerunt, eruntque pro galea, et clypeo Eccleſiæ Dei contra hæreticos et ſchiſmaticos quoscunque. Cuiusmodi eſt S. Cypriani ep. et mart. liber inter alia eius ſcripta ſingularis *de Unitate Eccleſiæ*, ex quo unum locum alterumve ex plurimis in eandem ſententiam referam: „ Quisquis, (ait,) ab Eccleſia ſegregatus adulteræ iungitur, a promiſſis Eccleſiæ ſeparatur; nec perveniet ad Chriſti prœmia, qui relinquit Eccleſiam Chriſti: alienus eſt, profanus eſt, hoſtis eſt. Habere iam non poteſt Deum Patrem, qui Eccleſiam non habet matrem „. Et poſt alia non minus gravia: „ Quis ergo ſic eſt ſceleratus, et perfidus, quis ſic diſcordiæ furore veſanus, ut aut credat ſcindi poſſe, aut audeat ſcindere unitatem Dei, veſtem Domini, Eccleſiam Chriſti „? Sic etiam Antoninum epiſc. inſtruens epiſt. 33. breviter eloquitur: *Quisquis ille eſt, chriſtianus non eſt, qui in Chriſti Eccleſia non eſt.* Nec aliter locuti ſunt, qui deinceps contra orta ſchiſmata, quæ plerumque tam leves, quam etiam ſpecioſas videbantur habere cauſas, in rigore fidei et morum, pro Eccleſiæ unitate calamum ſtrinxerunt: quale contra S. Cornelium P. Romæ commotum, non potuit S. Cyprianus ita reſtin-

guere, ut non etiam in Hispania adhuc sec. IV. gliscæret: Sic S. Hieronymus contra Luciferianos, qui ob Patrum Ariminensis concilii defectionem Ecclesiam quodammodo ex orbe periisse clamabant: contra schisma Donatistarum imprimis S. Augustinus et iam ante eum Optatus Milevitanus, quos omnes iam alibi in demonstratione veræ religionis, veræque Ecclesiæ contra quasvis falsas recensuimus. Ex his Optatus *a)* generaliter contra omnes hæreticos et schismaticos præscribens: „ Ergo (inquit,) „ Ecclesia una est, cuius sanctitas (quam Donati- „ stæ perditam vociferabantur) de sacramentis col- „ ligitur, non de superbia personarum pondera- „ tur? Ergo hanc unam columbam, et dilectam „ sponsam Christus appellat. Hæc apud omnes hæ- „ reticos, et schismaticos esse non potest; restat, „ ut uno loco sit „. S. Augustinus, cuius contra Donatistas scripta, et acta integrum volumen complent, universalem eandem præscriptionem facit singulariter in libro *de unitate Ecclesiæ* his inter alia verbis: „ Quicunque credunt quidem, quod Chri- „ stus in carne venerit, et in eadem carne, in qua „ natus et passus est, resurrexit, et ipse sit filius „ Dei; sed tamen ab eius corpore, quod est Ec- „ clesia, ita dissentiunt, ut eorum communio non „ sit cum toto, sed in aliqua parte separata inve- „ niatur, manifestum est, eos non esse in catho- „ lica Ecclesia: qui autem est extra Ecclesiam, eo „ ipso etiam extra viam salutis „. Unum addam locum eiusdem de Symbolo ad catechumenos: „ Siquis ab Ecclesia alienus inventus fuerit, alie-

„ nus

a) De schism. Donat. lib. II. c. 1.

„ nus erit a numero filiorum: nec habebit Deum
„ Patrem, qui Ecclesiam noluit habere matrem:
„ nihilque ei proderit, quod crediderit, vel mul-
„ ta bona fecerit „.

Uti vero schisma charitati, ita quivis error contra puritatem fidei refragatur veritati, quem dum damnat Ecclesia adversantem accepto a Christo fidei deposito, nullam ullo modo in sinu suo tolerat hæresin seu hæreticum sibi refractarium. „ Ne-
„ que enim (ut loquitur *b*) S. Cyprianus) Domi-
„ nus noster Iesus Christus, cum in Evangelio suo
„ testaretur, adversarios esse eos, qui secum non
„ essent, aliquam speciem hæreseos designavit,
„ sed omnes omnino hæreticos, qui secum non
„ essent, et secum non colligentes, gregem suum
„ spargerent, adversarios suos esse ostendit, di-
„ cens „: *Qui non est mecum adversum me est: et*
„ *qui mecum non colligit, spargit* „. Hinc est, quod toties tentata in nostra Germania unio Protestantium semper hactenus incassum cesserit, eritque, quamdiu illi nomen Protestantium non penitus abiecerint, in gremium Ecclesiæ simpliciter redeundo, unde exierunt: sunt ex eorum quippe numero, de quibus I. Io. II. 19. *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum: sed ut manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis.* Igitur si ex animo cupiunt reuniri, ante omnia necesse est infallibile Ecclesiæ iudicium agnoscere, et quæ ab Ecclesia definita sunt, suscipere. Id quod illis, qui me ad tentatam sub auspiciis Celf. Princ. epi-

 scopi

a) Lib. I. epist. 6. ad Magnum.

scopi et abbatis Fuldensis reunionem Protestantium cum Ecclesia catholica invitabant, respondi ut unte omnia concilio Tridentino subscribant, atque confessioni Fidei ad mentem eiusdem: deinde iudicio Ecclesiæ se subiiciant ceu infallibili. Primum enim nisi fiat, in Ecclesiam omnem hæresim damnantem suscipi non possunt: sine altero, nihil stabile esse posset. Si resilire semper integrum sit cuique, frustra foret omnis unio perinde ac catechismi, confessiones fidei, synodi, pacta conventa apud eos, qui nullum agnoscunt Ecclesiæ tribunal, arbitrio relicto cuiusque dictamini: frustra ipsa schismatis et hæreseos appellatio ac scelus, quod in alios non cadit, quam refractarios, qualis nemo dici vult, qui suo est relictus arbitrio: unde lata cuique religioni atque etiam irreligioni ipsi aperitur via, inevitabili aberrandi periculo apud eum, qui erroneo ductus conscientiæ dictamine, errorem pro veritate habet, tenebras pro luce; neque, si etiam ipsa irreligio foret, Iudaismus, vel paganismus, se ipso arbitro, et iudice in causa, stringeretur.

Quodsi vero saltem religio christiana pro norma suscipiatur, et in systemate Protestantium pro regula fidei scriptura, continget deinceps, quod hactenus experti sunt vel ipsi Protestantes sibi ipsis non concordes, qui nec ipsi sentiendi licentiam, nisi per confessiones et cathechismos, sed contra palladium suum libertatis conscientiæ, sistere potuerunt; minusque poterunt, qui novissime solum textum biblicum admittendum statuunt: quibuscum facere videntur nuperrimi Hallenses

lenses et Lipsienses illi quidam, qui sub auspiciis magni monarchæ non sunt veriti, etsi omnem hierarchiam reiiciant, Pio VI. tamen ipsi summo pontifici aliisque orthodoxis Ecclesiæ catholicæ et apostolicæ professoribus obrepere: qui vero ipsi apostolici dici volunt, necdum nati, ausique prodire in lucem. Cum manifesto Christi oraculo ea sit Ecclesia apostolica, quæ ab Hierosolymis incipiens, non hodie demum orta, per apostolos, a Christo in omnem terram ad prædicandum palam *in lumine* super tecta evangelium missos fundata vere apostolica est, eritque usque ad consummationem seculi, quousque se cum ipsis futurum promisit Christus, una catholica; eius autem dum labefactatur auctoritas. nec infallibilis agnoscitur, potiusque relinquitur fallibili humano iudicio proprioque arbitrio religio, quid nisi Babylonica quædam superest confusio linguarum, Deum profiteri sibi videntium, sed nec inter se, nec secum ipsis consentientium, prono ad irreligionem ipsam, quem quotidie accelerari, proh dolor! conspicimus, cursu?

---

## Caput XLVIII.

### *Ecclesiæ militantis regni Christi in terris tempora novissima.*

Sed quid? si quidem hæc ita se habeant, anne novissima illa tempora instare videantur secundi adventus Christi, de quibus Luc. XVIII. 8. *Filius hominis veniens, putas, fidem inveniet in terra?* Non potest esse quæstio, *de die illo vel hora*, quam

*nemo ſcit, neque angeli cœlorum, niſi ſolus Pater.* Matth. XXIV. 36. cui Marc. XXI. 32. Filius etiam adiungitur. De illo temporis articulo ſermo eſt, de quo nos mox Chriſtus cum hæc dixiſſet, attentos, circumſpectos, et ſollicitos eſſe voluit *a*) eo ipſo, quod diem et horam neſciamus: *Videte, vigilate, et orate: neſcitis enim, quando tempus ſit.*

Proxime ante paſſionem ſuam certiores a Chriſto facti diſcipuli de ruina templi accedentes ad eum ſecreto Petrus et Iacobus et Ioannes, et Andreas interrogabant eum *b*) dicentes: *Dic nobis, quando hæc erunt, et quod ſignum adventus tui, et conſummationis ſeculi?* Quemadmodum vero illi interrogationem coniungunt de excidio templi Hieroſolymitani, et conſummatione ſeculi, ita etiam reſponſum tulerunt; ut utriusque eventus ſigna Chriſtus apud Matthæum XXIV. Marcum XIII. et Lucam XXI. partim diſtincta protulerit, partim etiam coniunctim pro convenientia quadam utriusque eventus: quorum primus quidem non ita multo poſt adventum ſuum primum erat futurus in excidio Hieroſolymitano: alter autem ante adventum ſuum ſecundum ad iudicium extremum, conſummationemque ſeculi. Iudicii huius extremi cum mors hominis cuiusque ſit imago, utriusque perinde conſideratio ſemper præ oculis habita, nunquam non utilis eſt et opportuna. Ubi id conſiderandum eſt vel maxime, quod non ſolum huius iudicii ſeu conſummationis ſeculi tempus ſit incertum, ſed etiam ſigna eiusmodi a Chriſto apud tres

*a*) Marc. XIII. 33. *b*) Matth. XXIV. 3.

tres memoratos Evangelistas sint designata, quæ nos semper in salutari metu detineant, et in officio continere debeant perinde, ac incerta mortis hora, incertumque fatum, ac destinatio post hanc vitam: unde nos Sapiens *a)* monet: *In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis.* Ante omnia vero nos Christus a seductoribus cautos esse vult *b)* et circumspectos apud omnes tres Evangelistas. *Videte ne quis vos seducat, multi enim venient in Nomine meo dicentes ego sum Christus et multos seducent.*

Quod non de illis solum intelligendum, qui se pro pseudomessia venditarunt, aut venditabunt: de quibus apud Marcum XIII. 8. et Lucam XXI. 5. omisso Christi nomine habetur: *dicentes, quia ego sum.* Sed præcautio ad omnis generis seductores pertinet, qui nunquam defuerunt in Ecclesia militante, eruntque quam maxime illis periculosissimis temporibus, de quibus Christus *c)* quod *surgent pseudochristi, et pseudoprophetæ, et dabunt signa magna et prodigia, ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Quæ nobis ad cautelam sunt prædicta. Apostolos autem ipsos Christus præmonuit, non esse incaute post eos eundum, qui *d)* dicerent: *appropinquavit tempus: cum autem audieritis prœlia et seditiones, nolite terreri; oportet enim primum hæc fieri; sed nondum statim finis. Tunc dicebat illis: surget gens contra gentem, et regnum adversus regnum. Et terræ motus magni erunt per loca, et pestilentiæ,*



*a)* Eccl. VII. 40. *b)* Matth. XXIV. 4.
*c)* Matth. XXIV. 24. *d)* Luc. XXI. 9.

*et fames terroresque de cœlo, et signa magna erunt* Eadem apud Matthæum et Marcum memorantur, additur autem, hæc omnia initia esse dolorum. Tunc *a*) sequitur: *Videte autem vosmetipsos: Tradent enim vos* &c. Et apud Lucam; *sed ante hæc omnia iniicient vobis manus* &c. *b*) De Iudæis vero: *Væ prægnantibus et nutrientibus in illis diebus. Erit enim pressura magna super terram, et ira populo huic. Et cadent in ore gladii, et captivi ducentur in gentes, et Ierusalem calcabitur a gentibus.* Quod hodieque gentem et urbem manet fatum.

Apud Matthæum omnia simul comprehenduntur, quæ sunt futura usque ad consummationem seculi, postquam Evangelium in universo orbe prædicatum fuerit. Quod tunc et deinceps factum pro modulo credi poterat secundum notitiam, quæ habebatur terræ inhabitabilis, dum ecce novissimis his seculis demum pars integra orbis America primum detecta fuit; quæ autem omnia tempora complexu suo pervadit Matthæus *c*) *Tunc tradent vos in tribulationem et occident vos: et eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Et tunc scandalizabuntur multi, et invicem tradent, et odio habebunt invicem. Et multi pseudoprophetæ surgent, et seducent multos. Et quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus: et tunc veniet consummatio.*

*a*) Marc. XIII. 9. *b*) Luc. XXI. 12. 24.
*c*) Matth. XXIV. 9. &c.

*consummatio.* Prædicit apostolis, quæ essent passuri mala iam ante excidium urbis Hierosolymitanæ, et postea eorum etiam successores in prædicando Evangelium regni, propaganda fide per orbem, ministerioque sacro in Ecclesia militante sub persecutoribus eiusdem, omnia velut in eorum præludium, quæ Ecclesiam militantem novissimis, extremis præsertim Antichristi temporibus manent mala, *ac tribulatio magna: qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro, sed propter electos breviabuntur dies illi.* D. Petrus epist. I. c. 4. fideles ad patientiam præmuniens: *Charissimi*, ait, *nolite peregrinari in fervore, qui ad tentationem vobis fit, quasi novi aliquid vobis contingat, sed communicantes Christi passionibus gaudete, ut et in revelatione gloriæ eius gaudeatis exultantes. Si exprobramini in nomine Christi, beati eritis: quoniam, quod est honoris, gloriæ et virtutis Dei, et qui est eius spiritus, super vos requiescit. Nemo autem vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut christianus, non erubescat; glorificet autem Deum in isto nomine. Quoniam tempus est, ut incipiat iudicium a domo Dei. Si autem primum a nobis, quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio?*

Tales vero, prout a Christo prædictum supra meminimus, novissimis temporibus futuros D. Petrus ep. II. c. III. 3. designat: *Quod venient in novissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes: ubi est*

*promissio*

*promissio et adventus eius?* Ipse contextus, prout S. Augustinus a) affert totum, et explicat, manifeste prodit, *de perditione mundi* huius in consummatione seculi hæc esse sumenda. S. Iudas apostolus in sua epistola verba etiam S. Petri mutuat V. 17. &c. *Vos autem*, inquit, *charissimi, memores estote verborum, quæ prædicata sunt ab apostolis Domini Nostri Iesu Christi. Qui dicebant vobis, quoniam in novissimo tempore venient illusores secundum desideria sua ambulantes in impietatibus. Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.* Dum *apostolos* nominat, S. Paulum etiam indigitat, qui ubi Timotheum instruit, indefinite novissima tempora accipi possunt pro tempore illo, quod ab apostolis defluxit; quæ hactenus decurrit, decurretque ætas usque ad consummationem seculi; quousque se Christus cum suis apostolis, adeoque eorum successoribus futurum esse promisit, ut nimirum a seductoribus et illusoribus tutam reddant Ecclesiam militantem, conserventque: de quibus D. Paulus I. Tim. IV. 1. *Spiritus autem*, ait, *manifeste dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide, attendentes spiritibus erroris, et doctrinis dæmoniorum, in hypocrisi loquentium mendacium, et cauteriatam habentium suam conscientiam: prohibentium nubere, abstinere a cibis* &c. Qualis nimirum doctrina erat Encratitarum, imprimis vero Manichæorum, et aliarum impiarum sectarum, quæ inde ab origine christianismi coniugium non continentiæ causa spurcissimi quippe, ac libidinosissimi,

a) lib. XX. de civit. Dei c. 18.

ſiſſimi, et cibos quosdam ſuapte natura malos aut ceu lege Moſaica vetitos (quod fieri noviſſimis diebus forte ad faſcinandos Iudæos poteſt, veluti nuptiæ dum vetantur, et libidini frena laxantur) reprobarunt, ut a noſtris ſatis eſt demonſtratum contra eos, qui cælibatum, (qui ſemper a primordio religionis chriſtianæ præcipuum Eccleſiæ decus fuit agnitus) et abſtinentiam a quibusdam certo tempore cibis (qualem ipſi Apoſtoli in primo concilio Ieroſolymitano ſtatuerunt) carpunt, ceu Antichriſti in Romana catholica Eccleſia doctrinam; ut potius contra ipſos hos ſycophantas valeant, quæ idem apoſtolus II. Tim. III. prænuntiat, quod *in noviſſimis diebus inſtabunt tempora periculoſa, eruntque homines ſeipſos amantes, cupidi, elati, ſuperbi, blaſphemi, parentibus* atque imprimis eis, qui a Chriſto in Eccleſia conſtituti ſunt apoſtoli, et eorum ſucceſſoribus *non obedientes, ingrati, ſceleſti etc. ſemper diſcentes et nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes:* novatores nempe in doctrina ab apoſtolis in Eccleſia relicta ceu depoſito, quod D. Paulus Timotheum in utraque epiſtola *a)* cuſtodire monet contra errores, de quibus I. Io. II. 18. *Filioli! noviſſima hora eſt, et ſicut audiſtis, quod Antichriſtus venit, et nunc Antichriſti multi ſunt, unde ſcimus, quia noviſſima hora eſt.*

Percurrit vero *Hora* hæc totum illud intervallum, quod inter utrumque Chriſti adventum intercedit, per quam intercapedinem incertum eſt, qua hora Chriſtus venturus ſit, *ut fur* ſcilicet:

a) I. Tim. VI. 20. II. 1. 14.

cet: qua comparatione ipse Christus Matth. XXIV. 43. utitur. Et D. Petrus ep. II. c. III. 10. *Adveniet autem dies Domini ut fur*; et S. Paulus I. Thess. v. 2. *Ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint, pax, et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, et non effugient. Vos autem fratres non estis in tenebris, ut vos dies illa tanquam fur comprehendat.* Sic porro cuique quodvis vitæ suæ momentum novissima dici potest hora, quia nescit, *qua hora Dominus venturus sit. .. Si autem dixerit malus servus ille in corde suo: moram facit dominus meus venire: et cœperit percutere conservos suos; manducet autem et bibat cum ebriosis: veniet dominus servi illius, in die, qua non sperat, et hora qua ignorat: et dividet eum, partemque eius ponet cum hypocritis, illic erit fletus et stridor dentium.* a) Duplex hic infidelis servi distinguitur culpa in militante Ecclesia, percutere conservos, et manducare et bibere cum ebriosis; generalius vero est ebrietais nomen vitio luxuriantis naturæ: generalius adhuc Luc. XXI. 34. attendere iubemur *a crapula et ebrietate, et curis huius seculi.* Addit Matthæus violentas percussiones conservorum, quales omnes conditione humana æquales sumus, christiana autem vocatione in libertatem filiorum Dei vindicati. Ad violentiam et oppressiones pertinent bella, cædes ac tyrannis, cuiusmodi nobis maxime de novissimis temporibus in prophetis et evangeliis sunt prædicta, atque breviter Apoc. XX.

7. *Cum*

a) Matth. XXIV. 42. 48.

7. *Cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, et exibit, et seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog et Magog, et congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris. Et ascenderunt super latitudinem terræ, et circuierunt castra sanctorum, et civitatem dilectam. Et descendit ignis et devoravit eos* &c. Hæc sunt novissimorum temporum fata ac sors servi infidelis cum hypocritis: qualis maxime futurus est homo ille peccati, *cuius est adventus secundum operationem satanæ in omni virtute signis et prodigiis mendacibus, in omni seductione iniquitatis a)* ut mox videbimus, *Ita ut*, ipso Christo vaticinante, *in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.*

---

*Diabolus solvendus.*

Mala illa prædicta sunt futura soluto satana, expleto illo regno Christi millenario, qui numerus, ut vidimus, *non quantitatem temporis*, ut cum S. Gregorio *b)* rem exprimam, *sed universitatem, qua regnat Ecclesia, designat.* Quo nimirum tempore ligatus est Satanas, *ut non seducat amplius gentes, donec consummentur mille anni, et post hæc oportet illum solvi modico tempore.* Estque resurrectio illa prima, de qua S. Ioannes mox: *Beatus et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem; sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis: et cum consummati fuerint*

*rint*

*a)* II. Thess. II. 9. *b)* lib. XVIII. in Iob. n. 67. et alibi.

*rint mille anni, postea solvetur satanas.* a) Epocha fixa est, et omnino determinata, manifestumque signum, ac terrificum solvendi Satanæ classicum post regnum illud Christi in terris, quod iam S. Ioannes Apoc. XI. 15 &c. postquam septimus angelus cecinit, denuntiaverat: *Et factæ sunt voces magnæ in cælo dicentes: Factum est regnum huius mundi Domini nostri et Christi eius, et regnabit in secula seculorum: Amen. Et viginti quatuor seniores, qui in conspectu Dei sedent in sedibus suis, ceciderunt in facies suas, et adoraverunt Deum dicentes: Gratias agimus tibi Domine Deus omnipotens, qui es, et qui eras, et qui venturus es, qui accepisti virtutem tuam, et regnasti. Et iratæ sunt gentes, et advenit ira tua, et tempus mortuorum iudicari, et reddere mercedem servis tuis prophetis, et sanctis, et timentibus nomen tuum pusillis et magnis, et exterminandi eos, qui corruperunt terram.* Versus hic postremus cap. XI. 18. paralellus est cap. XX. 4. de regno militantis Ecclesiæ in communione sanctorum Ecclesiæ triumphantis, donec solvendus sit Satan post mille annos regni huius sanctorum cum Christo; quod hic prædicit S. Ioannes *tempus mortuorum iudicari et reddere mercedem servis suis prophetis, et sanctis, et timentibus nomen tuum pusillis et magnis, et exterminandi eos, qui corruperunt terram:* pertinet hoc primo ad iudicium bestiæ, id est Romæ Ecclesiam persequentis: quod Bossuet in Apocalypsin b) ante regnum Ecclesiæ mille annorum statuit, Gog, et Magog autem post illud regnum; epocham vero persecu-

tionis

a) Apoc. XX. 35. 6. 7. b) cap. XI. et XX.

tionis Romæ gentilis in Ecclesiam repetit a cap. XI. Apoc. unde diabolus cap. XII. dicitur descendere, habens iram magnam, sciensque, *quia modicum tempus habet*, quæ eadem verba habentur cap. XX. 3.

Probe autem observandum cap. XII. 13. postquam iam draco *proiectus* esset *in terram*, persequi illum mulierem, id est, Ecclesiam militantem: quin iam cap. V. 9. dictum fuit: *Proiectus est draco ille magnus serpens antiquus, qui vocatur diabolus, et satanas, qui seducit universum orbem: et proiectus est in terram, et angeli eius cum eo missi sunt.* Cap. XX. autem dicitur *draco serpens antiquus, qui et diabolus et satanas* ligatus et missus in abyssum, quem Viegas Luciferum esse dicit, eundemque Ribera, qui primum hominem seduxit, nempe serpens antiquus, princeps huius mundi a Christo proiectus foras, proiectus in terram: illud, dum redemto orbe per sanguinem suum regnum Christi institutum est in terris; hoc dum sub principibus christianis factus est Christus *princeps regum terræ*, ut prædictum fuit Dan. VII. *Et omnes reges servient ei, et obedient.* Et Apoc. XII. raptus dicitur *ad Deum et ad thronum eius, qui recturus erat omnes gentes*, Christus nimirum ad Patrem rediens iuxta parabolam a) *homo* ille *quidam nobilis, qui abiit in regionem longinquam, accipere sibi regnum et reverti*, ad rationem scilicet in die iudicii reddendam a servis suis, mittendumque *in stagnum ignis et sulphuris, ubi et bestia et pseudopropheta*, diabolum, qui solu-



a) Luc. XIX. 12.

tus *seducebat gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ.*

---

## *Gog et Magog. Defectio Romani imperii.*

Nominat τὸν Γὼγ καὶ τὸν Μαγὼγ Ioannes Apoc. XX. de quibus Ezechiel. XXXVIII. 2. *Fili hominis! pone faciem tuam contra Gog, terram Magog principis Mosoch, et Tubal &c.* Et v. 5. *Persæ, Æthiopes, Libyes cum eis, v. 6. et Gomer et universa agmina eius.* Quæ inter regna media erat Iudæa, cum acerrime affligeretur ab Antiocho Antichristi typo, rege Syriæ, Ægypti et Orientis, quas iam regiones Turcæ tenent in Asia, olim Scythia. Esse porro etiam Magog Scythas ex Gen. X. colligitur, ubi filius Iaphet vocatur Magog, a quo, teste Iosepho, inhabitata fuit Scythia. S. Hieronymo in Ezech. XXXVIII. Gog et Magog sunt gentes barbaræ in intima Scythia trans Caucasum. M. Paulus Venetus scribit, in Tartaria in provincia Teuduch regiones esse Gog et Magog, quas Tartari vocant Lug et Mungug. P. Franc. Ribera h. l. etiam Sibyllam citat, fluviosque Æthiopiæ interpretatur sinum Persicum et Arabicum, inter quos sinus iacet Arabia. „ Sicut ergo (ait) Mahomet per Arabes, et Tamerlanes per Scythas et Tartaros ad imperium evecti sunt, ita per eosdem evehendus et fulciendus videtur Antichristus. Hi ab emissariis Luciferi undique evocati „.

Idem

Idem *a)* in caput XIII. 42. Romæ, quod sustinuit Ierusalem, fatum ominatur, postquam a pontifice defecerit. Addit vero: „Ego, vicarium „summum Christi semper Ecclesiam habiturum „esse, sine ulla dubitatione confirmo, atque hic „semper, ubicunque sit, episcopus Romæ erit, „etiamsi illa penitus excisa sit „. Hanc nempe Ecclesiam sanguine suo D. Petrus sibi consignavit, consecravitque: putat nihilominus, claves, quas Hierosolymis accepit, Christo in fine resignandas. Blasius Viegas, qui commentario in Apoc. XIII. non fert Dominici Soto distinctionem, qua is discessionem II. Thess. II. 2. a Romano imperio civili et ecclesiastico sciscit, postea tamen *b)* Romam Babylonem profanam olim, et temporibus novissimis iterum sub Antichristo matrem fornicationum coniicit, Tertullianum et Hieronymum citans *c)* illum adversus Iudæos, hunc in epistola ad Algasiam Quæst. 1. et fuse in epistola ad Marcellam. Vultque urbem Romam evertendam a decem regibus tempore Antichristi; postquam a fide defecerit, potentem, et opulentissimam futuram, cum Franc. Ribera putat *d)*. Nec abludit Lud. Alcasar, qui non dubitat, quin post regnum Christi millenarium in ipsa urbe Roma auferendum sit iuge sacrificium, et quidquid ad publicum christianæ religionis usum pertinet. Auctor hic *e)* totam Apocalypsin ad Hierosolymæ comparationem cum Roma, et unius felicitatis cum infelicitate alterius collationem revocat; ita

P 2 ut

*a)* P. 456. *b)* p. 776. *c)* p. 778. *d)* p. 783.
*e)* In Apoc. cap. XIII. 14. XIV. n. 51. p. 458.

ut ex eius sententia *a*) prima tria capita prologum agant, deinde usque ad undecimum sermo instituatur de Ecclesia, quam Christus in Sion fundavit, ac de bello Hierosolymæ eidem rebelli illato, nec non de belli huius exitu, destructione nimirum Hierosolymæ a cap. 12. ad finem usque cap. 18. de Romanæ Ecclesiæ institutione, bello in eam, victoria de Romano imperio &c. Cap. 19. nuptiæ cum agno referuntur: tribus sequentibus felicitas sistitur ex eius sententia 1. mille annorum regnum. 2. Victoria de Antichristo. 3. civitatis cœlestis gloria; ita ut cap. 19. desinat in universi imperii conversionem, „Quæ (ait) non aliud erat, quam „ universas gentes Ecclesiæ Romanæ subiicere. „ Cap. 20. mysterium illigationis Satanæ, pergit, „ per mille annos huiusmodi est, ut scilicet Ro„ manæ promittatur Ecclesiæ per victoriam de „ Roma ethnica partam, et post Romani imperii „ conversionem (quod est cap. 19. argumentum) „ illam quiete ac pacifice suo sponso per publi„ cam religionis christianæ professionem diutur„ no tempore futuram, nec huiusmodi otium et „ tranquillitatem ab aliquo fore perturbandam, „ quoad Gogi et Magogi bellum, id est, Anti„ christi persecutio adveniat „. Idem in singulari volumine, quo eas veteris testamenti partes, quas respicit Apocalypsis, explicat; multa ad rem notat libro I. ex cap. 38. Iob cum tribus sequentibus, nempe de Behemot et Leviathan duabus belluis insignibus, terræ una, altera maris, ad quos Apoc. XIII. alludatur. Magis perspicua sunt, quæ ad

*a*) In cap. XII. Apoc. p. 858.

ad Ezechielis cap. XXXVIII. &c. obſervat: cumque varias notaſſet opiniones, unam de Antiocho, alteram de Turcis, tertiam de Antichriſto, ipſe prophetam de omnibus perſecutionibus Eccleſiæ interpretatur iuxta Hieronymum. In ipſo vero ampliſſimo commentario in Apocal. XX. poſtquam cum Pererio exploſiſſet opinionem eorum, qui perſecutionem hanc ad ſolam perſecutionem a Turcis et Mauris tempore Antichriſti pertinere exiſtimant, ipſe, quem Menochius et Tirinus ex eadem Soc. Ieſu ſequuntur, myſtici Gogi et Magogi non unicam ſolum innuit peculiarem gentem, ſed nationes omnes ſub Antichriſti vexillis militantes; nec præcipuam partem Antichriſti exercitus ex Scythis conflatum iri putat. Taceo pervulgatam eorum a non paucis ſeculis ſententiam, qui dudum regni Turcici interitum vaticinatum præſtolantur ante noviſſima Antichriſti tempora.

At enimvero alii noviſſimis temporibus Turcarum res admodum amplificandas exiſtimant, qui antiqui Romani imperii ampliſſimam in Oriente partem hactenus tenent. Noviſſimus commentator in Apocal. S. Ioannis ſæpe citatus Paſtorinius presbyter Anglicanus plus ultra prorogandum imperium Turcicum contra ſpem, ac vota, vatesque chriſtianos ſeculorum Mahumedaniſmo poſteriorum, ominatur cap. X. in quo ſextam noviſſimorum temporum epocham explicat aperto ſexto ſigillo, inſonante ſexta tuba, ac ſexta phiala effuſa: putatque, paradoxe admodum pro præſenti rerum ſtatu, fieri poſſe, ut occupato regno Ruſſico Turcæ ſibi in cætera ſeptentrionalia regna

viam complanent, unde navibus etiam in Americam victricia arma inferre queant. Reveretur vates sinister suo nomine compellare tres illas provincias seu regna, quæ Turcis desint ad complendum numerum decem cornuum quartæ bestiæ seu monarchiæ Dan. VII. et Apoc. XIII. quæ iuxta Danielem, *erat dissimilis valde ab omnibus, et terribilis nimis;* iuxta S. Ioannem autem *similis erat pardo, et pedes eius sicut pedes ursi, et os eius sicut os leonis.* Ubi observandum, ipsissimas esse has tres bestias, sub quarum figura Danieli tria priora regna repræsentabantur, quæ vero omnia amplitudine sua quartum regnum seu bestia complectebatur, atque potissimam partem a Turcis possidentur, Babylonicum, Medorum et Græcorum regna, quo in postremo veluti meditullio Turcæ resident simili pardo: qua figura Danieli tertia, Græca nimirum monarchia ostendebatur, uti etiam de Romano imperio ceu bestia quarta locutus S. Ioannes: *bestia*, inquit, *quam vidi, similis erat pardo*, quod ipsum corpus attinet, cum pedes essent ursi et os leonis. Animadvertit autem Pastorinius, necdum omnia completa hactenus esse, quæ de quarta hac bestia Daniel. VII. leguntur: atque cum plerisque Turcam Gog et eius regnum Magog Apoc. XX. 7. interpretatur, soluto, cum consummati fuerint mille anni, satana: veluti etiam Apoc. XIII. 2. bestiæ virtutem suam et potestatem magnam satanas dedisse dicitur. Congruit origo Scythica Turcarum hodiernæ magnæ Tartariæ iis, quæ de Gog et Magog iam attulimus ex

Ezechiel.

a) Dan. VII. 19. b) Apoc. XIII. 2.

Ezechiel. XXXVIII. quo et ſequenti capite velut hiſtoricam bellorum ac interitus Gog deſcriptionem proſequitur propheta, poſtquam Iſraelitarum *in noviſſimo annorum* reditum ſeu converſionem notaſſet; paucis autem omnia complexus S. Ioannes *a)* ait: *Et aſcenderunt ſuper latitudinem terræ, et circuierunt caſtra ſanctorum, et civitatem dilectam. Et deſcendit ignis a Deo, et devoravit eos.* Hæc congruunt omnino iis, quæ articulatius Ezechiel proſequitur. Obſervat inſuper Paſtorinius comment. in Apoc. cap. XII. cum bis *b)* in Apocalypſi legatur interitus Babylonis his verbis: *Cecidit Babylon magna* &c. nec ſoleat S. Ioannes repetere eandem rem, id ſemel de veteri, ſemel de nova Roma ſeu Conſtantinopoli, futura Antichriſti ſede, eſſe accipiendum, de ultimato nimirum Romani imperii in fine mundi interitu.

Ad ea vero, quæ a nobis paulo ante memorati interpretes Apocalypſeos S. Ioannis afferunt, pro firmanda ſua de noviſſimis Romani imperii fatis, Tertullianum etiam et S. Hieronymum citantes, rememoranda hic ſunt, quæ ſcripſimus ſupra, capp. VII. communem fere veterum Patrum opinionem explicantes, de propinquo fine mundi, eius duratione tamen uſque ad noviſſima Romani imperii tempora: tum etiam alio loco *de Sublimi in Evangelio chriſti.* Ex quibus palam fit, opinionem de propinquo fine mundi inde potiſſimum a primis Eccleſiæ ſeculis tenuiſſe SS. Patres, quod Romani imperii interitum non longe abeſſe crederent. Qua ſententia non ſolum a primordio religionis



a) Apoc. XX. 89. *b)* XIV. 8. XVIII. 2.

nostræ detinebantur iudaizantes christiani Chiliastæ, abusi spe et traditione Iudaica, et Apocalypsi S. Ioannis, ipsaque eius inscriptione huiusmodi: *Apocalypsis Iesu Christi, quam dedit illi Deus, palam facere servis suis, quæ oportet fieri cito.* Id quod, ac aliæ eiusmodi enuntiationes, quibus Christus ipse cito se venturum denuntiat, sæpe per decursum libri occurrunt. Accedunt propheticæ Danielis præsertim II. VII et IX. prænuntiationes de quatuor monarchiis, earumque quartæ Romanæ præsertim, supremo fato secundum interpretationem somni Nabuchodonosoris Daniel. II. 45. Dum *de monte abscissus est lapis sine manibus, et comminuit testam et ferrum, et æs, et argentum, et aurum,* ut nimirum mox antea v. 44. explicaverat propheta: *In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur, et regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem et consumet universa regna hæc; et ipsum stabit in æternum.* Demum D. Paulus etiam, dum II. Thess. II. opinionem de instanti iamiam tunc proxime die Domini, iudicii extremi, et consummationis seculi Thessalonicensibus demere vult, alteram tamen firmat de Romani imperii extremis fatis. Est hæc undecima quæstio, quam S. Hieronymo Algasia ab extremis Galliæ partibus, nempe Germaniæ nostræ secundæ, proponit *a)* in hæc verba: „ Quid sit, quod idem „ apostolus ad Thessalonicenses scribit: *Nisi discessio venerit primum, et revelatus fuerit homo peccati.* Igitur Thessalonicensium animos, vel

„ occasio

a) T. IV. p. 208.

„ occasio non intellectæ epistolæ, vel ficta revelatio, quæ per somnium deceperat dormientes, vel aliquorum coniectura, Isaiæ et Danielis, Evangeliorumque verba de Antichristo pronuntiantia, in illud tempus interpretantium moverat, atque turbaverat: ut in maiestate sua tunc Christum sperarent esse venturum. Cui errori medetur Apostolus, et exponit, quæ ante adventum Christi debeant præstolari, ut quum illa facta viderint, tunc sciant Antichristum, id est, hominem peccati, et filium perditionis, qui adversatur, et extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo sedeat, esse venturum. *Nisi*, inquit, *venerit discessio primum*, quod Græce dicitur ἀποστασία, omnes gentes, quæ Romano imperio subiacent, recedant ab eis, *et revelatus fuerit*, id est, ostensus, (quem omnia prophetarum verba prænuntiant) *homo peccati* &c „. Et iterum: „ Nec vult aperte dicere Romanum imperium destruendum, quod ipsi, qui imperant, æternum putant. Unde secundum Apocalypsin Ioannis, in fronte purpuratæ meretricis scriptum est nomen blasphemiæ, id est Romæ æternæ. Si enim aperte audacterque dixisset; non veniet Antichristus, nisi prius Romanum deleatur imperium, iusta causa persecutionis in orientem tunc Ecclesiam consurgere videbatur. Quodque sequitur: *iam enim mysterium operatur* &c. hunc habet sensum: Multis malis atque peccatis, quibus Nero impurissimus Cæsarum mundum premit, Antichristi parturitur adventus: et quod ille ope-

„ raturus est postea, in isto ex parte completur;
„ tantum ut Romanum imperium, quod nunc
„ universas gentes tenet, recedat, et de medio fiat:
„ et tunc Antichristus veniet, fons iniquitatis,
„ quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris
„ sui &c. „

Hæc singula ex S. Hieronymo hic recensenda existimavi, ut palam fiat de ruina imperii profani rem esse contra M. Ant. de Dominis, qui Ecclesiæ Romanæ ex S. Doctore calumniam struit: dum Romæ etiam in epist. ad Marcellam prosecutus fata, ibidem clerum Romanum irritatus incessit. Sed meretricem purpuratam ibi intelligere, ex loco a nobis mox relato, perspicuum fit. Vid. P. Nicolaus Coëffeteau *Pro sacra monarchia Ecclesiæ catholicæ apostolicæ Romanæ adversus rempublicam M. Ant. de Dominis* P. II. discussione c. III. lib. IV. Notanda tamen hic est ad ea, quæ mox de urbis Romæ fatis ex recentioribus quibusdam Apocalypsis interpretibus retulimus, D. Thomæ super cap. 2. epist. 2. ad Thessal. lect. 1. sententia, ubi: „ Dicendum, (inquit,) quod nondum cessavit Romanum imperium, sed est commutatum de temporali in spirituale, ut dicit Leo papa in sermone de Apostolis: et ideo discessio a Romano imperio debet intelligi non solum a temporali, sed etiam a spirituali, scilicet a fide catholica Ecclesiæ Romanæ. Est autem hoc conveniens signum: nam Christus venit, quando Romanum imperium omnibus dominabatur; ita econtra signum adventus Antichristi est discessio ab eo. „

## Caput XLIX.

### *Iudæorum conversio. Duo testes.*

Notat S. Hieronymus in citata epistola, Antichristum *in templo Dei vel Ierosolymis (ut quidam putant) vel in Ecclesia (ut verius arbitramur)* sedentem, illud ex opinione veterum Chiliastarum christianorum iudaizantium Apocalypsi S. Ioannis abutentium, imo variis commentis deturpantium. Quare in epistola ad Marcellam a) *de quinque quæstionibus*, ad tertiam quæstionem, „ de Enoch autem (scribit) et Elia quos venturos Apocalypsis „ refert, et esse morituros, non est istius tempo„ris disputatio, quum omnis ille liber aut spiri„tualiter intelligendus sit, ut nos existimamus: „ aut si carnalem interpretationem sequimur, Iu„daicis fabulis acquiescendum sit, ut rursum ædi„ficetur Ierusalem, et hostiæ offerantur in tem„plo, et spirituali cultu imminuto, carnales ob„tineant cæremoniæ „. Apoc. XI. ubi de duobus testibus agitur, nec Enoch nominatur, alibi in Scripturis solus Elias, veluti Mal. IV. 56. *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam ante, quam veniat dies Domini magnus et terribilis et convertet cor patrum in filios et cor filiorum ad patres eorum: ne forte veniam, et percutiam terram anathemate.* Eccles. XLVIII. 10. dicitur Elias *scriptus in iudiciis temporum lenire iracundiam Domini; conciliare cor patris ad filium, et restituere tribus Iacob. Beati sunt, qui te viderunt, et in amicitia*

*tua*

a) T. IV. p. 166.

*tua decorati sunt. Nam nos vita vivimus tantum, post mortem autem non erit tale nomen meum.* Mira sunt, quæ sibi non Iudæi tantum, præstolati restitutionem regni Israel, verum etiam christiani iudaizantes Chiliastæ primorum post Christum seculorum de felicitate horum temporum polliciti sunt in terra sancta, huc interpretati, quam vidit Ioannes Apoc. XXI. 2. *sanctam civitatem Ierusalem novam descendentem de cœlo a Deo, paratam sicut sponsam ornatam viro suo.* S. Hieronymus commentariis, præsertim in prophetas, invehitur in commenta illa de Ierusalem aurea atque gemmata, qualem nobis mystice describit Apocalypsis, spiritualiter utique interpretandam, ubi fideles universis gentibus imperaturi sint iuxta conceptum Iudæorum de regno Messiæ terreno, quam opinionem fabulis suis adhuc magis consspurcavit Cerinthus; nec Papias etiam defœcatum tradidit regnum illud millenarium, ut initio huius operis sententias etiam primorum SS. Patrum, sed non impuras illas retulimus secundum probabilem quoque admodum opinionem, Iudæos, qui in primo adventu Christum crucifixerunt, ad Christum convertendos ante secundum adventum, in quo, ut S. Iustinus M. in dialogo cum Tryphone Iudæo n. 32. loquitur, *agnoscetis, in quem pupugistis, et plangent tribus vestræ &c.* eum intelligens planctum, quem edent Iudæi ad Christum accedentes. Sic futurum ait p. 40. ut Iudæi in eodem Ierosolymorum loco eum agnoscant, quem contumelia affecerunt. Ubi nimirum iudicium futurum existimat, atque etiam regnum millenarium transigendum. Eam ob rem

sic

ic a) interrogatus a Tryphone n. 80. „Sed age, dic „mihi: vere hunc vos Ierosolymorum locum in„stauratum iri fatemini, ac populum vestrum con„gregatum iri, et cum Christo beate victurum „exspectatis una cum patriarchis et prophetis, iis„que qui ex nostro genere fuerunt &c. „

Affert editor ex S. Iustino locum in præf. p. LV. de Eliæ missione ad Iudæorum conversionem. Quam opinionem S. Hieronymus Chiliastis tribuit, Iudæos primum Antichristo adhæsuros, demum vero eum relicturos. Quid ipse vero de hac re sentiat S. Hieronymus, in laudata epistola ad Algasiam b) exponit, signa et prodigia Antichristi commemorans. „ Faciet (inquit) hæc omnia, non „sua virtute, sed concessione Dei propter Iudæos, „ut qui noluerunt charitatem recipere veritatis, „hoc est spiritum Dei per Christum, quia chari„tas Dei diffusa est in corda credentium. Et ip„se dicit: *Ego sum veritas.* De quo in Psalmis „scriptum est: *Veritas de terra orta est.* Qui „ergo charitatem et veritatem non receperunt, „ut Salvatore suscepto salvi fierent, mittet illis „Deus non operatorem, sed ipsam operationem, „id est fontem erroris, ut credant mendacio. „Quia mendax est ipse et pater eius. Et si qui„dem Antichristus de virgine natus esset, et pri„mus venisset in mundum, poterant Iudæi habe„re excusationem, et dicere, quod putaverint „veritatem, et idcirco mendacium pro veritate „susceperint. Nunc autem ideo iudicandi sunt, „imo procul dubio condemnandi: quia Christi

„ veritate

a) p. 177. b) p. 210.

„ veritate contemta, postea mendacium, id est,
„ Antichristum suscepturi sunt. „

Aliter vero omnino rationem ex communi fidelium persuasione, quae etiam hodie obtinet, init S. Augustinus, *De adventu Eliae ante iudicium, cuius praedicatione scripturarum secreta reserante Iudaei convertentur ad Christum*, ut inscribitur a) c. 29. lib. XX. *de civ. Dei.* Sic vero prosequitur, allato in medium celebri Malach. IV. 5. 6. loco:
„ Per hunc Eliam magnum mirabilemque prophe-
„ tam exposita sibi lege, ultimo tempore ante iu-
„ dicium, Iudaeos in Christum verum, id est,
„ in Christum nostrum esse credituros, celeberri-
„ mum est in sermone cordibusque fidelium. Ip-
„ se quippe ante adventum iudicis Salvatoris non
„ immerito speratur. Curru namque igneo rap-
„ tus est de rebus humanis, quod evidentissime
„ sancta Scriptura testatur. Cum venerit ergo,
„ exponendo legem spiritualiter, quam nunc Iu-
„ daei carnaliter sapiunt, *convertet cor patris ad*
„ *filium*, id est, cor patrum ad filios: singularem
„ quippe pro numero plurali interpretes septua-
„ ginta posuerunt. Et est sensus, ut etiam filii
„ sic intelligant legem, id est, Iudaei, quemad-
„ modum patres eam intellexerunt, id est, pro-
„ phetae, in quibus erat et ipse Moyses. „

Eliae porro raptum in turbine Enoch iungit idem S. doctor, iamque S. Irenaei discipulus S. Hippolytus passim in interpretat. in Dan. de Antichristo, item Tertullianus de anima c. 50. Lactantius

institut.

a) T. VII. p. 613.

institut. l. VII. c. 17. S. Hilarius in Matt. c. 17. S. Ephrem serm. de Antichristo, S. Ambrosius in Ps. 45. passimque iam citatus S. Hieronymus, S. I. Chrysost. hom. 58. in Matthaeum. S. Prosper dimid. temp. c. 13. S. Gregorius M. in Iob. l. IX. c. 3. estque communis persuasio doctorum ac interpretum Apocalypsis S. Ioannis, ubi cap. IX. duo testes producuntur. Unde non defuerunt, qui Eliae Moysen vel Ieremiam, ut iam S. Hilarius in cap. XX. Matth. notavit, vel *a*) Ioannem sociarunt Evangelistam, aut Baptistam, qui ab angelo denunciatus est praeiturus Christo in spiritu et virtute Eliae, a quo ipso *Elias* appellatur Matth. XI. 14. et XVIII. 11. &c. ubi Christum interrogant discipuli: *Quid ergo scribae dicunt, quod Eliam oportet primum venire? at ille respondens, ait: Elias quidem venturus est, et restituet omnia;* ut nempe a Malachia *b*) praedictum erat: *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus et terribilis. Et convertet cor patrum in filios, et cor filiorum in patres eorum;* ut scilicet unanimes sint in fide, fiatque unum ovile, et unus pastor Io. X. 16. Sic in ipso die redemtionis nostrae passionis Domini Ecclesia orat pro perfidis Iudaeis, atque in Liturgia Gelas. Deum omnipotentem rogat: *Multiplica in honorem nominis tui, quod patrum fidei spopondisti: et promissionis filios sacra adoptione dilata: ut quod priores sancti non dubitaverunt futurum, Ecclesia tua magna iam ex parte cognoscat impletum.*

Sed

*a*) P. 710. *b*) Mal. IV. 5. 6.

Sed merito nos terreat ipsius Christi Domini vaticinium de Iudæis, quod hactenus versatur coram oculis nostris, atque inter nos, qui ex gentilibus sumus oriundi, dum de Iudæis *a)* dicit: *Et captivi ducentur in omnes gentes, donec impleantur tempora nationum*, ne ita hæc intelligenda sint, quomodo Christus Iudæis pervicacibus exprobravit: *Implete mensuram patrum vestrorum.* Terret me apostolus Rom. XI. 18. serio monens: *Noli gloriari adversus ramos. Quodsi gloriaris: Non tu radicem portas, sed radix te. Dices ergo: Fracti sunt rami, ut ego inserar. Bene: propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas. Noli altum sapere, sed time. Si enim Deus naturalibus ramis non pepercit: ne forte nec tibi parcat. Vide ergo bonitatem, et severitatem Dei. In eos quidem, qui crediderunt severitatem; in te autem bonitatem Dei, si permanseris in bonitate, alioquin et tu excideris.* Dudum est, quod dolenter eheu! cernimus, maximam ac florentissimam Ecclesiæ partem in infidelium Mahumedanorum manus devenisse. Frustra maiores nostri elaborarunt, ut vel ea terra, ubi salutem operatus est Christus Dominus, recuperaretur in Oriente. In Occidente apud nos quot, et quantæ regiones defecerunt a catholica fide et Ecclesia? Quæ vero hodie facies in ipsa Ecclesia, quæ catholica dicitur, atque est, eritque semper supra firmam petram fundata? Sed ubi, et apud quos, dum illic, ubi est, incredulitas invalescit et impietas? Spes adhuc equidem alibi gentium, et a Iudæorum promissa conversione superest:

a) Luc. XXI.

superest: *Sed et illi*, pergit apostolus v. 23. *si non permanserint in incredulitate, inserentur: potens est enim Deus, iterum inserere illos. Nam si tu ex naturali excisus oleastro, et contra naturam insertus es in bonam olivam: quanto magis ii, qui secundum naturam, inserentur suæ olivæ? Nolo enim vos ignorare fratres mysterium hoc (ut non sitis vobis ipsis sapientes) quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret.* Est hoc, quod Christus a) dixit; *Donec impleantur tempora nationum.* Exemplo Iudæorum terreamur, qui *propter incredulitatem fracti sunt. Tu autem fide stas. Noli altum sapere, sed time.* Quid ad hoc increduli hoc seculo suffeni, qui nunc demum et sibi soli sapere videntur? Ecce non vult vos ignorare apostolus mysterium hoc, *ut non sitis vobis ipsis sapientes: Quia cæcitas ex parte contigit in Israel, donec plenitudo gentium intraret.* Hactenus fide iuxta apostolum gentium stetit Ecclesia ex gentibus congregata: *Quodsi aliqui ex ramis fracti sunt, tu autem, cum oleaster esses, insertus es in illis, et socius radicis, et pinguedinis olivæ factus, noli gloriari adversus ramos.* Imo rogemus cum Ecclesia catholica, atque in eius gremio firmi spem concipiamus b) quandoquidem *illorum delicto salus est gentibus, ut illos æmulentur. Quodsi delictum illorum divitiæ sunt mundi, et diminutio eorum divitiæ gentium: quanto magis plenitudo eorum? Vobis enim dico gentibus: quamdiu quidem ego sum gentium apostolus, ministerium meum honorificabo*: et sic, qui sunt præordinati et



a) Luc. XXI. 24. b) Rom. XI. 11.

parati, ministerium suum honorificabunt. Et sic omnis Israel salvus fieret, sicut scriptum est a) *veniet Sion, qui eripiat, et avertat impietatem a Iacob etc. sine pœnitentia enim sunt dona et vocatio Dei. Sicut enim aliquando et vos non credidistis Deo, nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum: ita et isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, ut et ipsi misericordiam consequantur. Conclusit enim Deus omnia in incredulitate, ut omnium misereatur. O altitudo divitiarum sapientiæ et scientiæ Dei, quam incomprehensibilia sunt iudicia eius, et investigabiles viæ eius!*

Taceo ex fanaticis, quos initio operis memoravimus, illos, qui propinquum regno Iudæorum futuro diem condicunt. Inter opera Ant. Arnaldi in huiusmodi b) pseudoprophetam superioris seculi notæ sunt solidæque stricturæ (*Remarques sur les principales erreurs d'un livre intitulé: l'ancienne nouveauté de l'Ecriture sainte, ou l'Eglise triomphante en terre*) Ubi Arnaldus alios etiam quosdam recenset, qui regnum Christi terrenum proxime tunc futurum ex Apocalypsi præsagiebant: curate autem refutat memorati anonymi librum, qui regem ex stirpe David veluti imperatorem (Lieutenant) Christi vergente seculo præterito futurum somniavit: qui postquam Romam vastaverit, Israelitis, ad Christi fidem conversis, Iudaicum sit restituturus regnum, urbemque Hierosolymitanam restauraturus, ubi sedes religionis, usûsque spiritalium et terrenarum rerum atque mira abundantia. Sunt,

a) Is. LIX. 20. b) T. IV. p. 327.

Sunt, qui diuturnum etiam ac florentem in
erra promissa, urbeque et templo Hierosolymita-
io statum Iudæorum futurum existimant. Ex his
bb. Duguet in regulis ad intelligentiam S. Scrip-
uræ gallice editis prophetarum effata colligit, ut
ostendat, post vocationem quidem gentium con-
ersionemque orbis, at non demum in fine mun-
li, futuram hanc Iudæorum conversionem: vo-
:andam totam, constituta Hierosolymis sede, gen-
em Israeliticam ex universa terra, ita ut reliquiæ
srael sanctæ, idololatria et hæresibus sublatis,
id Dominum Deum suum convertant orbem,
redditum vere christianum. Sic ex Protestantibus,
qui theocratiam N. T. in hierarchia ecclesiastica
ignoscere nolunt, nuperime I. I. Hess restauran-
dam aliquando theocratiam in stirpe David, gen-
:e Iudaica ad Christum convertenda, sciscit in
opere *de regno Dei.* Ex nostratibus vero sunt,
qui eminentem in hierarchia ecclesiastica, ad Iu-
dæos cum vera Christi Ecclesia translata ante ad-
ventum ipsius secundum, ominantur statum eo
modo, quo a Iudæis in primo adventu Christi ad
gentiles transiit: cuius opinionis instar quoddam
habent in antiquissimorum SS. Patrum Chiliasmo,
mille annos inter secundum Christi adventum et
extremum iudicium interponendo: veluti S. Iu-
stinus M. futurum existimat in dial. cum Trypho-
ne Iudæo, duplicem adventum Christi *a)* distin-
guens, „ alterum, in quo, ut inquit, eum velut
„ emissarium seniores populi vestri et sacerdotes
„ eduxerunt, manusque ei iniecerunt, et morte

Q 2 „ eum

*a)* n. 40. p. 137.

„ cum [illegible] vero, in eodem [illegible]
„ [illegible] eum, quem [illegible]
„ [illegible].

Sed [illegible] Christianus [illegible] Messiae, [illegible] regnum Messiae [illegible] post [illegible] demum [illegible] Christo [illegible] expectat. [illegible] apostolis et eorum [illegible] usque [illegible] Ecclesia [illegible] Christi [illegible], respon[illegible] [illegible], Indi[illegible] [illegible] Messiam Christum [illegible] promissionem [illegible] David patris sui pro[illegible] [illegible] Iacob, [illegible] [illegible] aeternum [illegible] regnum in Chris[illegible] [illegible] in caelis, [illegible] promissione illa, postquam scep[illegible] [illegible] sacerdo[illegible] [illegible] testamentum [illegible]. XXXI. [illegible] legit a) S. [illegible] in testamento meo, [illegible] Dominus. Quia hoc est [illegible] domui Israel post dies [illegible] leges meas in mentes [illegible] legem [illegible], ad quam [illegible], ut modo ex apostolo Rom.

Rom. XI. audivimus, esse Iudæos, perspicuæ admodum sunt aliorum etiam præter Ieremiæ relata, et a S. Paulo memorata testimonia, prophetiæ, veluti Isai. IV. X. XXXVII. et LIX. Ezech. XXXVI. XXXVII. et XXXVIII. Oseæ III. de reliquiis Israel in fine salvandis.

Sunt, qui locum illum *a)* D. Pauli: *Quodsi delictum illorum divitiæ sunt mundi, et diminutio divitiæ Gentium, quanto magis plenitudo eorum?* sic accipiant, ut sicut ex gente illa prodeuntes pauci præcones evangelii a Christo missi apostoli in omnem terram fidei lumen intulerunt; ita etiam aliquando a Iudæis, per Eliam ad Christum verum Messiam suum convertendis, defectio illa fidei postremorum temporum, a Christo notata, sit supplenda: quam quotidie magis ingruere cernimus per orbem christianum ex gentibus congregatum; postquam iam dudum a fide defecerunt integræ duæ orbis partes Africa et Asia, Mahumedanismo aut schismate ac hæresibus cum magna Europæ parte infectæ. Insuper theocratiam illam hierarchiæ in Ecclesia catholica et apostolica a Christo institutæ abiici certatim atque contemni, coram intuemur in ipso etiam paulatim orbe catholico cum præsentaneo fidei periculo, irreligiositate indies magis adcrescente ad ipsum Atheismum, Deismum ac Indifferentismum usque in promiscua illa sentiendi licentia, omni soluto repagulo. Unde amplissimus se aperit campus apostolici exerendi, exercendique zeli ac vigoris ad redintegrandum regnum Christi in Ecclesia mili-

 tante,

a) Rom. XI. II.

tatem, et promissam illam in fine temporum consequendam plenitudinem in eo, qui iuxta apostolum *a*) *est pax nostra*, ad *medium parietem maceriæ inveniendam*, Iudæos nimirum inter et gentes, ac reconciliandos *ambos in uno corpore Deo per crucem, interficiens* (Christus) *inimicitias in semetipso*. Quæ in spe iam concepta Tertullianus *b*) „Christianum, (inquit,) de restitutione „Iudæi gaudere, et non dolere conveniet. Si„quidem tota spes nostra cum reliqua Israelis ex„pectatione coniuncta est„. Et S. Io. Chrysostomus Hom. XIX. in epist. ad Rom. XI. *c*) locum mox allatum præ oculis habens, „Nam si, „(inquit,) tunc cum impegerunt, tot ex illis „lucrum nacti sunt, et si cum illi eiicerentur, tot „sunt vocati; cogita, quid futurum sit, quando „illi conversi fuerint. Non enim dixit: Quan„to magis conversio eorum, vel mutatio eorum, „vel correctio eorum, sed: Quanto magis ple„nitudo eorum, id est, quando omnes accedent. „Hoc porro dixit ostendens, tunc fore amplitu„dinem gratiæ ac doni Dei, ac fere totum dan„dum esse„. Apertissime S. Greg. M. *d*) „Cum „in diebus illis, (ait,) Ecclesia quasi quodam „senio debilitata per prædicationem filios parere „non valet, reminiscitur fœcunditatis antiquæ „dicens: *sicut fui in diebus adolescentiæ meæ*: „quamvis post eosdem dies, quibus deprimitur, „iam tamen circa ipsum finem temporum grandi „prædicationis virtute roboretur„. Add. lib.

XXXV.

*a*) Eph. II. 14. &c. *b*) lib. de pudic. p. 724.
*c*) T. IX. p. 648. *d*) lib. XIX. Moral. in Iob.

XXXV. eiusdem operis Moral. in Iob. Licet porro illud, *Renovabitur ut aquilæ iuventus tua* psalmi CII. (quem S. Athanasius et Eusebius hymnum gratiarum actionis statuunt populorum, qui fidem Christi sunt amplexi) Iudæis aliquando ad Christum convertendis applicare: oleæ scilicet, iuxta apostolum nunc excisæ, seu ficui, a Christo arefactæ aliquando pullulaturæ: unde nos Christus, cum de excidio urbis et orbis indicia præbuit, discere parabolam voluit a) cum *iam ramus eius tener fuerit et folia nata, scitis quia prope est æstas; ita et vos, cum videritis hæc omnia, scitote, quia prope est, et in ianuis*, prout in considerationibus christianis *de sublimi in Evangelio Christi* explicavimus.

---

## Caput L.

### *De Antichristo generalior idea.*

Desideratur in Apocal. commentarius Melitonis, qui fuit episcopus Sardicensis 50. post mortem S. Ioannis annis. Ad cuius ecclesiæ angelum seu episcopum habetur epistola Apoc. III. 1. &c. hortatoria ad pœnitentiam et vigilantiam: *Si ergo non vigilaveris, veniam ad te tanquam fur, et nescies, qua hora veniam ad te.* Quibus verbis Christus in evangelio, et apostolorum principes Petrus et Paulus in suis epistolis utuntur ad salutarem de incerto ac improviso adventus Christi ad iudicium tempore incutiendum timorem. Cuius etiam fecundi



a) Matth. XXIV. 32.

cundi adventus Christi tempus, cum aliis, quos supra citavimus, non longe abesse, existimasse S. Iustinum M. *a)* hinc inde colligi potest ex dialogo cum Tryphone: De Antichristo, „ Currentibus, „ ( inquit ) ad finem temporibus, iamque eo pro „ foribus adstante, qui impia et nefanda in Altissi„ mum locuturus: quem quidem tempus et tem„ pora et dimidium temporis dominaturum, Dani„ el declarat. Vos autem ignari, quam sit per„ mansurus diu, aliud existimatis. Tempus enim „ centum annos interpretamini. Quod quidem „ si ita est, hominem iniquitatis trecentos ad mi„ nimum et quinquaginta annos regnare oportet, „ ut id quod a sancto Daniele dictum est, et tem„ pora, pro duobus tantum temporibus numere„ mus „. Igitur præfiguratus in Antiocho Epiphane, ( quem sacrorum Iudaicorum profanatorem quoque præ oculis habuit Daniel VII. ) Antichristus, quem veteres Chiliastæ Iudæos primum secuturos, postea vero relicturos existimabant. S. Irenæus vero Melitoni et Iustino suppar generatim *b)* „ Dominus autem ( ait ) hoc item non credentibus „ sibi dicebat: *Ego veni in nomine Patris mei, et non recepistis me: cum alius venerit in nomine suo, illum recipietis:* „ alium dicens Antichristum, qui „ alienus est a Domino, et ipse est iniquus iudex, „ qui a Domino est, *quoniam Deum non timebat, „ neque hominem reverebatur*, ad quem fugit vi„ dua oblita Dei, terrena Ierusalem ad ulciscen„ dum de inimico. Quod et faciet in tempore „ regni sui. Transfert regnum in eam, et in tem„ plo

*a)* n. 32. p. 129. *b)* lib. III. adv. hæres. c. 25. n. 4. p. 523.

„ plo Dei ſedet, ſeducens eos, qui adorant eum, „ quaſi ipſe ſit Chriſtus„. Reſpicit hic locum S. Pauli II. Theſſ. II. 3. 4. Extat in edit. San-Maur. p. 339. fragmentum epiſt. S. Irenæi ad Florinum, in qua ſibi gratulatur, iuvenem ſe auditorem S. Polycarpi fuiſſe, ab eoque percepiſſe *familiarem conſuetudinem*, *quæ illi cum S. Ioanne, ac reliquis, qui Chriſtum viderant, interceſſit, ut narrabat.* Unde et eorum certior fieri potuit, quæ is ceteris Patribus apoſtolicis articulatius de Antichriſto habet, ad ea explicanda, quæ de eo in veteris et novi teſtamenti ſcripturis habentur, apocalypſi Ioannis præſertim, dum adhuc in Aſia S. Irenæus verſaretur cum S. Polycarpo, ut diximus, Smyrnenſi epiſcopo, ad quem ipſum incomparabilem virum pertinet epiſtola mox altera Apoc. II. 8. *Angelo Smyrnæ eccleſiæ* ſcripta. Hinc S. Iræneus lib. V. c. 30. ſe accuratis, et antiquis exemplis σπȣδαίοις καὶ ἀρχαίοις ἀντιγράφοις uſum teſtatur, ubi de ediſſerendo numero beſtiæ 666. Apoc. XIII. 18. prolixe agit, variis quidem allatis interpretationibus, ut tamen non ſolum nihil definiat, verum etiam, S. Ioannem tacuiſſe nomen, dicat, *quoniam dignum non eſt præconari a Spiritu ſancto.* Egerat capite proxime antecedenti 29. *de Antichriſti dolis, nequitia, vi apoſtatica*, et cap. 28. ad Apoc. XIII. 11. de altera beſtia, quam *Armigerum* prioris ſeu Antichriſti vocat: *De Armigero eius*, ait, *quem et pſeudoprophetam vocat* ( Ioannes ) loquebatur, *inquit*, quaſi draco, et poteſtatem primæ beſtiæ omnem faciebat in conſpectu eius: et facit terram, et qui habitant in ea, ut adorent beſtiam

Q 5 primam,

primam, cuius curata est plaga mortis eius. Et faciet signa magna, ut et ignem faciat de cœlo descendere in terram in conspectu hominum, et seducet inhabitantes super terram. *Hæc ne quis eum divinæ virtute putet signa facere, sed magicæ operatione. Et non est mirandum, si dæmoniis, et apostaticis virtutibus ministrantibus ei, per eos faciet signa, in quibus seducat habitantes super terram.* Illustrant hæc, quæ dicuntur Apoc. XIII. 11. de bestia hac alia, quam vidit Ioannes *ascendentem de terra, et habebat cornua duo similia Agni*, de quo Hab. III. 4. *Cornua in manibus eius, ibi abscondita est fortitudo eius*, virtus nimirum miraculorum, et prophetiæ, quibus ementitis Antichristus cum armigero suo mundum fascinatum decipiet. Uti postea se vidisse testatur Ioannes Apoc. XVI. *de ore draconis, et de ore bestiæ, et de ore pseudoprophetæ spiritus tres immundos in modum ranarum. Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa, et procedunt ad reges totius terræ congregare illos in prœlium ad diem magnum omnipotentis Dei. Ecce venio sicut fur &c.* Et Apoc. XIX. 20. *Et apprehensa est bestia, et cum ea pseudopropheta, qui fecit signa coram ipso, quibus seduxit eos, qui acceperunt characterem bestiæ, et qui adoraverunt imaginem eius. Vivi missi sunt hi duo in stagnum ignis ardentis.* Sic mox Apoc. XX. 9. descendisse ignis dicitur de cœlo, et devorasse eos: *et diabolus, qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis, et sulfuris, ubi et bestia, et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum.* Tertullianus, cui in Apolog. c. 32. dicitur tempus

illud

lud imminentis iudicii: *vis maxima universo orbi mminens, clausula seculi, quae acerbitates horrentas comminatur*, in libro de Resurrectione carnis . 24. D. Pauli saepe laudatum locum II. Thes. II. uc sequentem in modum circumscribit: „Obsecro
„ autem vos fratres per adventum Domini nostri
„ Iesu Christi, et congregationem nostram ad il-
„ lum, ne cito commoveamini animo, neque tur-
„ bemini, neque per spiritum, neque per sermonem,
„ *scilicet pseudoprophetarum* neque per epistolam,
„ *scilicet pseudoapostolorum*, ac si per nostram, qua-
„ si instet dies Domini. Ne quis vos seducat ullo
„ modo: quoniam nisi veniat abscessio primo, *huius*
„ *utique regni*, et reveletur delinquentiae homo, *id*
„ *est*, *Antichristus*, filius perditionis, qui adversa-
„ tur, et superextollitur in omne, quod Deus di-
„ citur, *vel religio*; ut sedeat in templo Dei, adfir-
„ mans Deum se. Nonne meministis, quod cum
„ apud vos essem, haec dicebam vobis? Et nunc
„ quid detineat, scitis, ad revelandum eum in suo
„ tempore. Iam enim arcanum iniquitatis agitatur;
„ tantum, qui nunc tenet, teneat, donec de medio
„ fiat: *quis nisi Romanus status, cuius abscessio in*
„ *decem reges dispersa Antichristum superinducet?* et
„ tunc revelabitur iniquus, quem Dominus Iesus
„ interficiet spiritu oris sui, et evacuabit apparentia
„ sui, cuius est adventus secundum operationem sa-
„ tanae in omni virtute et signis atque portentis men-
„ dacii, et in omni seductione iniustitiae eis, qui
„ pereunt „. Vid. Rigaltii notam in editione Paris. an. 1674 p. 339. Et eundem Tertullianum lib. V. contra Marcionem c. 16. p. 480. ubi ad veteres

et

et novos prophetas provocat Ioannem apostolum, qui, addit, *Antichristos dicit processisse in mundum praecursores Antichristi spiritus, negantes Christum in carne venisse, et solventes Iesum scilicet in Christo creatore.* Unus, ad quem hic provocat Tertullianus, nomine Antichristi ex scriptoribus Theopneustis utitur S. Ioannes in suis epistolis, et quidem in sensu generaliori; accommodate vero ad eam Christi intentionem, ut incertos nos, circumspectos, et paratos semper redderet. *Filioli*, inquit, *novissima hora est, et sicut audistis, quia Antichristus venit, et nunc Antichristi multi facti sunt: unde scimus, quia novissima hora est. I. Io. II* v. 18. Sic loquitur dilectus Christi apostolus, a Christo factus cautus Matth. XXIV. 5. *Videte, ne quis vos seducat. Multi enim venient in nomine meo dicentes: Ego sum Christus: et multos seducent. Audituri enim estis praelia* &c.

Frequentes tunc inter ipsos Iudaeos surrexerant pseudomessiae memorati Act. V. 36. Act. VIII. commemoratur Simon magus, qui iam, cum haec scriberet S. Ioannes, interierat: supererant vero eius discipuli, aliique, quos paulo post notat v. 22. *Quis est mendax, nisi is, qui negat, quoniam Iesus est Christus? Hic est Antichristus, qui negat Patrem et filium.* Et cap. IV. 3. *Omnis spiritus, qui solvit Iesum, ex Deo non est, et hic est Antichristus, de quo audistis, quia venit, et nunc iam est in mundo.* Ubi vero graecus textus habet τοῦτό ἐστι τὸ τοῦ ἀντιχρίστου qui nimirum adversam de Christo vero Deo vel homine doctrinam spargentes, rem Antichristi agunt eius praecursores,

cursores, ut laudatus Tertullianus S. Ioannem optime interpretatur, et semetipsum S. Ioannes Epist. II. 7. *Quoniam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur, Iesum Christum venisse in carnem: hic est seductor et Antichristus.* Simon nimirum magus in suis discipulis Gnosticis, et Docetis, qui veritatem Incarnationis negantes œconomiam redemtionis nostræ evertebant: dumque verbum specie tantum humana apparuisse dicerent, ipsi vera Antichristi imago ac præcursores fuerunt.

Passim a SS. Patribus hæretici præcursores Antichristi appellantur. (qualem apud S. Cyprianum *a*) S. Lucianus M. Decium imp. *metatorem Antichristi* vocat.) Patribus vero concilii III. Carthaginensis sub S. Cypriano *b*) generatim *Antichristus est doctor hæreticus.* In conc. Carthag. an. 256. quod extat inter opera S. Cypriani, ad laudatum etiam S. Ioannis de Antichristis multis provocatur locum. *Cum Dominus noster Christus dicat*: Qui non est mecum, contra me est: *et Ioannes apostolus eos, qui ab Ecclesia exeunt, Antichristos dicat: indubitanter hostes Christi, quique Antichristi nominati sunt, gratiam baptismi salutaris ministrare non possunt.* Ultimus, qui sententiam dicit ex Patribus in memorato concilio eo dem respicit, epistolam etiam ad Iubaianum citans, nempe „ hæreticus secundum evangelicam et „ apostolicam contestationem adversarios Christi, „ et Antichristos appellatos, quando ad Ecclesiam „ venerit,. unico Ecclesiæ baptismo baptizandos „ esse, ut possint fieri de adversariis amici, et de „ Antichristis

*a*) Epist. XXII. p. 202. *b*) T. I. conc. Hard. col. 159.

„ Antichristis christiani „. Præterquam vero,
quod hæreticos universim de Antichristi spiritu se-
cundum apostolos dicat S. Cyprianus in epist. ad
Iubaianum epist. 73. in ep. 69. ad Magnum, S.
Ioannem *a*) sic accipit, „ Ut nullam hæresin, nec
„ schisma discreverit, aut aliquos speciatim posue-
„ rit sed universos, qui de Ecclesia exiissent, qui-
„ que contra Ecclesiam facerent, Antichristos ap-
„ pellaverit dicens: *audistis, quia Antichristus*
„ *venit, nunc autem Antichristi multi facti sunt:*
„ *unde scimus quia novissima hora est. Ex no-*
„ *bis exierunt; sed non fuerunt ex nobis.* Subdit
„ S. Martyr: Unde apparet; adversarios Domini
„ et Antichristos omnes esse, quos constet a cha-
„ ritate atque ab unitate Ecclesiæ Catholicæ reces-
„ sisse „. Est hæc epistola in eodem argumento
contra baptismum hæreticorum: „ Nisi, ( ut infra
„ dicit, ) si iustum quibusdam videtur, ut illi,
„ qui extra Ecclesiam apud adversarios et Anti-
„ christos profana aqua polluuntur, baptizati iu-
„ dicentur „. Et mox sequenti ep. 70. S. Ioan-
nis locum citatum repetens: „ Unde ( subdit, )
„ nos quoque colligere et considerare debemus,
„ an qui adversarii sunt Domini, et appellati sunt
„ Antichristi, possint dare gratiam Christi „. S.
Hieronymus in cap. II. Nahum eundem locum
epistolæ S. Ioannis afferens, *tot enim*, ait, *Anti-
christi sunt, quot dogmata falsa.* Et in cap. XXIV.
Matth. *Ego reor*, subdit, *omnes hæresiarchas An-
tichristos esse, et sub nomine Christi ea docere, quæ
contraria sunt Christi.* Nec abludit Theodoretus,
dum

*a*) I. Io. II.

lum II. Thess. II. 7. *mysterium iniquitatis* omnes xortas hæreses significare a) dicit. S. August. lib. XX. de civitate Dei cap. 19. notat, qui verba illa postoli: *Quid detineat scitis, et mysterium iniquiatis*, intellexerunt *de malis et fictis, qui sunt in Ecclesia, donec perveniant ad tantum numerum, qui Antichristo magnum populum faciat.* Addit os, qui ita sentiunt, etiam ad epistolæ S. Ioannis b) locum provocare: „ sicut ergo (ait,) ante „ finem in hac hora, inquiunt, quam Ioannes no„ vissimam dicit, exierunt multi hæretici de me„ dio Ecclesiæ, quos multos dicit Antichristos: „ ita omnes tunc inde exibunt, qui non ad Chri„ stum, sed ad illum novissimum Antichristum „ pertinebunt, et tunc revelabitur „.

Latissime Antichristi vocem in hunc epistolæ S. Io. locum accipit V. Beda: *Antichristos, ait, hæreticos. Sed et illi, qui fidem catholicam, quam confitentur perversis actionibus destruunt, Antichristi id est, Christo contrarii vocantur.* Et Absoii abbas monasterii Dervensis inter opera Alcuini (T. II. p. 528.) in libello de Antichristo: *Quicunque,* ait, *sive laicus, sive canonicus, sive monachus contra iustitiam vivit, ordinis sui regulam impugnat, et quod bonum est, blaspemat, Antichristus, et minister satanæ est.* Sic quisque sese ad evangelium exigens absque iniuria Antichristianismi reum accusare potest. Relatus D. Pauli II. Thes. II. locus persuasit, ut etiam persecutores Ecclesiæ Antichristi haberentur Nero, Caius, Caligula ex sententia quoque recentiorum Grotii, Hamondi.

Quorum

a) T. II. p. 597. b) Ia. II. 18. 19.

Quorum ille annotat ad cap. 17. Apoc appendicem a) addit *ad interpretationem locorum novi testamenti, quæ de Antichristo agunt, aut aptantur, in qua via sternitur ad christianorum concordiam.* Dum nempe a Romano pontifice atrocissimam illam calumniam abstergit, qua Luthero, cui nec SS. Trinitas a scomatibus fuit immunis, antesignano (paucis illis, quos commoravimus, ex ordine Minorum exceptis, qui Antichristi nomen sensu improprio ac latiori sumserunt) factio quædam Novatorum Antichristi infamiam sedi apostolicæ affingere non erubuit. Et si vero is esset *homo peccati, filius perditionis, ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui b)* quando nimirum venturus est in maiestate sua ad iudicium; ac si, inquam, iste tam singulariter designatus possit intelligi de longa hominum, Romanorum nempe pontificum, serie per tot iam secula, post finem Babylonis, bestiæ, et meretricis, quam, ultro damus adversariis, esse Romam sed profanam, debellatricem sanctorum: a cuius casu, imperii nimirum Romani urbe tam sæpe depopulata sec. V. et VI. reputant plerique isti, ut ita dicam antipapistæ, Antichristi tyrannidem seu dominationem R. P. iam hodie ultra duas tertias diuturniorem, quam fuisset regnum Christi Ecclesiæ, sponsæ, quam acquisivit sanguine suo. Immo postquam vix inchoasset regnum illud sanctorum in terris, vix eluctata Ecclesia Christi statu suo presso sub persecutionibus imperatorum ac imperii seu monar-

chiæ

a) T. VIII. Critic. Sacror. p. 507. b) II. Thessal. II. 8.

hiæ per pedes designatæ in colosso regi Nabucho-
onosor in somno viso Danielis II. et VIII. per
uartam bestiam: ubi in Antiochi Epiphanis per-
ona figuratum iam observavimus Antichristum
onstanti SS. Patrum traditione, collatis inter se
rophetia Danielis et S. Ioannis Apocalypsi, iisque
uæ mox ex D. Paulo de Antichristo notavimus;
uem quidem Apostolus iam tunc operari myste-
ium iniquitatis dicit II. Thess. II. 7. in Simone
nago nimirum et aliis deinceps hæreticis et schis-
naticis Antichristi præcursoribus, Nerone etiam
liisque Ecclesiæ militantis persecutoribus christia-
ique nominis hostibus.

Quæ sint Romani imperii fata cum Ecclesiæ
ovissimis coniuncta, ostendimus cap. XII. mox
ero sequentibus demonstravimus, a) Romam pro-
nam notari in Apocalypsi sub nomine meretricis,
abylonis, bestiæ; quod multo magis, ubi de An-
christo res est, locum habet, cuius typi et anti-
ypus id etiam loquuntur: veluti Antiochus rex,
t imperatores, quos nominavimus, Nero impri-
nis, quem SS. Patres et interpretes S. Scripturæ
d D. Pauli epist. II. Thess. II. 7. mysterium iam
perari iniquitatis, constanter asserunt, *utpote*, ut
. Chrysostomus b) in hunc locum dicit, *qui sit*
*ypus Antichristi. Ille enim volebat existimari De-*
*s.* Nec defuerunt, qui eum aliquando rediturum
ntichristum putabant, abusi loco S. Ioannis c)
uo dicit, *unum de capitibus occisum in mortem*,

 *et*

a) P. 57. &c. p. 66. &c.
b) Hom. IV. in II. epist. ad Thess. II. T. XI. p. 529.
c) Apoc. XIII. 3.

*et plagam mortis eius curatam esse*, de bestia seu monarchia locutus, quam iam explicavimus similem pardo; et pedes eius sicut pedes ursi, et os eius sicut os leonis, quæ animalia sunt simulacra priorum trium monarchiarum, quæ simul omnia quarta hodieque in se complectitur in orienti Turcarum imperio ex veteri monarchia Romana conflato, ex qua monarchia constans est SS. Patrum traditio, oriturum Antichristum iuxta sæpe citatum apostoli II. Thess. II. locum, qui id obscurius innuit, veluti etiam nonnunqum SS. Patres rem circumscribunt florente adhuc imperio. Unde Lactantius *a)* novissimum illorum temporum miserrimum statum graphice describens; „Cuius, (subdit) vastitatis et confusionis hæc erit causa, quod Romanum nomen, quo nunc regitur orbis (horret animus dicere; sed dicam, quia futurum est) tolletur de terra, et imperium in Asiam revertetur, ac rursus Oriens dominabitur, atque Occidens serviet„. Rememoranda hic sunt, quæ paulo ante de Gog et Magog notavimus ex novissimo etiam Apocalypsis S. Ioannis interprete Pastorinio, qui *b)* quæ habentur Daniel. VII. 8. de parvo illo cornu, e medio decem excrescente, familiam imperatorum Turcicorum ex Taurica Crimea fore coniicit, ex qua Antichristus sit oriturus, confidenter admodum determinans non adeo multo post (dum præsentes rerum circumstantiæ secus omnia præsagiunt) futura tempora. Quæ eo modo in benigniorem partem accipi possunt, quo cap. VII. opinionem de propinquo fine mundi in-

de

*a)* Lib. VII. Instit. c. 15. *b)* Cap. X.

le ab apostolicis temporibus, in libro quoque DE SUBLIMI IN EVANGELIO CHRISTI, ac passim in hoc libro explicavimus, ut incerti de novissimis illis temporibus, atque de eorumdem periculis cauti et circumspecti iuxta praeceptum Domini semper vigilemus, oremusque: cum eiusmodi sint futura illa novissima tempora, ut, si fieri posset, iuxta effatum divinum in errorem abducerentur etiam electi. Tunc nempe, *cum consummati fuerint mille anni, solvetur satanas de carcere suo, et exibit, et seducet gentes, quae sunt super quatuor angulos terrae Gog et Magog, et congregabit eos in praelium, quorum numerus est sicut arena maris. Et ascenderunt super latitudinem terrae, et circuierunt castra sanctorum, et civitatem dilectam a)* Iam notavimus ex S. Hieronymo, fuisse, qui illud apostoli *b)* de homine peccati filio perditionis Antichristo, *qui adversatur et extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se, tanquam sit Deus*, de Hierosolymis acciperent, ubi Iudaei sint postliminio congregandi, ut vidimus. Nec obstat, quod illud S. Hieronymus verius de ipsa Ecclesia interpretetur, veluti etiam S. Chrysostomus *c)* dum dicit: *Et sedebit in templo Dei, non quod est Ierosolymis, sed in templo Ecclesiae*, cum etiam Hierosolymis, Iudaeis ad Christum conversis, templum Ecclesiae futurum esse possit. Quis hic non expavescat prospiciens eminus novissimorum temporum ab Antichristo pericula, sedente in templo Eccle-



a) Apoc. XX. 7. b) II. Thess. II.
c) Hom. III. in ep. II. ad Thess. n. 2. T. XI. p. 525.

siæ, quæ hactenus auctoritate sua, et potestate divinitus sibi collata plenam suis præstitit securitatem, servavitque fidei integritatem, si spreta hac unice tuta cynosura, Antichristus in templo Ecclesiæ sedeat, eaque, quæ sunt a Christo Ecclesiæ data, sibi usurpet, et Antichristum se, ut uno verbo exprimam, exhibeat, *qui adversatur, et extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur*, velut ad se omnia reflectens, quæ sunt in templo Dei unice ad Deum finem ultimum rerum omnium, sacrarum præcipue referenda, *ostendens se, tanquam sit Deus?*

Mahumedana secta equidem præ cæteris disposita est ad Deum terrestrem sibi imaginandum, persuadendumque: qualem nempe eorum principes in publicis edictis se iactant Deum terrestrem, umbramque Dei. Sic Solymannus an. 1716. domui Austriæ bellum indicit, venditat, se *unicum in terris Deum: magnum, omnipotentem, et invictum imperatorem: dominum ac regem omnium regum terræ, urbis Ierusalem victorem* &c. Unde facile Iudæos, exspectantes Messiam domitorem orbis, adsuetos etiam in veteri testamento portentis ac miraculis, in suas primum, ut creditur partes trahere queat a) *cuius est adventus secundum operationem satanæ in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacibus:* quibus portentis etiam miraculis increduli alioquin passim iam hodie christiani, dum ea ipsi coram non cernunt, adhæsuri Antichristo facilius fidem adhibebunt, quando erunt propriis suis oculis conspicua, quæ iniquus ille,

accepta

a) II. Thess. II. 9.

accepta a dracone infernali *a)* virtute sua, et potestate magna operabitur. Cedit hoc in commeritam profecto pœnam incredulitatis, ac infidelitatis erga veram Ecclesiam regnum Christi in terris, miraculis identidem illustratam, quæ quantislibet demum auctoritatibus asserta, quia suis ipsi oculis suffeni hi coram haud conspexerunt, negant ac derid ent; perinde ac christianæ religionis mysteria, quia humani intellectus captum excedunt. Siquidem iuxta apostolum *b)* erit Antichristi adventus, *in omni seductione iniquitatis iis, qui pereunt: eoquod charitatem veritatis non receperint, ut salvi fierent. Ideo mittet illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio, ut iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.* Ipsoque Christi Domini *c)* testimonio *erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet. Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter electos breviabuntur dies illi. Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hic est Christus, aut illic: nolite credere. Surgent enim pseudochristi, et pseudoprophetæ: et dabunt signa magna, et prodigia: ita ut in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.*

---

## CAPUT LI.

*De Antichristo in fine mundi revelando antiquissimorum SS. PP. mens iuxta Danielem.*

Futurum est vero singulare monstrum hominis, quem non defuerunt, qui diabolum incarnatum



*a)* Apoc. XIII. 2. *b)* II. Thess. II. *c)* Matth. XXIV. 21.

„ quod iniquorum per ignem supplicium. Nam „ cum Dominus noster Iesus Christus ac Deus, „ regia celsitate atque gloriæ claritate, ut leo prædicatus sit: eodem modo et Antichristum pariter leonem scripturæ vocitarunt, pro eius tyrannide violentiaque. Seductor enim per omnia similis videri vult Dei filio. Leo quidem Christus; et leo Antichristus. Exhibitus est Salvator ut agnus; ipse quoque pariter ut agnus apparebit, cum interius sit lupus. Venit Salvator in circumcisione in mundum; veniet et ille similiter. Misit Dominus apostolos in omnes gentes; et ipse perinde pseudoapostolos. Salvator oves, quæ dispersæ erant, congregavit; ipse quoque pariter populum congregabit, qui dispersus est. Dedit Dominus fidelibus suis signaculum; ipse quoque similiter dabit. Apparuit Salvator hominis habitu; ipse quoque in hominis habitu veniet. Excitavit Salvator, ac sanctam carnem suam ut templum fecit, ipse itidem templum lapidibus constructum Hierosolymis excitabit. Ac quidem eius seducendi artificia sequentibus declarabimus. Nunc vero ad „ subiectum argumentum revertamur „. Nempe ex sacris scripturis a Genesi incipiens colligit, quæ ad rem sunt, præsertim autem huc referens non solum Danielis caput secundum et septimum, verum etiam nonum de septuaginta hebdomadibus, ultimamque hebdomadam in fine mundi futuram existimat ex computatione, quam in eo Photius in Bibliotheca a) vituperavit. De seducendi articulis

a) Cod. 202.

culis nihil, nisi unus II. Thess. II. locus occurrit. Id vero argumentum tum interpretatione in Danielem, tum vero prolixius tractatur in libro de consummatione mundi. In quo iterum nobis sistitur *a*) Antichristus in cornu illo seu rege Dan. VII. quod ex tribus aliis ortum, vocatque κέρας ὡς παραφυάδιον *cornu tanquam pullulans*, parvum, *adnatum*; unde apud S. Barnabam (prout eius epistolam nonnisi in versione admodum corrupta habemus,) *pusillus*: ubi Vulgata iuxta textum Hebræum et Græcum habet *potentior* in hoc ipso Danielis cap. VII. 24. Videtur vero etiam sanctus hic ad rem respicere apostolus. Paulo ante dixerat, dies esse nequissimos, *contrariumque* habere huius seculi potestatem: et hoc ipso loco n. 4. *b*) „ Consummata enim (inquit) tentatio, sicut scriptum „ est, sicut Daniel dicit, adpropinquavit. Propter „ hoc enim Dominus interdicit (intercidit) tempora et dies, ut acceleret dilectus illius ad hæreditatem suam. Dicit enim propheta: Regna „ in terris decem regnabunt, et resurget retro „ pusillus. De hoc ipso dicit iterum Daniel: Et „ vidi quartam bestiam nequam et fortem sæviorem cæteris bestiis marinis, et apparuerunt illi „ decem cornua: et ascendit aliud cornu breve in „ medio illorum, et deiecit cornua tria de maioribus cornibus „.

Sunt equidem hodie pauci quidam Porphyrii ac Iudæorum, qui hæc omnia ad Antiochum Epiphanem retulerunt, patroni, atque inter hos nu-



*a*) Apud Fabr. n. 16. 12.
*b*) n. 2. apud Coteler. Patres Apost. T. I. p. 56.

rabat, ut *qui legit, intelligat.* Etsi enim dicatur: *Cum autem videritis, circumdari ab exercitu Ierusalem, tunc scitote, quia appropinquavit desolatio eius:* generalius tamen apud Matthæum XXIV. et Marcum XIII. dicta, cum antecedentibus et consequentibus simul considerata, utrumque nobis in memoriam revocare Christum voluisse, typum et antitypum, urbis et orbis excidium, quivis animadvertet, præsertim quæ apud Matthæum de novissimo tempore exposita immediate præcedunt: *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Et prædicabitur evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus: et tunc veniet consummatio. Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele propheta, stantem in loco sancto: qui legit intelligat.* Danielis IX. nimirum, ubi propheta desolationem illam deplorat, et describit in fine: *Et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem, et finem perseverabit desolatio.* Et Dan. VII. 11 &c. *Et a tempore, cum ablatum fuerit iuge sacrificium, et posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta. Beatus qui exspectat, et pervenit usque ad dies mille trecentos triginta quinque.* Notat ad hæc Hippolytus *a*) in Danielem duas abominationes a Daniele prædictas, ultimamque Antichristi. „ Duas igitur „ ( inquit, ) abominationes prædixit Daniel, „ unam quidem destructionis, alteram vero deso-„ lationis. Quænam est illa destructionis, nisi

„ quam

*a*) P. 119.

„ quam ibi ad tempus statuit Antiochus. Quæ „ vero desolationis, nisi quæ erit ubique locorum „ quando adveniet Antichristus „? De ultima hac desolatione iam antea agens *a)* „ Cum enim, (ait) „ sexaginta duæ adimpletæ fuerint hebdomades, „ et Christus adfuerit, et evangelium in omni „ loco fuerit prædicatum consummatis temporibus, „ una hebdomada relinquetur extrema, in qua „ aderit Elias, et Enoch, et in dimidio ipsius ap- „ parebit abominatio desolationis, nempe Antichri- „ stus, desolationem mundo denuncians. Quum „ vero ille advenerit, auferetur sacrificium, et li- „ bamen, quod modo ubique locorum a gentibus „ offertur Deo „. Et infra *b)* in eundem Danie- lis locum, „ Tres (ait,) cum dimidio annos An- „ tichristi significavit. Tempus enim annum, et „ tempora duos annos, dimidum vero temporis „ dimidium anni, intelligit. Hi sunt mille du- „ centi nonaginta dies, quos prædixit Daniel, cum „ adimpleta fuerit passio, et facta fuerit dispersio, „ præsente Antichristo; in diebus illis cognoscen- „ tur universa hæc. Et a tempore, quo ablatum „ fuerit iuge sacrificium, etiam dies mille ducenti „ nonaginta computandi sunt; abundabit iniqui- „ tas sicut etiam Dominus dicit: *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.* Quod hebdomadam attinet Danielis ultimam, quam, ut iam notavimus, ponit in consummatione mundi S. Hieronymus etiam in caput IX. Dan. 24. sic explicat, ut eam dividat in Eliæ tempora et Antichristi, *ut tribus semis annis ultimæ*

*hebdomadæ*

*a)* n. 22. p. 110. *b)* p. 121. n. 43.

*hebdomada Dei notitia confirmetur, de qua dictum eſt:* Confirmabit pactum multis hebdomada una, *et tribus aliis annis ſub Antichriſto deficiet hoſtia et ſacrificium. Adveniente Chriſto et iniquum ſpiritu oris ſui interficiente, uſque ad conſummationem et finem perſeverabit deſolatio.* In libro *de Chriſto et Antichriſto*, poſtquam nova et vetera in medium attuliſſet, ex veteri nimirum teſtamento teſtimonia prophetarum, ex novo apocalypſin potiſſimum,
„ De tormentorum iudicio, quæ extremis tem-
„ poribus, per tyrannorum, qui tunc erunt, in-
„ iuriam illam inceſſura ſunt, operæ pretium ve-
„ ro eſt, (inquit *a*) n. 43.) ut et tempus dili-
„ genti examine exponamus, quando ſcilicet fu-
„ turum ſit, ut hæc eveniant, et cornu illud par-
„ vum inter eos emergat. Nempe quando crura
„ ferrea, quæ etiamnum rerum potiuntur, ad ve-
„ ſtigia pedum, digitosque evaſerint iuxta ſimula-
„ cri ſeu imaginis et ſtatuæ manifeſtationem, be-
„ ſtiæque formidabilis ſpeciem, uti in ſuperioribus
„ deſignatum eſt; quando futurum eſt, ut ferrum
„ et teſta in unum miſceantur. Oſtendet vero
„ nobis Daniel hæc ita propoſita; Ait enim: *Et*
„ *diſponet teſtamentum multis hebdomada una. Et*
„ *erit: in dimidio hebdomadæ auferetur ſacrificium*
„ *meum et libatio* (*Dan. IX.* 27.) Unam ergo an-
„ norum hebdomadam extremam ſignificavit, quæ
„ in fine totius mundi futura ſit; cuius hebdoma-
„ dæ dimidium ſument duo prophetæ Enoch et
„ Elias „. Hæc iterum repetuntur in libro de con-
ſummatione ſeculi, latius deductis illis, quæ ad

ipſum

*a*) T. II. Bibl. PP. p. 431.

ipsum Antichristum, eius imposturas imprimis, signa et prodigia attinent, tum etiam apostasiam hominum ultimis præsertim diebus 1200. quando cessante sacrificio abundabit iniquitas iuxta ea, quæ S. martyr in Danielem ad rem profert eadem, quæ in libro illo de consummatione seculi his verbis leguntur: „Lugebunt etiam Ecclesiæ luctum ma-
„ gnum, quia nec oblatio, nec suffitus fiet, nec
„ cultus Deo gratus. Sed ecclesiarum ædes sacræ
„ tugurii instar erunt, pretiosumque corpus, et
„ sanguis Christi non extabit diebus illis, liturgia
„ extinguetur, psalmorum decantatio cessabit,
„ scripturarum recitatio non audietur. Sed erunt
„ apud homines tenebræ, lamentatio super lamen-
„ tationem, væ super væ „. Idem in interpretatione in Danielem (p. 118. n. 99.) ad Dan. VIII. 23. &c. *Et post regnum eorum, cum creverint iniquitates, consurget rex impudens facie*, et quæ sequuntur, ex iis nobis Antichristum sic adumbrat:
„ Hæc igitur propheta ita enarrat de Antichristo,
„ qui erit impudens, belli avidus, et tyrannus,
„ qui super omnes reges, omnemque Deum ela-
„ tus urbem Ierusalem ædificabit, et templum ex-
„ citabit: hunc adorabunt veluti Deum refractarii,
„ huic genuflectent existimantes ipsum esse Chri-
„ stum: hic duos testes et præcursores Christi,
„ gloriosnm ipsius a cœlis regnum prædicantes de
„ medio tollet &c. „

Neque vero hæc ita accipienda sunt, ut adversari videantur tutissimo Ecclesiæ Dei præsidio, Christi promissioni, se cum suis *usque ad consummationem seculi* futurum esse. Nec sibi ipsi adeoque contrarius

contrarius videri debet S. Hippolytus, qui libro de Christo et Antichristo fidelium, dum ab infidelibus conculcantur, in filium Dei spem nequaquam remissam proponit, aut constantiam, nec refrigescentem charitatem, ubi n. 59. 60. 61. ultimam hanc persecutionem Antichristi ex prophetis utriusque testamenti explicat, mulierem illam sistens amictam sole, Ecclesiam fugientem a) in desertum *per tempus et tempora et dimidium tempori.* „ Qui ( ut idem S. Hippolytus interpretatur ) sunt „ dies mille ducenti sexaginta ( dimidium scilicet „ hebdomadæ ) quibus tyrannus rerum potietur, „ persequens Ecclesiam fugientem de civitate in „ civitatem, et in solitudine in montibus latitan„ tem, nullo alio tutam præsidio, quam duarum „ alarum aquilæ magnæ, fidei scilicet Iesu Christi, „ qui extensis in sancta cruce sanctis manibus suis, „ duas extendit alas dextram atque sinistram, vo„ cans ad se omnes fideles, ac velut gallina eos „ protegens. Nam et ait per Malachiam: *Vobis qui timetis nomen meum, orietur sol iustitiæ, et sanitas in pennis eius* „. Origenes, lib. VI. contra Cellsum provocatus ab eodem *de Christo et Antichristo* differere, dicit b) oportuisse hunc Christo e diametro oppositum, mali dæmonis, satanæ, diabolique filium dici; quod reipsa cum Hippolyto non pauci senserunt, diabolum ex impura muliere proditurum in terram. „ Deinde, ( sunt c) „ verba S. Hippolyti ) quoniam tum maxime ma„ lum cumulari, et ad fastigium pervenisse cogno„ scitur, cum boni speciem præsefert, idcirco ma„ lus

a) Apoc. XI. et XII. b) n. 45. 46. T. I. p. 667.
c) De consummatione mundi n. 22.

„ lus ille, collaborante patre eius diabolo, ſigna, „ prodigia, et virtutes mendaces exerit. Nam „ ſupra auxilia, quæ dæmones hominum decep- „ tores præſtigiatoribus ad peſſima facinora mini- „ ſtrant, aliud præſtatur a diabolo ipſo, ad fallen- „ dum genus humanum „. Origenes vero poſt- quam deinceps magnam partem capitis ſecundi epi- ſtolæ ſecundæ D. Pauli ad Theſſal. *quomodo in genus hominum ille, et quando venturus ſit, et qua de cauſa*, explicaſſet, ad Danielem prolapſus, ea in medium profert *a*) quæ is cap. VIII. 23. 24. 25. de Antiocho Epiphane, utpote typo Antichriſti, habet. „ Eſt (inquit) et de eodem Danielis pro- „ phetia, quæ eiuſmodi eſt, ut prudentem can- „ didumque lectorem traducat in admirationem; „ adeo divinam et propheticam inſpirationem ſa- „ pit. Ibi dicta ſunt ea, quæ ad regna futura „ ſpectant a Daniele ad uſque mundi interitum. „ Cuilibet volenti licet eam legere. Sed, quæ ad „ Antichriſtum pertinent, vide, an non ſint eius- „ modi: Et ſub finem regni eorum, cum cre- „ verint iniquitates, conſurget rex impudens facie, „ et intelligens propoſitiones, et roborabitur fortu- „ do eius, et admirabilia deſtruet, et proſperabi- „ tur, et faciet, et interficiet robuſtos, et populum „ ſanctum, et iugum vinculorum eius proſperabitur. „ Dolus in manu eius, et in corde eius magnifica- „ bitur. Dolus peſſumdabit multos, et ſtabit in „ multorum perniciem, et ut ova manu conteret. „ Quod vero a Paulo dictum eſt his eius, quæ cita- „ vimus verbis, ut ſedeat in templo Dei, oſtendens



*a*) n. 46. p. 668.

„ se quasi sit Deus, idipsum a Daniele expressum est „ in hunc modum: Et in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem temporis consummatio dabitur ad desolationem &c „. Quæ ex capite nono Danielis ad finem sunt repetita, ubi septuaginta describuntur hebdomades annorum a reædificatione templi post captivitatem Babylonicam, donec occidetur Christus: civitatem autem et sanctuarium cum templo dissipaturus esset populus cum Duce venturo: *Et finis eius vastitas: et post finem belli statuta desolatio.* Desolationem vero hanc quomodo cum verbis D. Pauli combinare potuerit, non video, nisi memoratum paulo ante Caii Caligulæ facinus subintelligat, imaginem suam adorandam statuentis in templo, uti etiam fecerat Antiochus cum imagine Iovis: æmulus uterque Antichristi typus. Sed enim funestis illis persecutionum temporibus facile, huiusmodi desolationum typos animo concipere, orbisque cum imperii Romani propinquo fine ominari, uti suo loco *a)* ostendimus etiam ex S. Hippolytho præcisius figente tempus. Sic idem in interpretatione in Danielem nuper demum in lucem protracta, *Necesse est*, ait, *b) ut quarta bestia tanquam fortior, et maior omnium, quæ ante ipsam fuere, quingentis regnatura sit annis. Temporibus vero adimpletis, et decem cornibus postremis ex ipsa* (bestia) *exortis apparebit in ipsis Antichristus. Hoc autem bellum et persecutionem adversus sanctos faciente, tunc oportet, manifestationem Domini de cœlis exspectare.*

CAPUT

*a)* Capp. 7. 8. *b)* p. 102. n. 7.

## Caput LII.

### *Antichristus extraneus, atque adversus ordini hierarchico iuxta S. Cyprianum.*

Quosquos hactenus notavimus sive typos sive antitypos Antichristi, omnes illos principes, potentes huius seculi monarchas, non hierarchas fuisse intelleximus: non eos, qui sacris operati sint, sed qui ea contaminarint, coinquinaverintque. Qualis nobis infandus lib. I. cap. I. Machabæorum rex Antiochus ille sistitur: qui eo usque processerit, ut abominandum idolum desolationis *super altare Dei* ædificarit, uti modo notavimus Caium imp. simulacrum suum in templo posuisse, quem, ut iam meminimus, non desunt, qui pro ipso Antichristo habuerunt, aut alios etiam imperatores, qui se ipsos deos consecrarunt, aut consecrari passi sunt, quod homini illi peccati, filio perditionis congruit, *Qui*, iuxta apostolum, *adversatur et extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se, tanquam sit Deus.* Quod utique nemini minus convenire potest, quam ei, qui vicarius Christi in terris est, ac se ipsum servum servorum Dei profitetur. Multo id autem magis ab illis agitur, qui veluti idolum in templo Dei posuerunt seu simulacrum eorum, quibus iura sacrorum concrediderunt, illis erepta, quos Christus in Ecclesia sua constituit gubernanda: sacra etiam contaminarunt, coinquinaruntque ac iuge illud sacrificium sustulerunt, quod Christus in cœ-

na instituit, ac faciendum in suam commemorationem iussit.

Horum ex antesignanis quidam non est veritus, papam venditare Antichristum iam tunc, cum necdum in libertatem esset vindicata Ecclesia Dei sponsa Christi, ita ut hanc iam ante mille quingentos annos in manus Antichristi devenisse oportuisset, ubi nondum trecentis annis sponsa hæc sanguinum fidelis mansisset. *Occisus es Domine et redemisti nos Deo in sanguine tuo ex omni tribu, populo et natione, et fecisti nos Deo nostro regnum et sacerdotes, et regnabimus super terram*, hoc esse iam tunc desiissent, cum adhuc ad exterminationem christiani quærerentur, sanguisque eorum ubique terrarum funderetur, ac necdum ex omni tribu, populo et natione constare posset regnum hoc sacerdotale, quod ubique gentium ad internecionem quærebatur, et pessumdabatur. Igitur Ulricus Zwinglius in cap. II. epist. II. ad Thessal. Papam cum Luthero Antichristum proclamans, factum id esse, non veretur dicere *tempore Cypriani annis trecentis post Christum.* Fuit enimvero S. Cyprianus strenuus imprimis auctoritatis hierarchicæ assertor, ac propugnator, probe gnarus, aliter politiam ecclesiasticam sustineri, continerique (quod etiam supra ex primariis Protestantium non unum agnovisse intelleximus) non posse, nec aliter fidem et unitatem Ecclesiæ in salvo esse: „ Neque enim (scribit *a)* ad Cornelium P.) aliunde „ hæreses obortæ sunt, aut nata schismata, quam „ inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur, „ nec

*a)* Ep. 59. p. 261. edit. Oxon.

„ nec unus in Ecclesia ad tempus sacerdos, et ad „ tempus iudex vice Christi cogitatur. Cui si „ secundum magisteria divina obtemperaret frater„ nitas universa, nemo adversum sacerdotum col„ legium quidquam moveret: nemo post divinum „ iudicium... iudicium se iam non episcopi, sed „ Dei faceret: nemo dissidio unitatis Christi Eccle„ siam scinderet: nemo sibi placens et tumens seor„ sim foris hæresim novam conderet, nisi si ita est ali„ quis sacrilegæ temeritatis et perditæ mentis, ut „ putet, sine Dei iudicio fieri sacerdotem. „

Hoc vero, quod divinitus institutæ potestatis sacræ proditores hierarchiæ ipsi tribuunt, in eius hostibus consimilibus iam tunc ceu novissimorum temporum indicium S. Cypriani animum perculerat. „ Cum talis; (subdit paulo post *a*) in eadem „ ad Cornelium P. se ipsum episcopum indigi„ tans, epistola) frater charissime, a quibusdam „ desperatis, et perditis, et extra Ecclesiam con„ stitutis impugnari videtur, apparet, quis im„ pugnet. Non scilicet Christus, qui sacerdotes „ aut constituit, aut protegit; sed ille, qui Chri„ sti adversarius, et Ecclesiæ inimicus, ad hoc „ Ecclesiæ præpositum sua infestatione persequitur, „ ut gubernatore sublato, atrocius atque violen„ tius circa Ecclesiæ naufragia grassetur. Nec „ quemquam fidelem et evangelii memorem, at„ que apostoli præmonentis mandata retinentem, „ movere debet, frater carissime, siquidem in ex„ tremis temporibus superbi, et contumaces, et „ sacerdotum Dei hostes, aut de Ecclesia recedunt,

 „ aut

*a*) p. 262.

„ aut contra Ecclesiam faciunt, quando tales nunc
„ futuros, et Dominus et apostoli eius ante prae-
„ dixerunt „. Et postea a) in conclusione sua
epistolæ gravius adhuc perorat: „ An ad hæc (ait,)
„ frater carissime, deponenda est catholicæ Ec-
„ clesiæ dignitas, et plebis intus positæ fidelis at-
„ que incorrupta maiestas, et sacerdotalis quoque
„ auctoritas ac potestas, ut iudicare velle se di-
„ cant de Ecclesiæ præposito extra Ecclesiam con-
„ stituti? de christianis hæretici? de sano saucii?
„ de integro vulnerati? de stante lapsi? de iudice
„ rei? de sacerdote sacrilegi? Quid superest,
„ quam ut Ecclesia Capitolio cedat &c. Si pacem
„ postulant, arma deponant: si satisfaciunt, quid
„ minantur? aut si comminantur, sciant, quia a
„ Dei sacerdotibus non timentur: neque enim et
„ Antichristus, cum venire cœperit, introibit Ec-
„ clesiam, quia minatur; aut armis eius, et vio-
„ lentiæ ceditur, quia resistentes peremturum se
„ esse profitetur „. Hæc erigere periculorum ple-
nis illis novissimis Antichristi temporibus eos,
quibus gubernandam, propugnandamque Ecclesiam
suam commisit, possunt et debent, certos, cum il-
lis futurum Christum usque ad consummationem
seculi, ut tuto dicere cum S. martyre et pontifice
queant: „ Nostra nihil interest, aut a quo, aut
„ quando perimamur, mortis ac sanguinis præ-
„ mium de Domino recepturi. Illorum flenda,
„ et lamentanda concisio est, quos sic diabolus
„ excæcat, ut æternæ gehennæ supplicia non co-
„ gitantes Antichristi iam adventum conentur
„ imitari „. Supra

a) p. 268.

Supra iam notavimus, a S. Cypriano et Patribus conciliorum Africanorum tunc in causa baptismi hæreticorum promiscue eos Antichristos fuisse appellatos: passim etiam persecutores Ecclesiæ pro Antichristo habitos. Sic S. Cyprianus imminente tunc persecutione ad plebem Tibari consistentem scribens ep. 58. quasi rem extra dubitationem positam (ea nempe conditione, qua nos Christus in evangelio vigilare, et semper paratos esse vult) refert, *a)* „ Scire enim, (inquit) debetis et pro cer„ to tenere, pressuræ diem super caput esse cœ„ pisse, et occasum seculi atque Antichristi tempus „ appropinquasse, ut parati omnes ad prælium „ stemus: nec quidquam nisi gloriam vitæ æternæ, „ et coronam confessionis dominicæ cogitemus „. Et epist. 61. Lucio Romano P. *b)* de confessione pro fide et reditu ab exilio gratulatus: „ Regre„ dientibus vobis (scribit,) breviata non est in „ episcopo confessionis suæ dignitas, sed magis „ crevit sacerdotalis auctoritas, ut altari assistat „ antistes, qui ad confessionis arma non verbis „ plebem, sed factis cohortetur: et imminente „ Antichristo, paret ad prælium milites non solum „ sermonis et vocis incitamento, sed fidei et vir„ tutis exemplo „. Nos vero, qui post tot iam secula magis propinqui utique sumus, tum vero eos, qui ipsis Antichristi temporibus futuri sunt, cautos simul reddere, ac solari debent, quæ idem S. martyr epist. 67. in responso synodico in causa lapsorum sub persecutione *c)* rescribit, ut nos erigat: „ Nec vos moveat, fratres dilectissimi, si



*a)* Ib. p. 255. *b)* p. 272. *c)* p. 290.

„ apud quosdam in novissimis temporibus aut lubrica fides nutat, aut Dei timor apud irreligiosos vacillat, aut pacifica concordia non perseverat. Prænuntiata sunt hæc futura in seculi fine, et Domini voce, atque apostolorum contestatione prædictum est, deficiente iam mundo atque appropinquante Antichristo, bona quæque deficere, mala vero et adversa proficere. Non sic tamen, quamvis novissimis temporibus in Ecclesia Dei aut evangelicus vigor cecidit, aut christianæ virtutis aut fidei robur elanguit, ut non supersit portio sacerdotum, quæ minime ad has rerum ruinas, et fidei naufragia succumbat; sed fortis et stabilis honorem divinæ maiestatis, et sacerdotalem dignitatem plena timoris observatione tueatur „.

Promissa nobis est plena securitas dicente Christo ad apostolos suos tunc, cum eo esset, ut ad Patrem suum rediens, eos ad constituendam Ecclesiam suam in universum mundum mitteret: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi.* Apostoli fatis ac morte sua dum sunt defuncti, necesse est ergo promissionem ad eorum successores pertinere *usque ad consummationem seculi* in unitate Ecclesiæ catholicæ, qua non interrupta serie unus post alterum inde ab apostolis successor ordinatus est, si non semper in eadem ecclesia (præter sedem enim Petri Romæ nulla hodie in unitate Ecclesiæ catholicæ superest ab apostolis ipsis fundata) semper tamen manet ordinationis sacræ per orbem catholicum continuatio inde ab apostolis, eritque iuxta divina promissa ac institutionem usque

que ad consummationem seculi; periculosissimis adeoque etiam illis novissimis Antichristi temporibus tutissimum electorum asylum, ne in errorem abducantur, in communione Ecclesiæ catholicæ centro unitatis consociatæ ac petræ, super quam Christus Ecclesiam suam ita firmavit, ut portæ inferi nunquam sint adversum eam prævaliture, quousque Christus promisit apostolis, se usque ad consummationem seculi cum ipsis futurum. *Dominus noster*, scribit *a)* S. Cyprianus ad lapsos, *cuius præcepta metuere, et observare debemus episcopi, honorem et Ecclesiæ suæ rationem disponens in Evangelio loquitur, et dicit Petro:* Ego tibi dico, quia tu es Petrus, et super istam petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non vincent eam: et tibi dabo claves regni cœlorum, et quæ ligaveris super terram, erunt ligata in cœlis, et quæcunque solveris super terram, erunt soluta et in cœlis: *inde per temporum et successionum vices episcoporum ordinatio, et Ecclesiæ ratio decurrit, ut Ecclesia super episcopos constituatur, et omnis actus Ecclesiæ per eosdem præpositos gubernetur.*

Inconcussa semper stetit sedes Petri in communione Ecclesiæ catholicæ inter procellas persecutionum, quibus exterius, et ventos hæresum ac schismatum, quibus interius quassatur. Obrutæ sunt hinc inde per orbem catholicæ aliæ sedes per decursum seculorum deiectæ; etiamnum iacent florentissimæ aliquando Ecclesiæ ab ipsis apostolis apostolicisque viris constitutæ; una sedes Petri inconcussa stat, ac cathedra, quam S. Cyprianus ad Cor-



a) Epist. 33. p. 216.

nelium P. a) scribens, *Ecclesiam principalem* vocat, unde *unitas sacerdotalis exorta est*. Ipse hic S. martyr suo nos exemplo et periculo docet, et cautos reddit in causa rebaptizandorum hæreticorum a sententia R. S. abscedens, non quod crederet, a centro hoc unitatis recedere, aliquando licere; sed quod talem controversiam esse existimaret, in qua salva unitate et communione ecclesiastica diversum sentire integrum esset; „ Neminem iu-
„ dicantes, ( ut episcopos hac in causa congrega-
„ tos Carthagine alloquitur ) aut a iure commu-
„ nionis aliquem, si diversum senserit, ammoven-
„ tes. Neque enim quisquam nostrum episcopum
„ se episcoporum constituit, aut tyrannico ter-
„ rore ad obsequendi necessitatem collegas suos
„ adigit: quando habeat omnis episcopus pro li-
„ centia libertatis, et potestatis suæ, arbitrium
„ proprium, tamque iudicari ab alio non possit,
„ quam nec ipse potest iudicare. Sed exspectemus
„ universi judicium D. N. I. Ch. qui unus et so-
„ lus habet potestatem et præponendi nos in Ec-
„ clesiæ suæ gubernatione, et de actu nostro iu-
„ dicandi „. At deinceps Ecclesia catholica in concilio generali Nicæno congregata controversiam hanc non ita adiaphoram habuit, ut S. Cyprianus, in causis hæresum et schismatum tam severus, hic porro pro pace et unitate in communione potestatis ecclesiasticæ inter summos Ecclesiæ Pastores pontificem et episcopos nimio abreptus zelo, ac studio moderandæ hierarchiæ haud sinistro, iuxta præscriptum Domini contra ac *reges gentium dominantur*

a) Ep. 59.

*minantur eorum*, κατακυριεύουσιν siquidem S. Stephanum P. et M. hic petere censendus sit, qui suum etiam pro Christo fudit sanguinem in cathedra Petri Romæ, quo ducendum hunc fore Io. XXI. prænuntiavit Christus significans, qua morte eum esset *clarificaturus.*

---

## CAPUT LIIII.

### *S. Victorini de Antichristo Nerone et impeperio Rom. opinio; Lactantii item.*

Romæ S. Petrus cruci affixus est sub Nerone, quem multi futurum Antichristum existimarunt, ut S. Hieronymus testatur in cap. XI. Dan. S. Augustinus lib. XX. de civit. Dei c. 19. et Sulpitius Severus lib. II. hist. S. Opinio hæc videtur ex opinione vulgi esse: cum teste Suetonio cap. 57. diu Nero post mortem crederetur vivere ac rediturus. S. Victorinus Petav. ep. in scholiis in cap. XI. Apoc. circa finem sec. III. Neronem, quasi reveritus maiestatem Romanam, tardius nominat Antichristum. Postquam enim duos testes ab Antichristo interficiendos commemorasset a) de bestia agens, *quæ ascendit de abysso*, eam ascensuram ex Ezech. et Isaia probatum it *in regno regnorum, id est Romanorum.* Et mox: *Fuisse autem eum in regno Romanorum, et fuisse inter cæsares, et Paulus apostolus contestatur: ait enim ad Thessalonicenses:* Qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat; et tunc apparebit iniquus ille, cuius est adventus

adventus

a) T. IV. Bibl. PP. p. 59.

adventus secundum efficaciam satanæ, signis et portentis mendacibus. *Et ut scirent illum venturum, qui tunc erat princeps, a) adiecit*: arcanum iam malitiæ molitur, *id est malitiam, quam facturus est, arcane molitur.* Et iterum: *Septem capita, septem reges Romanorum, ex quibus Antichristus est, ut in priori diximus.* Et cornua decem *decem reges in novissimo tempore hos eodem dicit, ut plenius ibi tractabimus.* Nempe postquam Antichristi initium sumendum a prælio Michaelis et angelorum eius in cœlis dixisset ad finem cap. XI. ad cap. XII. et bestiam et reges septem iam etiam suo nomine appellat, e quorum numero sit bestia, Nero scilicet. Et mox: „ Unum autem de capitibus quasi occisum in mortem, et plagam eius curatam, Neronem dicit. Constat enim dum insequeretur eum equitatus missus a senatu, ipsum sibi gulam succidisse. Hunc ergo suscitatum Deus mittet regem dignum, sed dignum, qualem meruerunt Iudæi „.

Alii, teste Lactantio *De mortibus persecutorum*, Neronem esse translatum crediderunt, ac virum reservatum, quos ipse deliros vocat. Fuerunt, qui Lactantio ipsi affingerent hanc opinionem, Neronem nempe interpretantes potentissimum illum regem lib. VII. Institut. c. 15. &c. qui cæteros decem sit superaturus iuxta Danielem, ad occasum quartæ monarchiæ Romanæ, cuius finem, ut alibi vidimus, non adeo abesse putavit, cum aliis quamplurimis sanctis Patribus.

CAPUT

a) p. 60.

## CAPUT LIV.

*S. Cyrilli Hierosol. et S. Ephrem mens de Ecclesia novissimorum temporum tempore Antichristi.*

S. Cyrillus Hierosol. catechesi XV. de secundo Christi adventu, etsi tempus non curiose inquirendum statim initio statuat, „ Verum (addit) „ expediebat nos signa consummationis perspecta habere, et quoniam a nobis exspectabatur Christus: ne decepti moreremur, et a mendaci Antichristo in errorem abduceremur, divino nutu „ moti, sapienti Dei consilio, apostoli ad verum „ magistrum accedunt, et aiunt: *Dic nobis quando hæc erunt, et quod signum adventus tui et consummationis seculi?* Exspectamus te secundo „ venturum, sed satanas transfiguratur in angelum „ lucis. Nos igitur tutos redde, ut non alium „ tui loco adoremus „. *a)* Tum S. Pater ex responsione Christi signa suis temporibus accomodata et propinqua colligit, impostores, bella tum externa Romanorum nominatim tunc cum Persis, cum interna seu Ecclesiæ dissidia eo tempore: „ Si „ audieris *b)* (inquit) quod episcopi adversus episcopos, et clerici adversus clericos, et populi „ in populos ad sanguinem usque grassentur, ne „ perturberis; prædictum enim antea fuit in scripturis „. Proximum signum statuit deinde abominationem desolationis, hoc est Antichristum cum defectione a fide in duabus sibi tunc oppositis Sabelliana

*a)* n. 4. p. 225. *b)* n. 7. p. 227.

Sabelliana et Ariana hæresibus. Subdit *a*) vero: „Ti-
„ bi igitur provide o homo, et animam securam red-
„ de. Testificatur nunc tibi Ecclesia in præsentia Dei
„ viventis, et quæ Antichristum spectant, præ-
„ nuntiat tibi, antequam eveniant. Eaque sive tuo
„ tempore futura sint, nescimus, sive posteris
„ nescimus: optimum tamen, te horum gnarum
„ præmuniri. „

Hoc tamen, quod notavimus de Romano impe-
rio (quod iam catech. XII. 28. notaverat, et hic
deinceps n. 30. dicit, hoc ecclesiasticos auctores
tradidisse) mox præcise statuit, Antichristum ma-
gum indigitans, „ Qui (ut ait) et Romani imperii
„ dominationem usurpabit, et falso se Christum
„ appellaturus est, et per hanc Christi appellatio-
„ nem Iudæos, qui unctum (seu Messiam ac Chri-
„ stum) expectant, decipiet, gentilesque magicis
„ præstigiis ac dolis pertrahet. Veniet porro
„ præfatus iste Antichristus, cum Romani imperii
„ completa fuerint tempora, iamiamque mundi
„ finis proximus erit. Tum simul Romanorum
„ reges exsurgent, in diversis forte locis. Post
„ hos vero undecimus erit Antichristus, magicæ
„ artis adminiculo Romanum imperium usurpans.
„ Tres eorum, qui ante se regnaverint, humilia-
„ bit, septem vero reliquos suæ ditioni subiectos
„ habens. Ac primum quidem veluti eruditus et
„ prudens quispiam clementiam, temperantiam,
„ humanitatemque simulabit: at Iudæis per signa,
„ falsaque ex magicis artibus prodigia, quasi ipse
„ exspectatus Christus esset, deceptis, omnibus
„ deinceps

a) n. 9. p. 228.

„ deinceps crudelitatis, et sceleris inscribetur no-
„ tis, ita ut omnes iniustos et impios, qui ipsum
„ præcessere, improbitate superet: sanguinarium
„ præfractæ duritiæ, inmisericordem, et versipellem,
„ cum adversus omnes, tum vero maxime contra
„ nos christianos animum gerens. Postquam vero
„ tres annos et menses sex duntaxat talia designa-
„ verit, ab secundo unigeniti Filii Dei Domini
„ et Salvatoris nostri Iesu Christi glorioso de cœ-
„ lis adventu abolebitur: qui spiritu oris sui An-
„ tichristum interficiens, illum igni tradet sempi-
„ terno „. Quod dixit de tribus et dimidio anno
iterum *a*) repetens: „ Quod (subdit) non ex a-
„ pogryphis dicimus, sed ex Daniele, ait namque:
„ *Et dabitur in manu eius usque ad tempus, et*
„ *tempora et dimidium temporis.* Ac demum: Te
„ ipsum igitur hortatur, o homo: habes signa
„ Antichristi, neque solus ea recordare, sed et
„ omnibus absque invidia communica. Si filium
„ secundum carnem habes, illum iam instrue, et
„ mone: et si quempiam per catechesin, hunc quo-
„ que cautum redde, ne falsum (Christum) sicut
„ verum recipiat. Iam enim mysterium perficitur
„ iniquitatis. Terrent ecclesiarum scissiones, ter-
„ ret fratrum odium. Et hæc quidem dicantur
„ tantum, absit vero, ut nostris temporibus com-
„ pleantur, cauti tamen interim fiamus. „

P. A. A. Touttée editor S. Cyrilli in nota I. ad n. XVI. huius catechesis *b*) ubi fideles animat ad resistendum fortiter Antichristo, *Non enim*, aiens, *robur et nervos Ecclesiæ desperatos habeo*, etiam S. Ephrem

*a*) n. 16. *b*) p. 232.

Ephrem inter eos refert, qui cultum Ecclesiæ Antichristi tempore cessaturum putent, qui nempe in sermone de Antichristo pagina 229. „ Lugebit „ (inquit) terra et mare, quia vox psalmi et orationis repente cessavit ab ore hominum: lugebunt ecclesiæ Christi universæ luctu maximo, „ eoquod amplius non afferatur divina et sancta „ oblatio „. Necdum commentarius S. Hippolyti in Danielem in lucem prodierat, dum hæc scripsit P. Touteus, alias facile rationem invenisset, S. Hippolytum sibi conciliandi, atque etiam S. Ephrem sic interpretandi, ut nequaquam pugnet cum Christi promissione, se cum suis suaque Ecclesia futurum *usque ad consummationem seculi*. Meminisse porro oportet, quale sit futurum illud tempus, ut nisi abbreviarentur dies illi, non fieret salva omnis caro. Conferamus iam obtutum nostrum in florentissimam olim Orientalem ecclesiam, ubi a seculis iam cessarunt sacra christiana; in magna vero Occidentis parte oblatio, et sacrificium incruentum Missæ antiquatum est, et abolitum.

Quodsi iam nostrum hoc præsens circumspiciamus tempus, et quæ futura sint illis diebus, quibus, si fieri posset, in errorem inducerentur etiam electi, simul in animum inducamus, nec S. Hippolytum culpabimus differentem, commentantemque in Danielem (ubi hic nobis Antiochum Antichristi typum sistit) nec S. Ephrem ex eius sententia perorantem: quod timide admodum facit, sic sermonem *in Adventum Domini et de consummatione seculi*, *et in adventum Antichristi* au-

spicatus

picatus *a)* „ Quomodo minimus ego peccator „ Ephrem, plenusque delictis enarrare ea potero, „ quæ meas excedunt vires? Quia tandem Salvator „ noster pietate sua indoctos sapientiam docuit, „ perque eos fideles ubique illuminat, et ipse lin„ guam nostram affatim movet, ad ea recensenda, „ quæ in communem utilitatem ædificationemque, „ et mihi dicenti, et cunctis auditoribus cedere „ possint, verba in doloribus facturus sum, et „ cum suspiriis dicam de instanti huiusmodi con„ summatione, impudentissimoque ac sævissimo „ dracone, qui turbaturus adveniet omnem sub „ cœlo regionem, timorem ac pusillanimitatem, „ gravemque perfidiam multorum simul hominum „ pectoribus iniiciens; prodigia quoque ac signa „ terroresque protendens, ut si fieri possit, in er„ rorem etiam ipsos inducat electos, omnesque „ decipiat in falsis ac mendacibus signis, prodi„ giorumque imaginibus, quæ ab illo fient. Si„ quidem sancti Dei permissu potestatem, decipien„ di mundum, accipiet, quod impleta iam sit im„ pietas seculi, quodque ab omnibus, et ubivis „ locorum pessima quæque perpetrentur. Eam „ igitur ob rem immaculatus Dominus spiritu er„ roris tentari patietur mundum propter eorum „ impietatem: quandoquidem sic Deo derelicto, „ placuit hominibus adhærere maligno. Magnum, „ fratres! tunc cunctis hominibus fidelibus erit cer„ tamen in diebus illis, quando signa et prodigia „ in magna potestate ab ipso dracone perficientur: „ quando rursus seipsum ut Deum ostentabit, for„ midabilibus



*a)* T. II. opp. Græc. lat. p. 222.

„ midabilibus portentis per aera volitans, cuncti-
„ que dæmones in forma angelorum coram tyran-
„ no in aere sublimes volitare conspicientur.
„ Clamabit enim in fortitudine, etiam formas im-
„ mutans, ad immensum terrorem cunctis incu-
„ tiendum hominibus. Quis, quæso fratres, fi:
„ tunc reperietur mundus, et immobilis persistens
„ ut evidens tunc argumentum secum in anim:
„ habeat, iam sanctum unigeniti filii Dei adven-
„ tum adesse, quando inenarrabilem illam viderit
„ tribulationem, ubique super omnem animam
„ fieri „. Et paulo post: „ Quis, obsecro dies illos
„ feret? Quis intolerabilem illam sustinebit? Quan-
„ do viderit confusionem populorum undique ab
„ ultimis finibus terræ venientium ad videndum
„ tyrannum, multosque coram tyranno prociden-
„ tes, clamantesque magno cum tremore: Tu
„ es Salvator noster „. Sic sæpius ille Antichri-
stum tyrannum nominat *a)* et adumbrat, apostatam
etiam compellans, et impostorem: „ Veniet (ait,)
„ scelestissimus ille sicut fur: et ut cunctos deci-
„ pere possit, se humilem simulabit, atque quie-
„ tum, iniustitiæ osorem, aversorem idolorum,
„ magnum pietatis æstimatorem, benignum, pau-
„ perum amatorem: supra modum autem Iudæo-
„ rum gentem honorabit, quod scilicet maxime
„ illius exspectant adventum &c „. Idem iam an-
tea de charactere Antichristi in dextera et fronte,
„ ne scilicet (inquit,) facultas sit homini, dextera
„ se signandi signo crucis, neque rursus in fron-
„ te ullatenus sanctum Domini nomen imprime-

„ re

*a)* P. 224. 226. 227. 228.

„ re queat, aut gloriosam, et honorandam Christi crucem „. Habetur porro eiusdem argumenti sermo T. III. p. 140.

---

## Caput XV.

### *S. Chrysostomus in epistolam II. Thessal. II.*

S. Io. Chrysostomus hom. I. in epist. II. ad Thessalonicenses fabulas tunc de Antichristo in vulgus pervagatas notans, utilem nobis dicit fuisse etiam Thessalonicensium dubitationem, ut a S. Paulo percunctandi locum sumerent, „ Non enim (ait,) „ illis solum, sed nobis quoque sunt hæc utilia, „ ut a fabulis puerilibus, et ab anilibus deliriis „ liberemur. An non sæpe audivistis, cum pueri „ essetis, quosdam multa dicere de Antichristo, „ et de genuflexione: adhuc enim teneris nostris „ animis hæc inserit diabolus, ut dogma augeatur, „ et nos possit decipere. Non hæc ergo prætermisisset Paulus, de Antichristo disserere, si fuissent utilia. Ne ergo hæc quæramus. Non enim „ sic veniet inclinans genua, sed se efferens supra „ omne, quod Deus dicitur, aut colitur: adeo „ ut in templo Dei tanquam Deum se collocet, „ ostentantem se esse Deum. Quemadmodum „ enim diabolus cecidit ex arrogantia, ita etiam „ qui ab ipso movetur, instructus est ad arrogantiam „. *a)* Et hom. III. de persona Antichristi sermonem instituens *b)* quis sit ille filius perditionis, „ Quis est autem ille, (quærit) Nunquid



*a)* T. XI. p. 511. *b)* n. 2. p. 525.

SS. Patres, imprimis S. Hieronymus tum in alios etiam prophetas, cum vero eodem, quo S. Chrysostomus, versatus argumento in libro quaestionum seu epistola ad Algasiam responsoria ad quaestionem undecimam ab ea propositam ad locum D. Pauli: *Nisi discessio venerit primum, et revelatus fuerit homo peccati, et rel.* Sic vero S. Pater a) mentem D. Pauli pandit respondentis ad dubia, ipsi a Thessalonicensibus proposita: „Igitur Thes-
„salonicensium animos vel occasio non intellectae
„epistolae, vel ficta revelatio, quae per somnium
„deceperat dormientes, vel aliorum coniectura,
„Isaiae et Danielis, evangeliorumque verba de
„Antichristo praenunciantia in illud tempus inter-
„pretantium moverat, atque turbaverat, ut in maie-
„state sua tunc Christum sperarent esse venturum.
„Cui errori medetur apostolus, et exponit, quae
„ante adventum Christi debeant praestolari, ut
„quum illa facta viderint: tunc sciant Antichri-
„stum, id est, hominem peccati, et filium per-
„ditionis, qui adversatur, et extollitur supra om-
„ne, quod dicitur Deus, et quod colitur, ita
„ut in templo Dei sedeat, esse venturum. *Ni-*
„*si*, inquit, *venerit discessio primum*, quod grae-
„ce dicitur ἀποστασία, ut omnes gentes, quae Ro-
„mano imperio subiacent, recedant ab eis, *et*
„*revelatus fuerit*, id est, ostensus (quem omnia
„prophetarum verba praenuntiant) *homo peccati*,
„in quo fons omnium peccatorum est, *et filius*
„*perditionis*, id est, diaboli: ipse est enim uni-
„versorum perditio, qui adversantur Christo, et
„ideo

a) T. IV. p. 209.

„ ideo vocatur Antichristus: *et extollitur supra* „ *omne, quod dicitur Deus*, ut cunctarum gentium „ deos, sive probatam omnem veram religionem „ suo calcet pede: *et in templo Dei*, vel Ierosolymis (ut verius arbitramur) sederit, ostendens „ se, tanquam ipse sit Christus filius Dei. Nisi, „ inquam, fuerit Romanum imperium ante desolatum, et Antichristus praecesserit, Christus non „ veniet; qui ideo ita venturus est, ut Antichristum destruat &c. Nec vult aperte dicere, Romanum imperium destruendum, quod ipsi imperantes aeternum putant. Unde secundum Apocalypsin Ioannis in fronte purpuratae meretricis „ scriptum est nomen blasphemiae, id est, Romae „ aeternae. Si enim aperte audacterque dixisset, „ non veniet Antichristus, nisi prius Romanum „ imperium deleatur, illa causa persecutionis in „ orientem tunc Ecclesiam videbatur „. Mox etiam quod sequitur apud apostolum: *Iam enim mysterium operatur* &c. De Nerone impurissimo caesarum interpretatur: „ Et quod ille operaturus „ est postea, in isto ex parte completur, tantum „ ut Romanum imperium, quod nunc universas „ gentes tenet, recedat, et de medio fiat: et tunc „ Antichristus veniet, fons iniquitatis, *quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui*, divina „ scilicet maiestate &c. „

Alibi iam S. Hieronymi lamenta audivimus, quae tunc de capta Roma, cum commentariis in prophetas incumberet, passim in suis prologis edit: prologo in Ezech. a) *Clarissimum terrarum omnium lu-*



a) T. III. p. 698.

*men extinctum* deplorat, *imo Romani imperii truncatum caput* &c. in prologo lib. VIII. *a*) quasi iam oblitum seculi calamitatum animum pandens, *quod*, ait, *in extremo fine iam positum*, *congemiscit*, *et parturit*, donec qui tenet, e medio fiat, *et pedes statuæ quondam ferrei fragilitate digitorum fictilium conterantur.* Me non monente quivis intelligit, statuam Nabuchodonosori in somno visam indigitari, qua quatuor regna Dan. II. repræsentabantur, uti etiam postea Dan. VII. per quatuor bestias, quæ deinceps S. Hieronymus interpretatur, tum vero ad verba illa: *Aspiciebam propter vocem sermonum grandium, quos cornu illud loquebatur etc. b*) „ Dei iudicium (inquit,) „ venit propter humiliandam superbiam. Idcirco „ Romanum delebitur imperium: quia cornu il- „ lud loquebatur grandia. *Et vidi*, *quoniam in-* „ *terfecta esset bestia*, *et periisset corpus eius.* In „ uno Romano imperio propter Antichristum blas- „ phemantem, omnia simul regna delenda sunt, „ et nequaquam terrenum imperium erit, sed „ sanctorum conversatio, et adventus Filii Dei „ triumphantis, de quo dicitur; *Et ecce cum nu-* „ *bibus cœli quasi filius hominis veniebat*; qui in „ somno Nabuchodonosor lapis scribitur abscissus „ sine manibus „ Christus nempe humilis in adventu primo, hic autem cum nubibus cœli in maiestate sua. Et iterum de Antichristo: *Et sermones contra excelsum loquetur* &c. „ Sive, (sunt „ *c*) verba S. Hieronymi,) ut interpretatus est Sy- „ machus; Sermones quasi Deus loquetur, ut qui

„ Dei

*a*) P. 867. *b*) Dan. VII. 11. p. 1102. *c*) p. 1103.

„ Dei assumit potentiam, verba quoque divinæ „ sibi vindicet maiestatis. *Et sanctos Altissimi conteret, et putabit, quod possit mutare tempora et leges:* Præliabitur enim Antichristus contra „ sanctos, et superabit eos: in tantamque erigetur superbiam, ut leges Dei, et ceremonias mutare conetur, et elevetur supra omne, quod dicitur Deus, religionem cunctam suæ subiiciens „ potestati „. Quæ deinceps Dan. VIII. sequuntur, ad Iudæos quidem pertinent, etiam c. XI. monarchiæ tertiæ tempore in regno Seleucidarum in Syria, sub Antiocho Epiphane præsertim, et Machabæis. *Nostri autem*, addit *a)* S. Hieronymus, *hæc omnia de Christo prophetari arbitrantur*: Tanquam typo scilicet in Antiocho rege, exemplo adducto ex psalmo 71. *qui prænotatur Salomonis, et omnia, quæ in eo dicuntur, Salomoni non valent convenire.* Et mox: „ Sicut igitur Salvator habet, et Salomonem et cæteros sanctos „ in typum adventus sui; sic et Antichristus pessimum regem Antiochum, qui sanctos persecutus est, templumque violavit, recte typum sui „ habuisse credendus est „. Sic etiam S. Hieronymus Ioel. III. de iudicio gentium populum Dei affligentium *b)* interpretatur: „ Hæc iuxta literam „ sibi Israel miserabilis repromittit. Nos iuxta „ cœptam tropologiam et gentes dæmonum, et „ eos, qui quotidie contra Ecclesiam dimicant, „ et in ultimo sub Antichristo adversum sanctos „ Domini pugnaturi sunt, accipere possumus: „ qui idcirco congregantur, ut pereant „. Non-



*a)* P. 1127. *b)* p. 1365.

nulla eiusmodi a se explicata postquam collegisset in cap. II. Sophoniæ, in illud præsertim ultimum: *Hæc est civitas gloriosa, habitans in confidentia, quæ dicebat in corde suo: Ego sum, et extra me non est alia amplius: quomodo facta in desertum, cubile bestiæ? Omnis, qui transit per eam, sibilabit, et movebit manum suam.* „ Ecclesia autem „ (pergit,) videtur prima fronte esse blasphemum, „ quod ea futura sit invia, et deserta, et bestiæ „ habitent in ea, et postea ei cum insultatione di- „ catur: Hæc est civitas malis dedita, quæ habi- „ tabat in spe, quæ dicebat in corde suo: Ego „ sum, et non est præter me amplius: quomodo „ facta est in solitudinem, pascua bestiarum? Sed „ qui consideraverit illud apostolicum *b*) in quo dici- „ tur: „ *In novissimis temporibus instabunt tempora pessima: et erunt homines sui amatores, avari, arrogantes, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, odio habentes bonum, proditores, temerarii, inflati, voluptatum amantes magis, quam Dei: habentes formam pietatis, virtutem autem eius denegantes;* Nec non et hoc, quod in evangelio „ scriptum est: quod multiplicata iniquitate re- „ frigescet charitas multorum: in tantum, ut in „ illo tempore compleatur: *Verumtamen veniens filius hominis, putas, inveniet fidem super terram?* „ non mirabitur de extrema Ecclesiæ vastitate: „ quod regnante Antichristo, redigenda sit in so- „ litudinem et tradenda bestiis, et passura, quæ- „ cunque nunc propheta describit. Si enim Deus

„ propter

*a*) P. 1668. *b*) II. Tim. III. 1.

„ propter infidelitatem ramis naturalibus non pe-
„ percit, sed fregit eos, et posuit flumina in de-
„ sertum, et fontes aquarum in sitim, terram
„ fructiferam in salsuginem propter malitiam ha-
„ bitatorum eius: cur non e contrario eos, de
„ quibus dixerat: *Posuit desertum in paludes aqua-*
„ *rum, et terram sine aqua in fontes aquarum, et*
„ *habitare fecit ibi esurientes*, et cætera: et quos
„ inseruit de oleastro in radicem bonæ olivæ, si
„ immemores beneficii recesserint a conditore suo,
„ et adoraverint Assyrium, evertat, et ad eandem
„ sitim reducat, in qua prius fuerant? Quod quum
„ generaliter in adventu Antichristi, sive in fine
„ mundi possit intelligi; tamen quotidie in his,
„ qui simulant, se esse de Ecclesia Dei, et operibus
„ negant: auditoresque legis sunt, et non facto-
„ res, accipi potest &c „. Quem hic S. Hieronymus locum D. Pauli Rom. XI. 11. &c. innuit, attulimus supra, ubi de conversione Iudæorum locuti sumus.

Qui conversionem hanc novissimis demum temporibus futuram existimarunt, illa Christi usurpantes Io. VI. *Ego veni in nomine Patris mei, et non accipitis me: veniet alius in suo nomine, et hunc accipietis*, putant, Iudæos primum Antichristo adhæsuros, sed eum relicturos, ut diximus, conversos a duobus testibus, aut uno Elia, quem Christus præcursorem secundi adventus sui fore, ipse testatur. Ita etiam Theodoretus a) *de Antichristo* lib. V. hæret. fab. In Daniel. VII. porro cum S. Hippolytho M. decem cornua decem reges qua-
tæ

a) T. IV. p. p. 302.

tæ seu Romanæ monarchiæ interpretatur a) qui circiter finem regni exsurgent; cornu autem parvum e medio ipsorum exsurgens Antichristum, et bestiam quartam ad Dan. VII. 23. designare dicit *regnum quartum* nimirum, *quod superabit omnia regna et devorabit &c.* „ Hæc autem ( ait ) illi „ per ænigmata discebant: nos vero ipsa experi- „ entia didicimus, qui videmus prædictionis even- „ tum, exactionem tributorum, paupertatem com- „ plures opprimentem, et alia fieri quotidie cer- „ nimus „. Tunc postquam probasset decem re- ges, de quibus Dan. V. 24. non successive, sed simultanee futuros, „ Perspicuum est igitur ( per- „ git ) ita prædicent, fore, ut decem circa finem „ simul exsurgant, et postremus Antichristus ex- „ oriatur, regnumque obtinere contendat: quem „ cum ipsis bellaturum, ac tres ex ipsis eversurum „ asserit. Qui quidem non contentus ea victoria, „ quam de hominibus reportavit, etiam ( ut in- „ terpretatur locum Daniel. VII. 25. ) sermones „ contra Altissimum loquetur, et sanctos Altissimi „ veterascere faciet, et, ut quædam habent ex- „ emplaria, *humiliabit, et cogitabit, mutare tem-* „ *pora et leges.* Tanta enim rabie et insania con- „ citabitur, ut superba verba, et maledicta contra „ Deum altissimum coniiciat, omneque supplicii „ genus inferat iis, qui ipsi Deo grato et benevo- „ lo animo inservientes, sanctitatis participes fue- „ rint: opinabiturque, posse se pietatem, quæ tunc „ vigebit, funditus evertere, optimamque ipsius „ rempublicam commutare. Hoc enim innuit, „ cum

a) L. VII. T. II. p. 630.

„ cum dixit: *cogitabit mutare tempora et legem*, „ hoc est, eam rempublicam, quæ tunc res ad- „ ministrabit „. Cum aliis porro non amplius quam tres cum dimidio annos tribuit Antichristi tyrannidi. Hucque ad figendum tempus revocat, quæ Dan. XII. de ultima septuaginta hebdomadarum habentur: *a tempore enim mutationis iugis sacrificii, et ut data fuerit abominatio desolationis, et dies mille ducenti nonaginta*, subdit Theodoretus: *Tempus igitur, et tempora, et dimidium temporis, tres annos cum dimidio dicit, quibus cornu illud magna loquens imperabit.* Et postquam rem omnem verbis apostoli II. Thess. II. ipsisque Christi Domini illustrasset: *Videte*, concludit, *quemadmodum ea, quæ angelus ænigmatice interpretatus est, aperte beatus Paulus docuerit.* In commentario porro epistolæ II. ad Thessal. *a*) dum illud *mysterium iniquitatis* alii de Nerone accipiunt, ut monet, *Ego autem*, subdit, *existimo, apostolum exortas hæreses significare.*

---

## Caput LVII.

### *S. Augustinus de Antichristo.*

Hoc vero iam paulo supra memoravimus, uti etiam, quod in eandem sententiam de malis et fictis, qui sunt in Ecclesia, commemoravit S. Augustinus lib. XX. de civit. Dei cap. 19. ubi totum illud, quod apostolus II. Thess. II. de manifestatione Antichristi ibi habet, ex professo illustrat *b*) nec dubitat apostolum „ de Antichristo ista dixisse,

„ se,

*a*) T. III. p. 387. *b*) T. VII. n. 2. p. 597.

„ se, diemque iudicii (hunc enim appellat diem „ Domini) non esse venturnm, nisi ille prior venerit, quem refugam vocat, utique a Domino „ Deo. Quodsi de omnibus impiis merito dici „ potest, pergit, quanto magis de isto? Sed in „ quo templo Dei sit sessurus, incertum est: utrum in illa ruina templi, quod a Salomone „ rege constructum est, an vero in Ecclesia. „ Ubi quorumdam notat sententiam, qui hic „ non „ ipsum principem, sed universum quodammodo „ corpus eius, id est, ad eum pertinentem hominum multitudinem simul cum ipso suo principe hoc loco intelligi Antichristum volunt. „ Iam vero in mentem revocemus deplorandum illum statum Ecclesiæ, quo Apoc. XX. 7. solvendus dicitur *satanas de carcere suo, et exibit, et seducet gentes, qui sunt super quatuor angulos terræ*, eo præsertim tempore, quo evangelium apud omnes gentes prædicatum fuerit, quod Christus in evangelio signum nobis sui adventus ad iudicium dedit. Seducturus nempe dicitur satanas solutus gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, *cum consummati fuerint mille anni*, quibus comprehenditur tempus regni Christi. *Hæc est resurrectio prima*, ut suo loco expositum est. *Beatus et sanctus, qui habet partem in resurrectione prima: in his secunda mors non habet potestatem; sed erunt sacerdotes Dei et Christi, et regnabunt cum illo mille annis.*

S. Augustinus c. 13. eiusdem libri p. 590. ob oculos habens hunc locum, quæstionem instituit: an etiam ad tempus Antichristi pertineat hoc regnum,

gnum? „ Quis (ait) audeat dicere, tunc cum
„ illo non regnatura membra, quando ei maxi-
„ me atque fortissime cohærebunt: et quo tem-
„ pore quanto erit acrior impetus belli, tanto
„ maior gloria non cedendi, tanto densior coro-
„ na martyrii? Aut si propter tribulationes, quas
„ passuri sunt, non dicendi sunt regnaturi, con-
„ sequens erit, ut etiam in superioribus diebus
„ in eisdem mille annis quicunque tribulabantur
„ sanctorum, eo ipso tempore tribulationis suæ
„ cum Christo non regnasse dicantur „. Sic dici nequit, regnum Christi non fuisse primis Ecclesiæ pressæ seculis: quando potius dici potuit, illud per sese substitisse, dum persecutores extra Ecclesiam fuerunt, secus ac persecutio eius soluto Satana, quando ipsum regnum Christi impetitur, estque in statu presso (non oppressa uti nec sub persecutionibus Ecclesia, cum qua se Christus futurum promisit usque ad consummationem seculi) quo Christi regno ab aliis, quam quibus ab ipso commissa est potestas, usurpari suscepto: dum quivis, legitima ecclesiastica auctoritate spreta, suo relinquitur arbitrio ac libertati, ex parte cognoscimus, nec obscure divinamus tempus etiam illud, quod apostolus sæpe laudata epistola secunda ad Thessalonicenses designat: quod præ oculis habens S. Augustinus *a)* cum aliis, quos memoravimus, illud, quod ait apostolus: *tantum qui modo tenet, teneat, donec de medio fiat*, de ipso Romano imperio dictum credit, *tanquam dictum sit: tantum qui modo imperat, imperet, donec de medio*

a) Loco cit. lib. XX. de civ. Dei c. 19. n. 3.

*dio fiat, id est, de medio tollatur. Et tunc revelabitur iniquus*, quem significari Antichristum, nullus ambigit. Explicat deinceps aliam, ut iam notavimus, aliorum opinionem, qui quod ait Apostolus: *Quid detineat, scitis*, et; *mysterium operatur iniquitatis*, dictum putant de malis et fictis, „ qui sunt in Ecclesia, donec perveniant ad tantum numerum, qui Antichristo magnum populum faciat; et hoc esse mysterium iniquitatis, quia videtur occultum. Hortatur autem apostolus fideles, ut in fide, quam tenent, tenaciter perseverent, dicendo: *Tantum, qui modo tenet, teneat, donec de medio fiat*; hoc est: donec exeat de medio Ecclesiæ mysterium iniquitatis, quod nunc occultum est „. In hac opinionum diversitate illud pro indubitato habet S. Augustinus ex apostolo, Christum non venturum, iudicare vivos et mortuos, „ nisi prius venerit ad seducendos in anima mortuos adversarius eius Antichristus, quamvis ad occultum iam iudicium Dei pertineat, quot ab illo seducentur. Præsentia quippe eius erit, sicut dictum est, *secundum operationem satanæ, in omni virtute, et signis, et prodigiis mendacii, et in omni seductione iniquitatis his, qui pereunt*. Tunc enim solvetur Satanas, et per illum Antichristum in omni sua virtute mirabiliter quidem, sed mendaciter operabitur „. *a*) Idem S. doctor eiusdem libri XX. de civit. Dei c. 23. *Quæ prophetaverit Daniel VII. 15. etc. de persecutione Antichristi et de iudicio Dei, regnoque sanctorum*, in medium affert;

*a*) Ib. n. 4.

affert; *a*) provocat autem ad S. Hieronymi in Danielem commentarium. Tum de regno et persecutione Antichristi exiguo trium et dimidii anni spatio, de quo ipso cap. 13. eiusdem libri *b*) disquisivit, an mille annis annumerandum sit? sententiam fert *c*) in hæc verba: „ Antichristi adver-
„ sus Ecclesiam sævissimum regnum, licet exiguo
„ spatio temporis sustinendum, donec Dei ultimo
„ iudicio regnum sancti accipiant sempiternum,
„ qui vel dormitans hæc legit, dubitare non sini-
„ tur. Tempus quippe et tempora, et dimidium
„ temporis, annum unum esse et duos, et dimi-
„ dium, ac per hoc tres annos et semissem, etiam
„ numero dierum posterius posito dilucescit; ali-
„ quando in scripturis mensium numero declaratur.
„ Videntur enim tempora indefinite hic dicta lin-
„ gua latina: sed per dualem numerum dicta sunt,
„ quem latini non habent. Sicut autem Græci,
„ ita hunc dicuntur habere et Hebræi. Sic ergo
„ dicta sunt tempora, tanquam si dicerentur duo
„ tempora. Vereri me sane fateor, ne in decem
„ regibus, quos tanquam decem homines vide-
„ tur inventurus Antichristus, forte fallamur, at-
„ que ita ille inopinatus adveniat, non existenti-
„ bus tot regibus in orbe Romano. Quid enim
„ si numero isto denario universitas regum signi-
„ ficata est, post quos ille venturus est, sicut mil-
„ lenario, centenario, septenario significatur ple-
„ rumque universitas: et aliis atque aliis numeris,
„ quos nunc commemorare non est necesse „.



*a*) P. 604. *b*) p. 590. *c*) p. 605.

Multa S. Augustinus, postquam hæc scripsit, fuit expertus a barbararum nationum in Romanum imperium irruptionibus, ipsemet obsidioni urbis Hipponensis per Wandalos immortuus. Commentator profecto in Apocalypsin inter opera eius iam decem omnino nationes barbaras Romano imperio incubantes recensere potuit. Quid vero nos, qui dimembrationem Romani imperii iam a multis seculis inolitam veluti indigitare, seu digitis dinumerare possumus non admodum indefinite, pedibus quam manibus accommodatius ad literam Danielis II. de statua Nabuchodonosori in somno repræsentata? His Dan. VII. 8. respondent cornua decem: *Et ecce cornu aliud parvulum ortum de medio eorum*, Antichristus scilicet.

---

## Caput LVIII.

### *S. Gregorius M. de novissimis temporibus.*

Vidimus supra alias S. Gregorium M. frequenter cumprimis ad novissima tempora, quasi iam tunc instarent, provocare. Id quod facit etiam, Antichristo in medium allato, terrendo: veluti lib. VII. ep. 31. ad Cyriacum episc. Cpolitanum: „Quia (inquit,) hostis omnipotentis „ Dei Antichristus iuxta est, studiose cupio, ne „ proprium quid inveniat, non solum in moribus „ sed etiam in nomine sacerdotum „. Ad idem argumentum pertinent, quæ lib. IX. ep. 68. perscribit ad episcopos Ecclesiæ orientalis. lib. XXXII. in cap. XL. Iob. *a)* locum illum Apoc. XX. 7.

*B*

*a)* T. II. p. 1059.

*Et postquam consummati fuerint mille anni* &c. versans; „ Millenario namque numero (scribit,) „ universum pro perfectione sua hoc, quantumlibet sit, Ecclesiæ tempus exprimitur. Quo peracto antiquus hostis suis viribus traditus, pauco quidem tempore, sed in multa contra eos „ virtute laxatur „.

Ut passim in illo opere Antichristus inducitur, sic etiam multa de eo, loco modo citato in figura Antiochi, quæ de eo Dan. VIII. leguntur, cum iis, quæ S. Paulus II. Thessal. II. habet, contendens, Antichristum caudam draconis appellat *a*) et postea in cap. XLI. eius prædicatoribus applicat illud Apoc. XIII. 11. *Vidi aliam bestiam ascendentem de terra, habentem duo cornua similia agni, et loquebatur ut draco;* Sic effatus: „ Priorem quippe bestiam, id est, Antichristum superiore iam descriptione narraverat; post quem „ etiam hæc alia bestia ascendisse dicitur, quia „ post eum multitudo prædicatorum illius ex terrena potestate gloriatur. De terra quippe ascendere, est de terrena gloria superbire. Quæ habet duo cornua agni similia: quia per hypocrisin sanctitatis, eam quam in se veraciter Dominus habuit, singularem sibi inesse et sapientiam mentitur et vitam. Sed quia sub agni specie auditoribus reprobis serpentinum virus infundit, recte illic subditur: *Et loquebatur ut* „ *Draco* „.

Apertius ex eodem S. Gregorio *b*) Alulfus super Apocalypsin c. 30. id explicat: „ Antichristus

V 2 „ veniens

*a*) n. 59. p. 1110. *b*) T. IV. append. p. 942.

„ veniens ipsas etiam summas huius seculi pote-
„ states obtinebit: qui duplici sæviens errore,
„ conabitur ad se corda hominum et missis prædi-
„ catoribus trahere, et commotis potestatibus in-
„ clinare „. Et infra *a)* „ Tunc antiquus hostis
„ suis viribus traditus, pauco quidem tempore,
„ sed in multa contra nos relaxabitur virtute,
„ sicut supra scriptum est: *Post hæc oportet illum*
„ *solvi modico tempore.* Quem quamvis sævitia
„ ad crudelitatem dilatet, superna tamen miseri-
„ cordia brevitate dierum angustabit, sicut ipsa
„ veritas ait: *Nisi breviati fuissent dies illi, non*
„ *fieret salva omnis caro.* Quia enim superbos
„ nos et infirmos Dominus conspicit, dies quos sin-
„ gulariter malos intulit, misericorditer breviatos
„ dicit: profecto ut et superbiam terreat de tem-
„ poris adversitate, et infirmitatem refoveat de
„ brevitate. Superba itaque Antichristi celsitudo
„ super reprobas mentes hominum fastu gloriæ
„ secularis erigetur, ita ut homo peccator, et
„ tamen homo despiciens æstimari, Deum se super
„ homines mentiatur. Unde Paulus apostolus di-
„ cit: *Ita ut in templo Dei sedeat, ostendens se,*
„ *tanquam sit Deus.* Sed hæc eius superbia di-
„ stricti iudicis erit adventu ferienda „.

## CAPUT LIX.

### *Opiniones medii ævi de Antichristo.*

Ubi supra Ecclesiam militantem regnum Christi in terris spectavimus per medium ævum, vidimus

*a)* C. 59. p. 954. &c.

dimus timorem Panicum, quo tunc concussus fuit orbis christianus ob pericula, quæ videbantur imminere postremorum temporum. Exterrebat tunc veterum opinio de regno Christi mille *a)* annis duraturo, quo magis ad terminum vergebat tempus illud: circa decimum præsertim seculum ad expeditiones in terram sanctam exstimulabat, aut erigenda monasteria, ut expeditos facultatibus huius seculi venturo iudici sisterent sese; terrebat Mahumedanismus, portendebatque discessionem illam seu apostasiam a D. Paulo notatam, *b)* dum veluti rapidissimus torrens florentissimam orientalem Ecclesiam, Asiam, Africam, ac nobilissimam Europæ partem inundans undequaque in illis plagis christianam expelleret religionem, minabaturque toti Romano imperio interitum: id quod est ab apostolo *c)* designatum his verbis: *ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat.* Perduravit periculum illud ad nostra usque tempora, ut mirum haud sit, fuisse, atque etiamnum esse, quibus visus sit revelandus ex secta illa, aut iam velut saltem in stirpe seu germine revelatus, ille *homo peccati*, *filius perditionis* Antichristus: bestia illa, quam *d)* vidit S. Ioannes *de mari ascendentem habentem capita septem, et cornua decem, et super cornua eius decem diademata, et super capita eius nomina blasphemiæ*: deque qua antea *e)* Ioannes, ubi de duobus testibus agit: *Et cum finierint testimonium suum, bestia, quæ ascendit de abysso, faciet adversus eos bellum, et vincet eos, et occidet eos.* Finxit et ipse Mahomet Antimahometem

V 3 suum,

*a)* Ad p. 195. *b)* II. Thess. II. 3. *c)* v. 7.
*d)* Apoc. XIII. 1. *e)* Ap. XI. 7.

suum, habens et in hoc nomen blasphemiæ, dum dicit, Iesum Christum fore ducem supremum copiarum eius, rediturum in terram ad devincendum Antimahometem illum, ad iudicium autem extremum venturum demum Mahometem: dum iuxta nostros illos, quos memoravimus modo (supra vero novissimum Apocalypsis interpretem Pastorinium) ex gente illa Mahomedana *revelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui, et destruet illustratione adventus sui eum.* a) Cui vero christianorum non ex voto sit, ut *homo* ille *peccati* potius ex perfida Mahomedanorum gente sit oriturus *filius perditionis*; non equidem revelandus prius, nisi venerit discessio primum, seu apostasia, quam futuram quoque ante adventum suum b) prædixit Dominus: quamve proh dolor! hodie tantopere, inundare orbem christianum cernimus, quod pium quemvis terreat; quemadmodum in hoc opere vidimus, nullo non tempore salutari hoc timore concussos fuisse fideles, exterritos iam ab apostolo periculis novissimorum temporum Antichristi, ut reveletur suo tempore. *Nam mysterium iam operatur iniquitatis, tantum ut qui tenet nunc, teneat, donec de medio fiat.* Quod dum plerique omnes de Romano imperio sunt interpretati; fuerunt vero medio hoc ævo, qui hoc cum discessione illa, de qua prius apostolus, confuderint. Hos inter auctor libelli de Antichristo inter opera Rhabani Mauri, quem Rhabano dubium facit stili diversitas, qui tamen in commentario c) in epist.

II.

a) II. Thess. II. 8. b) Luc. XVIII. 8.
c) T. V. opp. p. 488.

II. ad Thessal. II. cum prius discessionem seu apostasiam interpretatus fuerit novissimum Antichristi *tempus illud*, eo quod paulo minus omnes tunc defecerint a pietate, et accurrerent ad eum hominem &c. postea tamen eamdem apostasiam de omnium gentium defectione ab imperio Romano accipit.
„ Nisi, ( inquit ) ante Romanum imperium fue-
„ rit desolatum, et Antichristus præcesserit, Chri-
„ stus non veniet, qui ideo venturus est, ut An-
„ tichristum destruat. Meministis, ait, quod hæc
„ ipsa quæ nunc scribo per epistolam, cum apud
„ vos essem, præsenti sermone narrabam, et di-
„ cebam vobis, Christum non esse venturum,
„ nisi præcessisset Antichristus, *et nunc quid deti-*
„ *neat, scitis, ut reveletur in suo tempore;* hoc est,
„ quæ causa sit, ut Antichristus inpræsentiarum
„ non veniat, optime nostis. Nec vult aperte
„ dicere, Romanum imperium destruendum, quod
„ ipsi, qui imperant, æternum putant. Unde
„ secundum Apocalypsin Ioannis in fronte pur-
„ puratæ meretricis scriptum est nomen blasphe-
„ miæ, id est, Romæ æternæ: si enim aperte,
„ audacterque dixisset, non veniet Antichristus,
„ nisi prius Romanum deleatur imperium, iusta
„ causa persecutionis in orientem tunc Ecclesiam
„ consurgere videbatur. Quodque sequitur: *Iam*
„ *enim mysterium iniquitatis operatur, tantum ut*
„ *qui tenet nunc, teneat, donec dimidium* ( de me-
„ dio ) *fiat, et tunc revelabitur ille iniquus*, hunc
„ habet sensum: multis malis, atque peccatis,
„ quibus impurissimus cæsarum mundum premit
„ Antichristi parturitur adventus, et quod ille ope-

„ raturus est postea, in isto ex parte completur; „ tantum ut Romanum imperium, quod nunc „ universas gentes tenet, tenere cedat, et de me- „ dio fiat, et tunc veniet Antichristus fons iniqui- „ tatis &c „. Quae ad verbum sunt ex S. Hiero- nymo supra relato desumta. Mox memorato li- bello *de Antichristo* consonus, ut iam est ani- madversum a scriptoribus historiae literariae Franc. a) alter eiusdem argumenti, quem altero post Rhaba- num seculo decimo medio Abson adhuc mona- chus Luxoviensis, abbas postea Dervensis, scrip- sit libellum *de Antichristo* ad Gerbergam Ludovici Ultramarini regis Franciae uxorem Ottonis I. imp. sororem ex Henrico Aucupe b) in quo multa ex vulgaribus opinionibus magna confidentia narrat; id vero iuxta apostolum secundum traditionem SS. Patrum hic et alias, a nobis explicatum c) asse- rit, antea Antichristum in mundum non esse ventu- rum, *nisi venerit abscessio primum*, id est, nisi omnia regna mundi discesserint a Romano impe- rio, cui prius subdita erant. Et licet iam tum ad Germanos transierit imperium, tamen ex eius sententia: *quamdiu reges Francorum duraverint, qui Romanum imperium tenere debeant, dignitas Romani imperii ex toto non peribit, quia stabit in regibus suis.* De eo; quod addit, unum ex re- gibus Francorum Romanum imperium ex integro habiturum, ultimum in novissimo tempore, le- genda est nota III. editoris Frobenii Forsteri. Se- culo sequenti Adelmannus in epistola ad Beren- garium

a) Hist. lit. de France T. V. p. 174.
b) Inter opera Alcuini Ed. S. Emeran. T. II. Vol. II p. 527.
c) p. 529.

garium de veritate corporis et sanguinis Domini nuper auctiore edita somnium etiam primum Nabuchodonosoris Dan. II. de lapide e monte abscisso huc applicat, Christo nimirum et eius Ecclesiæ: „ Quia (inquit,) corpus, quod de massa huma„ ni generis assumsit, accedente undique fidelium „ numero„ in immensum se dilatans, crescere us„ que in finem seculi, donec totam terram im„ pleat, non desistit; dicente nimirum *a)* Christo: *Et prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio.*

Argumentum hoc facere Otto episcopus Frisingensis voluit libri VIII. chronici sui, veluti S. Augustinum de civitate Dei imitatus; nec tamen terrenam tantum a civitate Dei discernit, librum suum de duabus civitatibus inscribens, trifariam distinguens „ Cum enim (inquit in prologo) ci„ vitas Christi seu regnum eius, secundum præ„ sentem statum vel futurum Ecclesia dicatur, ali„ ter se modo, quamdiu bonos et malos in uno „ gremio fovere cernitur, habet: aliter tunc, cum „ solos bonos in superni sinus gloria servabit; „ aliter sub principibus gentium vivens se habuit. „ Denique quod Ecclesia non solum cum Christo „ regnans, sed et in præsenti horreo granum et „ paleam continens regnum Christi vocetur, in „ evangelio manifestissime habes, ubi de regno „ suo scandala, quæ nulla profecto in cœlesti pa„ tria tranquillissima et felicissima fore poterunt, „ auferenda prædicuntur. Ea ergo locutione.



a) Matth. XXIV.

„ qua Christus propter Sacramentorum commu-
„ nionem malos et bonos, fidem istos per chari-
„ tatem operantem, illos sine operibus mortuam
„ habentes regnum suum nominat, etiam nos ci-
„ vitatem eius hunc præsentem statum vocamus „.
Veluti vero civitatis huius electæ triplicem statum distinguit, ita etiam perversæ, sed de tertio tantum statu acturus tam satanæ quam Dei civitatis,
„ Quomodo videlicet (inquit) hæc ad summam
„ beatitudinem profectura, illa ad ultimam mi-
„ seriam defectura et casura sit iudicante, ac
„ examinante in ultimo iudicio iustissimo iudice
„ utriusque urbis causam, in hoc octavo opere
„ dicendum restat. Verum quia, ut ait Salomon,
„ ante ruinam exaltari cor, et ante gloriam fre-
„ quenter solet humiliari, quæ hanc gloriam ci-
„ vitatis suæ humiliatio, quæ hanc civitatis per-
„ versæ momentanea sub Antichristo præcedat ela-
„ tio, quantum ex authenticis libris colligi datur,
„ præmittere aptum reor „.

Scripsit hæc eo tempore, quo zizania abundabant in civitate Dei, atque republica: in utraque ecclesiastica et politica gravissima scandala præcesserant, et imminebant: erantque tunc servi, qui ante tempus colligere zizania volebant, quæ inimicus homo sevit, prohibente a) Domino agri: *Ne forte colligentes zizania eradicetis simul cum eis et triticum. Sinite utraque crescere usque ad messem, et in tempore messis dicam messoribus: colligite primum zizania, et colligate ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congrega-* te

a) Matth. XIII. 26.

*te in horreum meum.* Iam tunc, quos suo loco notavimus, erant, qui ipsum agrum dominicum civitatem Dei, regnumque Christi Ecclesiam blasphemabant, et impie Antichristum cum Christo in eius vicariis, quærebant, quos Otto cap. 2. notat de discessione tractans, quam Paulus II. Thess. II. memorat præcessuram revelationem mysterii iniquitatis in homine peccati, filio perditionis, Antichristo, uti hactenus ex traditione SS. Patrum explicavimus, ac ipse ibi tangit Otto, illud D. Pauli præ oculis habens: *Quid detineat, scitis, ut reveletur in suo tempore:* „ Tanquam si diceret, „ Non ante revelabitur, quam completa malitia „ Amorrhæorum tempus, quod manifestari debet, „ adveniat. Unde et hanc ipsius revelationem di- „ scessionem præcessuram narrat. Tunc enim ve- „ re caput erroris apparebit, cum relicta veritate, „ a veritatis auctore totus pene mundus discedet. „ Quidam discessionem, et hoc quod dicitur: „ *Qui tenet, teneat, donec de medio fiat,* ad „ regnum interpretantur, ut scilicet omnibus amo- „ re scelerum iustitiæ renitentibus, ac per hoc „ a iustitia regni discedentibus, ad tantam, qui „ regnum tenet, deiectionem veniat, ut sine re- „ verentia de medio, id est, de communi quili- „ bet de plebe fiat. Unde et aiunt, apostolum „ hæc sub tegumento, verborumqe involucris „ posuisse, ne videlicet Romano imperio, quod „ ab ipsis æternum putabatur, calumniam intulis- „ se, videretur. Qua de re et hoc dictum pu- „ tant: *Quid detineat scitis,* ac si diceret, hoc „ quod vos scitis, alienigenas manifesta demon-

„ stratione

„ stratione scire volo. Alii vero eadem verba
„ eodem, quo de regno diximus sensu, de sacer-
„ dotio, et Romana sede interpretantur „.

Vidimus supra, non deesse, qui excidium urbis Romæ præsagiant, non utique in successoribus Petri aliorumque apostolorum (in perennaturo sacerdotio Christi) cum quibus se futurum usque ad consummationem seculi Christus promisit. Quærens postea Otto capite mox sequenti, tertio nimirum, de ipso Antichristi adventu, et persecutione, quæ sub ipso fiat: „ quare Dominus civitatem
„ suam tam immaniter tribulari permittat, cur
„ eius hosti tantam malefaciendi efficaciam tribuat?
„ at non est mirum (respondet,) si Dominus Ec-
„ clesiam suam de nihilo suscitatam, et ad sum-
„ mum in terra fastigium, ut supra diximus, exal-
„ tatam ante ultimæ tribulationis bravium, ne
„ longo dissoluta otio in amore sui conditoris
„ torpeat, excitatam gravissima prius exerceat
„ palæstra. Erit autem hæc persecutio, ut supra
„ dictum est, violenta et fraudulenta; et violen-
„ ta non quidem per se, sed per potentem per-
„ sonam, ut mihi videtur, exercebitur. Unde
„ Psal. *Sedet insidiis cum divitibus in occulto, ut*
„ *interficiat innocentem*: id est, occultis machina-
„ mentis potentes mundi ad hoc, ut manifesta
„ sanctis irrogent supplicia, incitabit. Et hanc
„ puto bestiam in Apocalypsi vocatam. Nam ip-
„ sum Antichristum eadem scriptura pseudopro-
„ phetam nominat, diabolum vero instigantem
„ draconem. Ex hoc coniici potest, ipsum per
„ omnia in hypocrisi venientem, non tormenta

„ exteriora

„ exteriora per se sanctis inferendo, sed signis
„ mendacii, et specie religionis, ac imagine ratio-
„ nis fraudulenter mundum decepturum, tormen-
„ ta vero per potentem adhuc sibi ascitum sanctis
„ intentaturum. Si qui vero unum eum poten-
„ tem, utpote Romanorum imperatorem ad hoc
„ adscire contendunt, et hunc bestiam dictum,
„ non calumnior „. Vides, quid ob iniquitatem temporum dolor extorserit pio sacrorum præsuli Friderici I. tunc imperatoris patruo, forte ad salutarem ei incutiendum terrorem, atque configendum timore Domini. Quæ de eius nepote Friderico II. circumfertur fabella perinde ac de Nerone adhuc superstite, in Fastis Rudolphinis codici epistol. Rudolphi I. R. R. præmissis indicavimus p. CXLV. *de quo*, ut Volcmarus apud Oefelium adhuc sec. XIV. est testatus, *usque in hodiernum diem dubitatur a multis, utrum mortuus sit vel vivat; et est infinita contentio.*

Crevit semper, ut vidimus, successu temporis certum aliquem statuendi diem, et conditionem Antichristi, ac iudicii extremi tempus, prurigo. Unde necesse fuit in concilio lateranensi ultimo cap. 11. *Supernæ maiestatis*, id concionatoribus interdicere; quod tempus illud incertum nobis esse voluerit divina providentia, perinde ac mortis momentum, neque constabunt tunc hominibus Antichristi, quando erunt, tempora, nec certo constat de Iudæorum conversione, an, vel quando futura sit ante vel post Antichristi tyrannidem. Posterius etiam Otto noster statuit c. 7. „ Percusso (inquit,) impiæ civitatis ca-
„ pite,

„ pite, infidelis Iudæorum populus iam se delu-
„ sum cernens, ad conversionem venire creditur
„ iuxta illud prophetæ: *si fuerit numerus filiorum*
„ *Israel sicut arena maris, reliquiæ salvæ fient*. Post
„ hoc locus pœnitentiæ manet, cuius spatium om-
„ nes mortales latet. Igitur omnibus, quæ præ-
„ dicta sunt, consummatis, signisque universis in
„ sole et luna, et stellis, marique transactis, cunctis
„ præ timore, et exspectatione, quæ superveniet
„ universo orbi, arescentibus, reprobæ civitatis
„ interitus et civitatis Christi profectus, diesque
„ Domini iuxta veritatis vocem, quæ suos blan-
„ de consolans, *Cum videritis*, inquit, *hæc fieri*,
„ *scitote, quia prope est regnum Dei*, qui tanquam
„ fur in nocte, id est, non prævisus, edentibus,
„ et bibentibus, nubentibus, nuptui dantibus,
„ iuxta Domini rursus vocem, venire non dubi-
„ tatur. Quod non crudeliter, sed magna con-
„ ditoris providentia sapienter fieri, credendum est,
„ ut semper ad rationem reddendam parati inve-
„ niamur „.

---

## Caput LX.

*Incertum consummationis seculi momentum, ut vigilemus, semper parati.*

Hæc unice salutaris, quod consummationem huius seculi attinet, est philosophia, perinde ac theologia, quam sunt, qui etiam procaciter ac irreligiose miscere cum illa sunt ausi nuper Angli duo, Thomas Burnetus in sua theoria sacra telluris,

ris, quique eam expolivit Whiſtonius gentilis ſuus, non equidem novam penitus rem, dum iam S. Chryſoſtomus *a)* homilia in illud apoſtolicum dictum II. Tim. III. 1. *Hoc autem ſcitote, quod in noviſſimis diebus erunt tempora gravia,* quæſtionem inſtituens: *cur in conſummatione tot et tantæ ſimul calamitates?* „ Quidam dicunt (reſpondet,) fatiſcentem et infirmantem naturam, „ ſicut corpus quoddam ſenio confectum multos „ attrahit morbos, ſic eam ſeneſcentem multas „ contrahere calamitates .... Neque enim ideo „ accidunt hi morbi, quod creaturæ conſeneſcant, „ *fames*, nempe, *peſtilentiæ*, *et terræ motus per* „ *loca*, ſed quia hominum animos corrumpi futurum eſt „. Iterum quærit: *Quare tunc augentur?* ac reſpondet: „ Quoniam, ut mihi videtur, „ iudicium et pœnæ in diuturnum tempus differuntur, ac nondum advenit iudex; qui rationem redditūri ſunt, ſegniores evadunt. Id quod „ etiam Chriſtus de ſervo nequam dicit, ipſum „ ideo negligentiorem fuiſſe. *Moras trahit Dominus meus*, inquit ille ſervus; ideo conſervos „ verberabat, et heriles facultates peſſumdabat. „ Idcirco Chriſtus accedentibus diſcipulis, et „ quærentibus ediſcere diem conſummationis, non „ indicavit; ut futurorum incertos nos aſſidue in „ timore ſervet, et ſinguli ſemper futurum exſpectantes, et in ſpe Chriſti adventus verſantes, „ diligentiores eſſent „. Nec igitur, cum momentum neſcimus, incogitantes ſimus, aut incurii, aut cum ſervo nequam ebrii oblectamentis huius

ſeculi,

a) T. VI. p. 278. 286.

seculi, aut curis huius vitæ, aut in conservos tyrannidem exerceamus, et superveniat in nos *repentina dies illa* (*Tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem terræ*) sed vel ob hoc ipsum quod tempus lateat, tanto sollicitiores simus, ac magis timidi, quo peiora nobis de novissimis illis temporibus ac maiora animarum pericula sunt prænunciata: quæ vidimus in hac tractatione semper ceu præsentia præ oculis habuisse sanctos Patres ac maiores nostros; sedulos præprimis pastores de instanti periculo fideles serio præmonuisse Christi in evangelio, et apostolorum exemplo, quale nobis in D. Paulo S. Io. Chrysostomus in memorata homilia exhibet in illud II. Tim. III. 1. *Hoc autem scitote, quod in novissimis temporibus instabunt tempora periculosa.* „ De consummatione, (inquit S. Doctor) loquitur. „ Quid hoc ad te, beate Paule? Quid ad Timotheum? Quid ad illos, qui tunc audiebant? „ Brevi postea tempore morituri erant, a futuris „ illis calamitatibus et a pravis hominibus eripiendi. Verum non præsentia tantum respicio, inquit, sed futura prævideo. Non præsens tantum grex mihi sollicitudini est, sed etiam pro „ futuro grege angor, et timeo. Nos vix iis, „ qui nobiscum versantur, hominibus prospicimus; „ ille vero pro iis, qui nondum nati erant, multam gerit sollicitudinem. Sic et pastor optimus, non cum viderit, lupos irruentes in gregem iam prope oves accessisse, tunc id prædicit tantum, sed etiam procul adhuc versantes „ indicat. Ita quoque Paulus, sicut pastor opti-

„ mus,

„ mus, in excelſo loco, in prophetiæ nempe dignitate ſedens, ac propheticis oculis ſurſum „ poſitus, invaſuras feras prævidens prædicit, et „ præſignificat; ut eos etiam, qui nondum nati „ erant, ad vigilandum induceret, et prophetia „ totum muniret gregem „. Affert deinceps S. Chryſoſtomus exemplum patris prolem amantis, pro nepotibus etiam et poſteris ſollicitudinem gerentis: et regis urbem mœnibus circumdantis, non ob machinas tantum illius temporis, ſed ut poſteris etiam ſint tutamini &c. Tum apoſtolos inducit ex Chriſto ſciſcitatos; *Quod ſignum adventus tui, et conſummationis ſeculi?* „ Viden' „ (proſequitur,) illos etiam de conſummatione „ ſeculi interrogare, et de futuris hominibus eſ- „ ſe ſollicitos? Non enim ſua vident apoſtoli, „ ſed quæ aliorum ſunt, et ſimul omnes, et ſeor- „ ſim ſinguli. Petrus itaque Chori illius chory- „ phæus, os apoſtolorum omnium, caput illius „ familiæ, orbis totius præfectus, fundamentum „ Eccleſiæ, ardens Chriſti amator; nam, ait, Pe- „ tre, *diligis me plus his?* Ideo eius laudes pro- „ fero, ut diſcatis, eum vere Chriſtum dilexiſſe: „ certe eius erga Dominum amoris argumentum „ maximum erat ſollicitudo famulorum eius. „ Non ego hæc dico, ſed ipſe dilectus Dominus: „ *Si amas me*, inquit, *paſce oves meas* „. Idem S. Pater in cap. XXIV. Matthæi ad exemplum, quod Chriſtus affert v. 22. *Sicut erant in diebus Noe comedentes et bibentes* &c. illud I. Theſs. V. 3. *a)* applicans: cum pacem dicunt et ſecuritatem,



*a)* T. VII. Hom. 77. al. 78. n. 2. p. 742.

tunc repentinus instat interitus, „ Quem (inquit,
„ inexspectatum declarans docebat: *sicut dolor in*
„ *utero habenti.* Quomodo ergo (pergit,) dicit;
„ *Post tribulationem dierum illorum?* Nam si de-
„ liciæ, et pax et securitas, ut dicit Paulus, quo-
„ modo dicit; *post tribulationem dierum illorum?*
„ Si deliciæ, quomodo tribulatio? Deliciæ et pax
„ sunt iis, qui nullo sensu sunt affecti. Propte-
„ rea non dixit; Quando pax erit; sed quando
„ pacem et securitatem dicent, stoliditatem illo-
„ rum ostendens, sicut illi in tempore Noe,
„ qui in tantis malis deliciis operam dabant; et
„ non item iusti, qui in ærumnis et mærore ver-
„ sabantur. Hinc significatur, adveniente Anti-
„ christo iniquos, et eos, qui de salute sua de-
„ sperabunt, turpibus voluptatibus se amplius de-
„ dituros esse. Tunc ingluvies, commessationes,
„ et ebrietates. Quapropter exemplo utitur con-
„ gruenti. Nam quemadmodum, cum arca fieret,
„ non credebant, inquit, sed licet arca in medio
„ posita, futura mala prænunciaret, illi videntes
„ eam, ita deliciabantur, quasi nihil mali futurum
„ esset. Sic et nunc Antichristus apparebit, post
„ quem consummatio, et pœnæ in consummatio-
„ ne futuræ, supplicia intoleranda „.

S. I. Chrysostomum in homilia illa in illud Apostoli II. Tim. III. 1. *In novissimis autem diebus instabunt tempora periculosa*, patris et regis comparatione uti vidimus, quæ utraque veluti recapitulantur in similitudine illa, quæ Matth. XXIV. 43. habetur, postquam Christus nos ad vigilandum fuit adhortatus: *Vigilate ergo, quia nescitis,*

*qua*

*qua hora dominus vester venturus sit. Illud autem scitote, quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur venturus esset, vigilaret utique, et non sineret perfodi domum suam. Ideo et vos estote parati, quia, qua hora non putatis, filius hominis veniet.* Quæ in Christi verba S Chrysostomus: „ Propterea dicit, *qua hora non exspectatis*, ut sollicitos reddat, et virtutis colendæ studiosos. Illud autem sibi vult; si scirent plerique homines, quandonam sint morituri, diligentiam suam circa illam diem exhiberent. Ne igitur de illa sola solliciti essent, neque communem illam diem, neque cuiusque horam declaravit, ut semper illam exspectarent, semperque eodem studio tenerentur, ideo cuiusque vitæ finem incertum reliquit „.

Nemo frequentior S. Gregorio M. ut passim alias etiam notavimus, in hoc argumento versatur, sic loqui solitus, quasi iam instaret tempus, quo ad vigilantiam excitandam nihil accommodatius est. „ Cur enim (Andream Scholasticum *a*) alloquitur) magnifice fili, non consideras, quia mundus in fine est. Omnia urgentur quotidie: ad reddendas rationes æterno et tremendo iudici ducimur. Quid ergo aliud, nisi de adventu illius cogitare debemus „? Postquam calamitates *b*) Romæ explicasset, pergit: „ De vicinis autem urbibus strages quotidie mortalitatis nobis nuntiantur. Africa autem qualiter mortalitate et languoribus vastetur, quanto viciniores estis, tanto credo, quod subtilius cognovistis.

X 2 „ De

*a*) L. VII. ep. 29. T. II. p. 875. *b*) L. IX. ep. 123. p. 1032.

„ De Oriente vero qui veniunt, graviores desola-
„ tiones nuntiant. In his itaque omnibus appro-
„ pinquante fine mundi generalem percussionem
„ esse cognoscitis; affligi nimis de molestiis pro-
„ priis non debetis. Sed sicut sapientes nobis
„ decet, omne cor ad animarum curam reducite:
„ districtum iudicium, quanto sit vicinius, plus
„ timete. Studiis pietatis intendite, de qua scri-
„ tum est, quod promissionem habeat vitæ præ-
„ sentis et futuræ „. Sic postquam *a)* Edilberto
Anglorum regi eiusmodi calamitates temporum
exposuisset, „ Vos itaque (subdit,) si qua ex his
„ evenire in terra vestra cognoscitis, nullo modo
„ vestrum animum perturbetis: quia idcirco hæc
„ signa de fine seculi præmittuntur, ut de anima-
„ bus nostris debeamus esse soliiciti, de mortis
„ hora suspecti, et venturo iudici in bonis acti-
„ bus inveniamur præparati „. Studiose de hac
vigilantia a Christo tam sollicite nobis inculcata
diximus in Considerationibus christianis *de subli-
mi in Evangelio Christi.*

---

## Caput LXI.

*Ecclesiæ militantis, regni Christi in terris, spe
freta in illa tribulatione conditio.*

Quemadmodum vero incertos nos perinde esse voluit de hora mortis, et consummatione seculi, ut semper vigilemus, et paratos nos præstemus; ita etiam apud tres Evangelistas Matthæum, Marcum et Lucam ea, quæ pertinent ad diem iudicii,

*a*) L. XI. ep. 66.

dicii, commemorantur simul ac excidium urbis Hierosolymitanæ, typum cum antitypo nectendo: apostoli etiam et SS. Patres semper terrent, quasi instet dies Domini. Ita quoque Ioannes in Apocalypsi, dum describit fata utriusque regni Christi, et huius mundi usque ad caput vigesimum, quo regni utriusque in terris finis habetur; in prioribus tamen etiam capitibus semper quædam miscet, quæ pertinent ad principale obiectum consummationis seculi; dum excidium Hierosolymæ ac fata urbis Romæ profanæ explicat: quæ erant simul figuræ quædam, imagines, et præambula excidii orbis. Sic etiam S. Victorinus ep. Petav. et M. nobis *a*) sistit Ecclesiam in caput XXI. 16. Schol. in Apoc. „ Civitatem (inquam) quadratam, sanctorum adu„ natam turbam ostendit, in quibus nullo mo„ do fides fluctuare potest „. Id quod perinde pertinet ad *gloriosissimam civitatem Dei*, ut cum S. Augustino *b*) loquar, finiamque, unde exorsus sum, „ sive in hoc temporum cursu, cum inter „ impios peregrinatur, ex fide vivens, sive in illa „ stabilitate sedis æternæ, quam nunc exspectat „ per patientiam, quoadusque iustitia converta„ tur in iudicium, deinceps adeptura per excellen„ tiam victoria ultima ex pace perfecta „.

Neque enim unquam, præsertim autem perturbatissimis temporibus ex oculis dimittenda est Christi apostolis facta promissio: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem seculi*: in spem et solatium Ecclesiæ electorum tunc, quando, *ni-*



*a*) T. IV. Bibl. PP. p. 63.
*b*) Lib. I. c. 1. de civ. Dei T. VII. p. 1.
*c*) Matth. XXIV. 22. 24.

*si breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter electos breviabuntur dies illi: Ita ut in errorem inducantur (si fieri potest) etiam electi.* Erit ergo semper, et inconcussa stabit Ecclesia electorum nullis unquam concutienda periculis. *Non enim*, ut iterum S. Cyrilli Hieros. *a)* utar verbis, *robur et nervos Ecclesiæ desperatos habeo.* Quæ est civitas illa quadrata sive in cœlis, sive in terra sanctorum adunata turba iuxta laudatum S. Victorinum, „in quibus nullo modo fides fluctuare potuit. Sicut Noe (pergit,) præcipitur, ut „ex quadratis lignis faceret arcam, quæ diluvii „posset impetus ferre; pretiosos lapides, qui „fluctuare non possunt, in persecutione sanctos „viros ostendit, qui nec tempestate persecutorum „moveri, nec impetu pluviæ a vera fide dissolvi „potuerunt; propterea auro mundo sociantur, „ex quibus regis magni civitas decoratur. Plateæ „vero eorum ostendunt corda ab omnibus mundata sordibus, perspicua luce fulgida &c. Portas „vero duodecim apostolorum esse credimus numerum, qui in quatuor virtutibus, ut pretiosæ margaritæ fulgentibus, inter sanctos lumen „doctrinæ suæ manifestantes civitatem cœlestem „ingredi faciunt, ut de conversatione eorum angelorum lætetur chorus. Non posse autem claudi portas, evidenter ostenditur, nulla contradicentium tempestate apostolorum doctrinam „separari a rectitudine, etiam si fluctus gentium, „et hæreticorum vanæ superstitiones contra fidem eorum veram insurrexerint, superati ut

„spumæ

a) Catech. XV. de secundo Christi adventu n. 16. p. 232.

„ spumæ dissolventur, quia petra Christus est, „ a quo et per quem Ecclesia fundatur „.

Erant, cum hæc scriberet sanctus martyr, persecutionum tempora, quæ tamen in comparationem venire non possunt cum novissimis illis, de quibus *a)* Christus: *Erit enim tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet*; sed ad spem magis quam desperationem electorum, ad quam *b)* erigit Christus: *His autem*, inquit, *fieri incipientibus, respicite, et levate capita vestra: Quoniam appropinquabit redemtio vestra.* Quando nimirum Ecclesia militans in terris consociabitur Ecclesiæ triumphanti in cœlis. *Nam*, ut laudatus S. Victorinus mox subdit *c)* clauditque sua in Apocalypsin scholia, *regnum Christi tunc est sempiternum in sanctis, cum fuerit gloria post resurrectionem manifestata sanctorum* &c. Cum nimirum venerint electi ex magna tribulatione et prælio illo, quod futurum est a gentibus seductis a soluto Satana, Apoc. XX. 7. prædictum: *quorum numerus est sicut arena maris. Et ascenderunt super latitudinem terræ, et circuierunt castra sanctorum, et civitatem dilectam. Et descendit ignis de cœlo, et devoravit eos: et diabolus, qui seducebat, missus est in stagnum ignis, et sulphuris, ubi et bestia, et pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum. Et vidi thronum magnum, candidum et sedentem super eum, a cuius conspectu fugit terra et cœlum, et locus non est inventus eis.* Articulatius hæc Luc. XXI. describuntur, ubi electi



*a)* Matth. XXIV. 21. *b)* Luc. XXI. 28.
*c)* T. IV. Bibl. PP. p. 64.

levare capita iubentur, „Ac si aperte ( sunt ver
„ S. Gregorii *a*) in eam Lucæ lectionem veri
„ electos suos admoneat, dicens: Cum plagæ mu
„ di crebrescunt, cum terror iudicii virtut
„ commotis ostenditur, levate capita, id est, e
„ hilarate corda, quia dum finitur mundus, c
„ amici non estis, prope fit redemtio vestra.
„ scriptura etenim sacra sæpe caput pro mente p
„ nitur: quia sicut capite eriguntur membra,
„ et cogitationes mente disponuntur. Levare i
„ que capita, est, mentes nostras ad gaudia pat
„ cœlestis erigere „.

Est vero hoc tempus iusti iudicii Dei, qua do venturus est Christus iudicare vivos et mortuo et seculum per ignem, reddere retributionem hostibus suis, ac triumphum Ecclesiæ militanti contra persecutores aut contemtores suos.

Præstolati iam tunc hoc erant Thessalonicenses, cum eis visus esset S. Paulus in prima su epistola quasi instantem diem Domini denunciare, cum persecutiones et tribulationes paterentur, de quibus se *b*) testatur gloriari in ecclesiis Dei pro earum patientia *et fide, et in omnibus persecutionibus vestris, et tribulationibus, quas sustinetis. In exemplum iusti iudicii Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo et patimini. Si tamen iustum est apud Deum, retribuere tribulationem iis, qui vos tribulant.* Nunquam Ecclesiæ militanti deerant bella, quæ bellaret, tribulationes et persecutiones, quas sustineret, nec deerunt; sustinebit autem quam

*a*) T. I. L. I. hom. I. p. 1437.
*b*) II. Thess. I 4.

quam maxime noviſſimis illis temporibus. Quemadmodum autem Theſſalonicenſibus accidit, ut crederent, tanta eſſe ſua mala, quæ paterentur, tribulationes et perſecutiones, quæ iuſtum iudicem movere poſſent ad accelerandum extremum iudicii diem, ita deinceps identidem, ac nulla non ætate ob iniquitatem temporum fuit, ut vidimus, huiusmodi in Eccleſia militante exſpectatio, gementibus ob mala ſeculi piis mentibus, et ad Deum converſa Eccleſia, civitate Dei, dum a civitate terrena, quæ, ut cum S. Auguſtino *a)* loquar, *cum dominari appetit, etſi populi ſerviant, ipſa ei dominandi libido dominatur*, premitur variis modis, et anguſtiatur; ſolatium accipit autem a ſuo Salvatore Luc. XVIII. 6. &c. comparatione iudicis etiam iniqui, ob moleſtiam tamen viduæ tandem deferentis: „ Audite, quid iudex iniquitatis dicit:
„ Deus autem non faciet vindictam electorum ſuo-
„ rum clamantium ad ſe die ac nocte, et patientiam
„ habebit in illis? Dico vobis, quia cito faciet
„ vindictam illorum: verumtamen Filius homi-
„ nis veniens, putas, inveniet fidem in terra „?
Vides hic extremum orbis caſum, ac funeſtiſſimam infidelitatis conditionem, cum *revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis: qui adverſatur, et extollitur ſupra omne, quod dicitur Deus. b)* Quod ſibi iam tunc imaginabantur Theſſalonicenſes, ab apoſtolo non ad petendam vindictam de perſecutoribus (quam ſoli ſibi Deus reſervatam eſſe voluit: *Mihi vindicta, ego retribuam*) animati, ſed ad ſpem concipiendam: *vobis*, inquit *c)*



*a)* Lib. I. de civ. Dei c. 1. T. VII. p. 2.
*b)* II. Theſſ. II. 3. *c)* Ib. I. 7.

*qui tribulamini, requiem nobiscum in revelatio Domini Iesu de cœlo cum angelis virtutis eius, flamma ignis dantis vindictam iis, qui non nov-rint Deum, et qui non obediunt evangelio Domi-ni nostri Iesu Christi. Qui pœnas dabunt in inte-ritu æternas a facie Domini, et a gloria virtu-eius cum venerit glorificari in sanctis suis, et a mirabilis fieri in omnibus, qui crediderunt: qu creditum est testimonium nostrum super vos in die ill*

De die ac tempore hoc epistola prima sic scrip-sit ad Thessalonicenses V. 1. &c. *De temporibu autem et momentis, fratres, non indigetis, ut scri-bamus vobis: ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Cum au-tem dixerint pax, et securitas, tunc repentinu eis superveniet interitus, sicut dolor in utero haben-ti, et non effugient. Vos autem fratres non estis in tenebris, ut vos dies illa tanquam fur compre-hendat: omnes enim vos filii lucis estis, et filii dici non sumus noctis, neque tenebrarum. Igitur non dormiamus sicut et cæteri, sed vigilemus, et sobrii simus.* Hæc est ergo civitatis Dei, et terrenæ di-sparitas in exspectatione diei Domini, quod illa Christi, et apostolorum monitis edocta, incertum reputans momentum, continuo vigilet, seseque ad suscipiendum iudicem, sustinendumque iudi-cium paratam nunquam non, promtamque exhi-beat cum accensis lampadibus: *Quis putas, est fi-delis servus et prudens, quem constituit Dominus suus super familiam suam, ut det illis cibum in tempore? Beatus ille servus, quem cum venerit dominus eius, invenerit sic facientem. Amen di-*

co

*eo vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum. Si autem dixerit malus servus ille in corde suo: Moram facit dominus meus venire: et cœperit percutere conservos suos, manducet autem, et bibat cum ebriosis: veniet Dominus servi illius in die, qua non sperat, et hora qua ignorat: et dividet eum, partemque eius ponet cum hypocritis, illic erit fletus et stridor dentium.* a) De his vero Christus suos commonens b) præcavensque: *Attendite autem*, ait, *vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et curis huius vitæ: et superveniat in vos repertina dies illa: tanquam enim laqueus superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ. Vigilate itaque, omni tempore orantes, ut digni habeamini, fugere ista omnia, quæ futura sunt, et stare ante filium hominis:* quando nimirum *Congregabuntur ante eum omnes gentes, et separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis.* c)

Quod autem ex ore Christi d) D. Petrus e) dicit: *adveniet dies Domini ut fur*, modo a D. Paulo dictum quoque audivimus: *Quia dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint pax, et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus.* Quem locum S. Augustinus in altera ad Hesychium ep. Salon. epistola f) de fine seculi non curiose inquirendo, versans, „Hoc ergo (inquit) scire opus est, ut curent filii lucis esse, „ et parato corde vigilare, qui nolunt ab illa hora sicut a nocturno fure deprehendi. Nam si „ ad

a) Matth. XXIV. 45. b) Luc. XXI. 34.
c) Matth. XXV. 32. d) Matth. XXIV. 43.
e) II. Pet. III. 10. f) Epist. 199. n. 9. T. II. p. 745.

„ ad cavendum hoc malum, id est, ne hora Do-
„ mini tanquam fur inveniat imparatum, opus
„ esset, nosse temporum spatia, non diceret apo-
„ stolus, non opus esse, ut hoc scriberet, sed hoc
„ potius eis esse scribendum, tanquam doctor
„ providentissimus iudicaret. Nunc autem nec
„ illis hoc opus esse monstravit, quibus sufficie-
„ bat, ut scirent, imparatis atque dormientibus
„ horam Domini sicut furem esse venturam, at-
„ que hoc sciendo essent ipsi vigilanter parati,
„ post quantalibet tempora veniret; et suum serva-
„ vit modum, ut licet apostolus, non tamen præ-
„ sumeret alios docere, quod apostolis Domi-
„ num dixisse cognoverat; *Non est vestrum, scire.*
Et infra *a*) Hesychio respondens, qui, signa adven-
tus iam tunc adesse, sibi in animum induxerat:
„ Si ergo ista mala, quæ nunc patitur genus hu-
„ manum, certa sunt indicia iam Dominum esse
„ venturum, quid est, quod ait Apostolus: cum
„ dixerint pax et securitas? Cum enim dixisset
„ evangelium: *arescentibus hominibus præ timore*
„ *et exspectatione*, continuo subiunxit: *Nam vir-*
„ *tutes cœlorum movebuntur, et tunc videbunt fi-*
„ *lium hominis venientem in nube cum potestate*
„ *magna et maiestate.* Videmus itaque, ne forte
„ melius intelligatur, non ea modo impleri, quæ
„ prædicta sunt illis verbis, sed tunc potius esse
„ ventura, quando sic erit tribulatio universo or-
„ bi, ut ad Ecclesiam pertineat, quæ universo or-
„ be tribulabitur, non ad eos, qui tribulabunt
„ eam. Ipsi enim dicturi sunt; *Pax et securitas:*

„ ut

*a*) n. 36. &c. p. 754.

„ ut repentinus illis superveniat interitus, et eos „ adventus Domini sicut fur in nocte comprehen- „ dat, quando e contrario gaudebunt, et exulta- „ bunt, qui diligunt manifestationem Domini. „ Nunc autem ista mala, quæ tanquam summa et „ extrema creduntur, utrique genti et utrique „ regno, et Christi scilicet et diaboli videmus „ esse communia. Pariter quippe his et boni af- „ fliguntur et mali, nec est, qui dicat; *Pax et se- „ curitas*, ubicunque contingunt, vel metuitur, „ ne contingant. Inter quæ tamen mala adhuc „ usquequaque frequentantur luxuriosa convivia, „ fervet ebrietas, avaritia grassatur, perstrepunt „ lascivi cantus. Organa, tibiæ, lyræ, citharæ, „ tesseræ, multa et varia genera sonorum atque „ ludornm. Hoccine est, arescere præ timore, „ an potius madescere præ libidine? sed hæc filii „ tenebrarum abundantius habebunt, et exerce- „ bunt, cum dixerint: *Pax et securitas* „. Haud dispar videtur esse hodieque rerum utriusque civitatis Dei et diaboli status. At vero ea nos post mille ducentos et amplius ab ætate S. Augustini annos propius iam contingunt tempora, de quibus a) Christus: *Et prædicabitur hoc evangelium in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio.* De quibus mox ante: *Et tunc scandalizabuntur multi, et invicem tradent, et odio habebunt invicem, et multi pseudopropheta surgent, et seducent multos, et quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum: qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

Hæc

a) Matth. XXIV. 14. v. 10.

Hæc erit beata Ecclesiæ electorum sors ac spes certa in magna illa tribulatione, *qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet*: periculosissima illa tempora Ecclesiæ tunc contra hostes vel maxime militantis, quam modo vidimus *a*) viduæ nomine a Christo repræsentatæ, Deo faciente *vindictam electorum suorum clamantium ad se die ac nocte*: *Verumtamen*, addit, *filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terris?* Ut modo intelleximus charitatem multorum refrigescentem, ita hic habemus fidem deficientem in terris, quam iam supra notavimus, locuti de Iudæorum conversione aliquando futura, atque ita quidem ex nonnullorum sententia, ut quando fuerint impleta *tempora nationum*, *b*) Ecclesiæ nimirum ex gentibus, qualis hodie est, congregatæ, novissimis temporibus Ecclesiam ex Iudæis fore refloriturarn. Qua de re quidquid sit, ingemiscimus profecto hodie in ipsa Ecclesia eorum numerum augeri, qui impune christianam religionem abiiciunt, aut quidvis sibi de ea sentiendi tenendique licentiam sumunt eandem, qualem illi sibi arrogarunt, qui proximis seculis secessionem ab Ecclesia catholica fecerunt: ubi equidem orthodoxo cuique in gremio Ecclesiæ facile fuit, fidem suam in tuto ponere obsequio fidei Ecclesiæ debitæ; at vero auctoritate hac contemta, quis sibi iam consulat, aut satis caveat? Quis non ea imminere tempora timeat, quibus, si fieri posset, in errorem abducerentur etiam electi? ea inquam tempora, de quibus Christus: *filius hominis veniens, putas, inveniet fidem in terra?* Quis

in

*a*) Luc. XVIII. 7. *b*) Luc. XXI. 24.

in tanto periculo non se iungat Petræ illi, supra quam se Christus promisit ædificaturum Ecclesiam suam: Petræ illi in sede Petri, contra quam portæ inferi non prævalebunt: tunc etiam, *cum consummati fuerint mille anni* Ecclesiæ militantis regni Christi in terris, *quando solvetur Satanas de carcere suo, et exibit et seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, Gog, et Magog, et congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris. Et ascenderunt super latitudinem terræ, et circuierunt castra Sanctorum, et civitatem dilectam.*

Est ista omnium gravissima per universum orbem catholicum persecutio, erunt funestissima Ecclesiæ militantis fata, quando civitas Dei regnumque Christi in terris, veluti in prædam erit civitati terrenæ et regno diaboli, electique Dei in tribulatione magna, *qualis non fuit ab initio mundi usque modo, neque fiet a)* etiam sub dirissimis Ecclesiæ primis seculis pressæ temporibus. *Et nisi breviati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: propter electos autem breviabuntur dies illi.* Quod unice solatio tunc erit Ecclesiæ militanti, ac vix non sub malis succumbenti: quando mundus de hoste veluti prostrato, atque ad incitas redacto lætus, et manubiis ovans atque tripudians, civitasque terrena et regnum diaboli triumphasse de civitate Dei, regno Christi, Ecclesia militante sibi videbuntur, dum ad interitum proximi erunt: *cum enim dixerint, pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus, sicut dolor in utero habenti, et non*

a) Matth. XXIV. 21.

*non effugient. a)* Dum econtra *his fieri incipientibus*, Christus suos erigit; *respicite, et levate capita vestra: quoniam appropinquat redemtio vestra. b)* *Ipsa* nimirum, de qua apostolus: *creatura liberabitur a servitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei.* Ingemiscit quidem illa iuxta eundem apostolum *c)* alia, quam reprobi sorte, *et parturit adhuc.... Sed et nos ipsi intra nos gemimus, adoptionem filiorum Dei exspectantes, redemtionem corporis nostri.* Nimirum quando Ecclesia militans in terris, civitas et regnum Christi transfigurabitur in Ecclesiam triumphantem in cœlis in resurrectione secunda. Sic Io. XVI. 21. *Mulier, cum parturit, tristitiam habet, quia venit hora eius. Cum autem pepererit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Quæso, quod gaudium resurgendo nasci in cœlum? ab exilio in patriam? ab ærumnis huius vitæ et pressuris novissimorum temporum in gaudium Domini intrare? Cum sit hoc unum solidum inter ærumnas huius vitæ solatium, eo se cumprimis animare debent fideles, ac præparare ad incertum periculosissimorum novissimorum temporum momentum. *Propter quod charissimi,* monet nos D. Petrus *d) hæc exspectantes satagite, immaculati, et inviolati ei inveniri in pace: et Domini nostri longanimitatem salutem arbitremini: sicut et charissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis.* Passim S. Paulus *e)* de spe nostra ex Christi adventu periculis

novissimorum

*a)* Thess. V. 3. *b)* Luc. XXI. 28. *c)* Rom. VIII. 21.
*d)* II. Pet. III. 14. *e)* I. Tim. IV. II. Tim. III.

novissimorum temporum instruit in suis epistolis, cautosque reddit Ecclesiæ cumprimis præpositos: *Apparuit enim*, ad Titum II. 11. scribit, *gratia Dei salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, et secularia desideria, sobrie, et iuste et pie vivamus in hoc seculo, exspectantes beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei et salvatoris nostri Iesu Christi.* In Timotheo autem pastores instruit, ut sibimet, sibique commissis caveant a seductoribus maximisque seductionum periculis, de quibus ubivis in hoc opere monuimus; præmonemurque, ut vidimus, passim in divinis scripturis, veteris et novi Testamenti: *ut memores sitis eorum, quæ prædixi, verborum*, ait D. Petrus, *a) a sanctis prophetis, et apostolorum vestrorum præceptorum Domini et salvatoris. Hoc scientes, quod venient in novissimis diebus in deceptione illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes, dicentes: ubi est promissio, aut adventus eius?* Sunt, eruntque hi ipsissimi illi, de quibus iam audivimus *b)* S. Paulum: *cum dixerint: pax et securitas, tunc repentinus eis superveniet interitus.* Quem locum S. Irenæus affert *c)* de Antichristo agens, cuius nomen in Apocalypsi S. Ioannis numeris *666.* designatur: „ Scientes, (in-„ quit,) firmum numerum, qui a scriptura an-„ nuntiatus est, id est sexcentorum sexaginta sex, „ sustineant primum quidem divisionem regni in „ decem: post deinde illis regnantibus, et inci-„ pientibus corrigere sua negotia, et augere su-



*a)* Ib. v. 2. *b)* I. Thess. V. 3.
*c)* Lib. V. contra hæres. c. 30.

„ um regnum, qui de improviso advenerit, regnum sibi vindicans, et terrebit prædictos, habens nomen continens prædictum numerum, „ hunc vere cognoscere, esse abominationem desolationis. Hoc et apostolus ait: Cum dixerint „ pax, et munitio, tunc subitaneus illis superveniet interitus „. Affert deinde nomina quædam, quæ continent numerum 666. „ ευανθας, de quo „ (ait,) quæritur: sed nihil de eo affirmamus. Sed „ et Λατεινος nomen habet sexcentorum sexaginta „ sex numerum: et valde verisimile est, quoniam „ novissimum regnum hoc habet vocabulum, latini enim sunt, qui nunc regnant; sed in hoc „ nos gloriabimur. Sed et τειταν (cui nomini S. „ martyr magis inhæret,) ut etiam (inquit,) sol „ Titan vocetur ab his, qui nunc tenent; et „ ostentationem quandam continet ultionis, et „ vindictam inferentis, quod ille simulat, se male tractatos vindicare. Et alias autem, et antiquum, et fide dignum, et regale, magis autem „ et tyrannicum nomen „. Id quod Antichristo maxime congruit, tyrannidem exercituro in orbe christiano: „ Cum autem, (ut cum eodem S. Irenæo concludam,) vastaverit Antichristus hic „ omnia in hoc mundo, regnans annis tribus et „ mensibus sex, et sederit in templo Hierosolymis; tunc veniet Dominus de cœlis in nubibus „ in gloria Patris, illum quidem et obedientes ei „ in stagnum ignis mittens, adducens autem iustis regni tempora, hoc est: requietionem, septimam diem sanctificatam; et restituens Abrahæ „ promissionem hæreditatis: in quo regno ait Do-

„ minus

„ minus, multos ab Oriente et Occidente venien-
„ tes, recumbere cum Abraham, Isaac, et Iacob „.

## CAPUT ULTIMUM.

### *Anacephaleosis.*

Ecclesiam militantem regnum Christi in terris, in theocratia vet. Test. adumbratam, atque ı prophetis præconiatam, Daniel *a)* nobis in sua ımplitudine repræsentavit per lapidem illum, qui percusserat statuam, qua regi Nabuchodonosori quatuor regna mundi in somno sunt ostensa, atque *factus est mons magnus, et implevit universam* *erram.* Lapis hic Christus Iesus est, quem reprobaverunt Iudæi *b)* ad quos missus est Christus: *hic factus est in caput anguli. A Domino factum est* *stud, et est mirabile in oculis nostris. Ideo aufe-* *etur a vobis regnum Dei, et dabitur genti facien-* *i fructus eius.* Est hoc, quod refragariis, et per-/icacibus Iudæis *c)* denunciatur, *qui contradicebant* *ris, quæ a Paulo dicebantur, blasphemantes. Tunc* *onstanter Paulus, et Barnabas dixerunt: Vobis* *portebat primum loqui verbum Dei; sed quoniam* *epellitis illud, et indignos vos iudicatis æternæ vi-* *æ, ecce convertimur ad gentes.* Prioribus eorundem actuum capitibus iam narratum fuerat, quid egerint apostoli accepto spiritu sancto, quidque a udæis perpessi sint cæsi, ac in carcerem missi; quos um comminantes dimisissent *d)* *unanimiter illi* evarunt vocem ad Deum *e)* orantes: *Et nunc Do-*



a) Dan. II. 34. 35. b) Matth. XXI. 42.
c) Act. Apost. XIII. 45. d) Act. IV. 21. e) v. 29.

*mine respice in minas eorum, et da servis tuis cum omni fiducia loqui verbum tuum. In eo quod manum tuam extendas ad sanitates, et signa, et prodigia fieri in nomen sancti filii tui Iesu. Et cum orassent, motus est locus, in quo erant congregati: et repleti sunt omnes spiritu sancto, et loquebantur verbum Dei cum fiducia.*

Igitur apostoli, a perfidis Iudæis se ad gentes converterunt, ut iussi *a)* fuerant a Christo: *Quicumque non receperit vos, neque audierit sermones vestros: exeuntes foras de domo, excutite pulverem de pedibus vestris. Amen dico vobis: tolerabilius erit terræ Sodomorum, et Gomorrhaeorum in die iudicii, quam illi civitati.* Quod experta est postea civitas Hierosolymorum excisa, unde gens Iudæorum per orbem dispersa etiam nunc vagatur in testimonium perfidæ obstinaciæ suæ, qui evangelio regni renitebantur etiam inter gentes, ante et post dispersionem suam, quæcunque poterant, ponentes obstacula ( ut non solum acta et scripta apostolorum, verum etiam historia Romana docet) luentes, quas diximus, pœnas, perinde ac deinceps alii Ecclesiæ hostes et persecutores. Est hoc argumentum apocalypsis S. Ioannis, in qua singulis tubis, quibus Ecclesiæ imminens persecutio denunciatur, phialæ iræ Dei in persecutores respondent.

Porro Iudæi sese etiam in ipsa Ecclesia exhibuerunt auctores plerumque hæresum, quæ in primitiva Ecclesia divinitatem Christi incesserunt: auctores

*a)* Matth. X. 14.

auctores etiam seu commentatores regni cuiusdam millenarii Ecclesiæ præter Ecclesiam militantem regnum Christi in terris, quod primis huius tractationis capitibus discussimus, ac ultimis, mirati, esse hodieque inter christianos, qui etiamnum regnum quoddam Messiæ in gente Iudaica, stirpeque David præstolentur potius, quam ut agnoscant hierarchiam in Ecclesia militante, regno Christi in terris: quam a Christo in suis apostolis institutam in evangelio, ab iisdemque tam potenter contra omnem potestatem huius seculi constitutam plena auctoritate, ex actis et scriptis apostolorum tam luculentis testimoniis demonstravimus, a principe præsertim apostolorum D. Petro: cuius successorum quisquam, si, quam is in Ananiam et Saphiram, severitatem exerceret, quanti quæso clamores fierent? Cuius tamen sedis Petri ut eluderet primatum doctissimus alioquin hierarchiæ ecclesiasticæ assertor Hen. Dodwellus, potius primatum quendam Ecclesiæ primitivæ in primis Ecclesiæ Hierosolymitanæ præsulibus ex familia Christi, Iacobo minore, Symeone &c. quasi per nepotismum quemdam comminisci voluit, (quæ brevi excisa urbe disparuit sedes) quam agnoscere in sede Petri, quæ hactenus inconcussa perstat, auctoritatemque Petrus suam constanter in successoribus suis adversus omnes, qui vel Ecclesiam schismate scinderent, vel erroribus contaminarent, exeruit: quales hæreticos primos modo indicavimus christianos iudaizantes, qui Christum merum hominem dicebant. Illa de hæresi Eusebius Cæsar. *a)* testimonium



a) Lib. V. Hist. eccl. c. 28.

auctoris cuiusdam sec. II. affert in medium; a Victore et Zephyrino Petri successoribus calumniam abstergens, qua eorum temporibus veritatem adulteratam dicebant: „Quomodo, (sunt auctoris illius verba,) eos non pudet, huiusmodi calumniam adversus Victorem concinnare, cum certo sciant Theodotum coriarium, qui defectionis illius Deum abnegantis parens et auctor fuit, primusque Christum nudum esse hominem adseruit, per Victorem a communione Ecclesiæ eiectum fuisse „. Est hic idem S. Victor D. Petri successor, qui invicto animo Ecclesiæ Asiaticæ alioquin celebratissimæ, in causa paschatis, uti postea Africanæ in causa rebaptizandorum hæreticorum tempore S. Cypriani S. Stephanus pontifex et martyr sese opposuerunt, sententia totius postea Ecclesiæ iudicio firmata. Conticuerunt iam, qui tanta contentione nuper, Petrum Romæ unquam fuisse, negare perfricta fronte sunt ausi, contra apertissima totius antiquitatis ecclesiastiæ monumenta ac testimonia.

Ex his a Baluzio primum in lucem protractus Lactantii liber DE MORTIBUS PERSECUTORUM causam etiam ortæ hinc primæ in christianos persecutionis a Nerone excitatæ pandit, dum Petrus tunc Romam adveniens multos convertit „ad iustitiam, „Deoque templum fidele et stabile collocavit. „Qua re ad Neronem delata, cum animadverteret, non modo Romæ, sed ubique quotidie magnam multitudinem deficere a cultu idolorum, „et ad religionem novam, damnata vetustate, „transire; ut erat execrabilis et nocens tyrannus,

„prosilivit

„ prosilivit ad excidendum coeleste templum, de-
„ lendamque iustitiam, et primus omnium per-
„ secutus servos Dei, Petrum cruci affixit, et
„ Paulum interfecit. Nec tamen habuit impu-
„ ne; respexit enim Deus vexationem populi
„ sui. Deiectus itaque fastigio imperii, ac devo-
„ lutus a summo tyrannus impotens, nusquam
„ repente comparuit, ut ne sepulturæ quidem lo-
„ cus in terra tam malæ bestiæ appareret. Unde
„ illum quidam deliri credunt, esse translatum,
„ ac vivum reservandum „. Non minus insigne argumentum idem mox Lactantius phialæ Apocalypticæ iræ et vindictæ divinæ in Domitianum imp. quem Eusebius *a)* vocat Neronianæ impietatis et odii adversus Deum successorem, exhibet, testatus eum, postquam ad persequendum iustum populum instinctu dæmonum incitatus est, tunc traditum in manus inimicorum luisse poenas. *Nec satis*, addit, *ad ultionem fuit, quod est interfectus, domi etiam memoria nominis eius erasa est.* Præterit Lactantius, quæ tertia numerari solet inter decem, persecutionem Traiani longius a Roma in Asia sævientem, unde S. Ignatius (qui se Theophorum in suis epistolis et coram Traiano vocat, interrogatus: quis esset? Theophorus, respondit: (*Qui Christum habet in pectore*) Romam missus ab imperatore feris obiiciendus: ut postea S. Polycarpus Smyrnæ agente multitudine gentilium et Iudæorum, qui urbem incolebant, ut vivus combureretur, est condemnatus a proconsule sub M. Aurelio, sub quo quarta persecutio in Oriente coepta

 non

*a)* Lib. III. hist. eccl. c. 17.

non solum Palæstinam, Syriam, Ægyptum, Asiam minorem, et Græciam, quod etiam haud raro non iubentibus principibus factum, pervasit, verum etiam in vicinam Galliam prorogata est, in qua S. Pothinus Lugdunensis episcopus cum sociis ex Lugdunensi et Viennensi ecclesia (quarum extat de hoc martyrio epistola ad ecclesias Asiæ et Phrygiæ) pro fide occubuit. Sic postea ibidem S. Irenæus eius successor, quem martyres Lugdunenses in epistola ad Eleutherium P. ut æmulatorem testamenti Christi commendant, sub Severo martyrio coronatus fuit: censenturque hæ inter decem quarta et quinta; sequens vero Maximini sexta persecutio, quas præterit Lactantius, qui persecutores Ecclesiæ in hac etiamnum vita expertos divinam nemesin, quæ in altera, dum quod differtur, non aufertur, omnes manet, persequi instituit, atque immaniores tyrannos. Igitur Domitiano mox Decium iungens *execrabile animal* vocat, „Qui vexaret Ecclesiam.... Et quasi huius rei gratia provectus esset ad illud principale fastigium, furere protinus contra Deum cœpit, ut protinus caderet. Nam profectus adversus Carpos, qui tunc Daciam, Mæsiamque occupaverant, statimque circumventus a barbaris, et cum magna exercitus parte deletus, nec sepultura quidem potuit honorari: sed exutus ac nudus, ut hostem Dei oportebat, pabulum feris, et volucribus iacuit. Non multo post, (pergit,) Valerianus quoque non dissimili furore correptus impias manus in Deum intentavit: et multum, quamvis brevitempore, iusti sanguinis fudit. At illum Deus novo ac singulari pœnæ genere adfecit, ut

„ posteris

„ esset posteris documentum, adversarios Dei semper dignam scelere suo recipere mercedem. Hic captus a Persis, non modo imperium, quo fuerat insolenter usus, sed etiam libertatem, quam cœteris ademerat, perdidit, vixitque in servitute turpissime. Nam rex Persarum Sapor, is, qui eum ceperat, si quando libuerit, aut vehiculum ascendere, aut equum, inclinare sibi Romanum iubebat, ac terga præbere, et imposito pede supra dorsum eius, illud esse verum, dicebat, triumphi genus „. Referta sunt de hac persecutione S. Cypriani scripta, qui in ea gloriosum martyrium subiit, strenuus ille vindex disciplinæ in potestate clavium contra eos, qui erga lapsos in illa persecutione indulgentius agendum existimabant, „ Aditum se, ut *a)* ad Cornelium P. scribit, sibi non lamentationibus et satisfactionibus, sed terroribus facere, pro certo habeant, contra tales clausam stare Ecclesiam Domini, nec castra Christi invicta, et fortia, Domino tuente munita, minis cedere. Sacerdos Dei evangelium tenens, et Christi præcepta custodiens, occidi potest, vinci non potest „. Gemina est sententia, qua utitur in epistola mox sequenti ad Thibaritanos *b) de exhortatione martyrii*: „ Fungamur exitu mortis cum præmio immortalitatis, nec vereamur occidi, quos constat, quando occidimur, coronari „.

Pœnas porro Romanum imperium satis tunc luit suæ in christianos immanitatis invasione barbararum undique gentium in provincias, Gothis

 Thraciam

*a)* Epist. LV. *b)* p. 91. ed. Baluz.

Thraciam et Macedoniam invadentibus, Germanis alpes superantibus, in Italiam Ravennam usque penetrantibus, aliis usque in Hispaniam, Alemannis superato Rheno Gallias pervadentibus, Sarmatis Pannoniam depopulantibus, Parthis usque in Syriam progressis; ut innumera intestina bella civilia silentio præteream, primum sub tyrannis triginta usque, deinceps multiplicatis cæsaribus et Augustis post Aurelianum, de quo Lactantius natura vesano, et præcipiti, „ Quamvis (ait,) captivitatem Valeriani meminisset, tamen oblitus „ sceleris eius et poenæ, iram Dei crudelibus factis „ lacessivit. Verum illi ne perficere quidem, quæ „ cogitavit, licuit, sed protinus inter initia sui furoris extinctus est „. Tum Diocletianum persequitur, „ qui, (inquit,) scelerum inventor, et „ malorum machinator, cum disperderet omnia, „ nec a Deo quidem manus potuit abstinere. Hic „ orbem terræ simul et avaritia et timiditate subvertit. Tres enim participes regni sui fecit, „ in quatuor partes orbe diviso „. Primus fuit Maximianus frater, *qui est dictus Herculius, non dissimilis ab eo.* Alter Maximianus dictus Galerius, quem sibi generum asciverat. De quibus paulo post: „ Vexabatur ergo (ait,) universa terra, et præter „ Gallias ab oriente usque ad occasum tres acerbissimæ bestiæ sæviebant „. Quorum deinceps, tum Maximini item, sævitiam in christianos, et commeritas poenas prolixius persequitur, quam ut hic commemorare vacuum sit. Id unum dixerim, Maximiano Galerio, et Maximino parem, sed sero nimis, perinde ac olim Iudaicæ gentis

tyranno

tyranno Antiocho, rediisse mentem, Galerio in extremis non solum Deum coacto confiteri, verum etiam polliceri, se restituturum Dei templum, satisque pro scelere facturum, edito etiam pro christianis, quod Lactantius affert, edicto. De Maximino vero narrat postea, exclamasse eum:
„ sicut ii, qui torqueri solent, et non se, sed alios
„ fecisse dicebat. Deinde quasi tormentis adactus,
„ fatebatur, Christum subinde deprecans, et plo-
„ rans, ut suimet misereretur. Sic inter gemitus,
„ quos tanquam cremaretur, edebat, nocentem
„ spiritum detestabili genere mortis efflavit. Hoc
„ modo Deus universos persecutores nominis sui
„ debellavit, ut eorum nec stirps nec radix ulla
„ remaneret „.

Quod vero maius esse potuit argumentum pro divinitate religionis christianæ, quam hæc eius propagatio inter continuas persecutiones, inter flagra et tormenta, enses et cruces, proscriptiones et mortes: ut inter has tyrannides Tertullianus in sua apologia pro christianis palam edicere potuerit, sanguinem christianorum esse semen religionis christianæ iam tunc tantopere amplificatæ, ut si vis vi esset repellenda, gentilibus facile forent superiores christiani? Tum vero integro illo trium seculorum intervallo, quo principes ethnici dominabantur orbi, manifestum fecit divinum numen, suæ solum potentiæ, non terrenæ cuiusque voluisse hoc esse opus.

Quod dum primi illi christiani principes a Constantino I. inde non satis in animum induxerunt,

ut

ut singulatim suo loco ostendimus, in viscera sævientes, Ecclesiam conturbarunt, locum ac tutelam dantes zizaniis illis, quæ inimicus homo, quamprimum quidem etiam in exoriente Ecclesia spargere cœpit, sed minori successu, quam dum idololatria paulatim eradicata, hæresis Ariana pullulans aliquando sementem veræ fidei suffocasse, est visa. Vel unum quinque libris comprehensum S. Irenæi M. sec. II. opus contra hæreses ostendit, quot errorum monstra ac hæreses iam tunc agrum dominicum infecerint, sed excrescere, ac caput erigere non prævaluerunt, nulla potestate externa illa suffulti, qua postea mox post persecutionum tempora omnium infestissima Ariana orbem iam christianum factum implevit, dum principes christiani perverso religionis zelo abducti errori suo patrocinati. Qua de re S. Hilarius in libro contra Arianos a) „ Ac primum (ait) miserari licet „ nostræ ætatis laborem, et præsentium temporum stultas opiniones congemiscere, quibus patrocinari Deo humana creduntur, et ad tuendam Christi Ecclesiam ambitione seculari laboratur. Oro vos, o episcopi, qui hoc esse vos „ creditis, quibusnam suffragiis ad prædicandum „ Evangelium apostoli usi sunt? Quibus adiuti potestatibus Christum prædicaverunt, gentesque „ fere omnes ex idolis ad Deum transtulerunt? „ Anne aliquam sibi assumebant e palatio dignitatem, „ hymnum Deo in carcere inter catenas, et post flagella cantantes, edictisque regis Paulus, cum „ in theatro spectaculum ipse esset Christo, Ecclesiam

a) Lib. contra Auxentium n. 3. et 4. p. 1264. &c.

„ ſiam congregabat? Nerone ſe, credo, aut Ve-
„ ſpaſiano, aut Decio patrocinantibus tuebatur?
„ quorum in nos odiis confeſſio divinæ prædica-
„ tionis effloruit. Illi manu atque opere ſe alen-
„ tes, intra cœnacula, ſecretaque coeuntes, vi-
„ cos et caſtella gentesque fere omnes terra ac
„ mari contra ſenatusconſulta et regum edicta
„ peragrantes, claves, credo, regni cœlorum non
„ habebant? Aut non manifeſta ſe tum Dei virtus
„ contra odia humana porrexit, cum tanto ma-
„ gis Chriſtus prædicaretur, quanto magis prædi-
„ cari inhiberetur? At nunc, proh dolor! divi-
„ nam fidem ſuffragia terrena commendant, inops-
„ que virtutis ſuæ Chriſtus, dum ambitio nomini
„ ſuo conciliatur, arguitur „.

Hæc S. Hilarius poſt S. Athanaſium maximus auctoritatis hierarchicæ ſtator contra adverſantem orthodoxæ fidei, in ſynodo Nicæna legitima poteſtate eccleſiaſtica trecentorum Patrum præſcriptæ, tunç maxime Conſtantium imp. Arianorum patronum. Nec minore vigore deinde S. Baſilius contra Valentem Arianum orthodoxorum perſecutorem usque ad mortes, ac glorioſa martyria: qualia etiam ingenti numero in Africa poſtea viſa ſunt ſub Genſerico, Hunnerico, et aliis Vandalorum regibus pro conſubſtantialitate verbi divini, ut nulla unquam fuerit viſa perſecutio atrocior, aut diuturnior, Deo tamen non tardante, e medio tollere perſecutores Eccleſiæ ſuæ, ac vindictam ſumente, ut vidimus, in perſecutoribus imperatoribus gentilibus, conſpicuumque fuit item in Iuliano apoſtata, qui cum primum fraudulenter perſequeretur,

aperte

aperte sæviens in christianos an. 362. cum conflagrasset templum Apollinis in Daphne, mox anno sequenti ictu cœlitus immisso interiit. Alia huiusmodi exempla notavit B. Bossuet in commentario in Apocalypsin. Quibus accensenda est mors Valentis in prælio, ac Neronis instar disparente eius cadavere.

Post eum dum Theodosius senior obsecundans sententiæ Patrum, hierarcharum nimirum, penes quos est depositum fidei, in synodo Cpolitana contra Macedonium, iunior vero contra Nestorium, utrumque regiæ urbis Cpolitanæ antistitem, in concilio Ephesino, et postea Marcianus contra Eutycheten in concilio Chalcedonensi sustentarunt orthodoxam fidem, eorum successores ipsi sese causis fidei immiscentes, Zeno suo Henotico, Heraclius Ecthesi, Constans Typo, et alii deinceps male Ecclesiæ consuluerunt, perinde ac postea Iustinianus in causa trium, ut vocabantur, capitulorum, qui tamen in aliis, ut par erat, quod res ecclesiasticas attinet, Ecclesiæ legibus accommodavit se, proscriptis quoque suis legibus hæreticis. Sic dum passim imperatoribus Orientis fautoribus florentissima Ecclesia, (ut suo loco meminimus) hæresibus fuit infecta, paulatim suæ ruinæ propinquat, quam experiebatur iam imperium occidentale, ipsaque Roma profana, ebria sanguine sanctorum toties sec. V. et VI. capta et depopulata Babylon et bestia Apocalyptica, Romanumque imperium incursione gentium barbararum accisum; dum interim Roma sacra efflorescit, Ecclesiaque militans, regnum Christi in terris exaltatur, præparatus mons Domi-

ni

ni in vertice montium, atque ut canit S. Gregorius Nazianzenus in carmine de vita sua de prærogativa veteris Romæ:

> Fides vetustæ recta erat iam antiquitus
> Et recta perstat nunc item, nexu pio
> Quodcunque labens sol videt, devinciens,
> Ut universi præsidem mundi decet,
> Totam colit quæ numinis concordiam.

Idem sanctissimus hierarcha palam orat. XVII. principes allocutus, „ Nam vos quoque (inquit,) „ imperio meo ac tribunali lex Christi subiicit: „ imperium enim nos quoque gerimus: addo „ etiam præstantius ac perfectius, alioquin carni „ spiritum, et terrenis cœlestia cedere oportebit. „ Omnino te libertatem illam meam accepturum „ in bonam partem, scio. Sacri mei gregis ovis „ es, serva et alumna magni pastoris „. Hoc S. Remigius Remensis ep. baptizaturus Clodovæum, primum christianum Francorum regem, commonefacere his verbis voluit: *Mitis depone colla Sicamber*, subiturus nempe iugum Christi, non sibi Christi Ecclesiam subiugaturus. Nihil accessit Clodovæi imperio (perinde ac olim christianis imperatoribus inde a Constantino) dum christianam religionem amplexus est, factus ovis Christi SERVA ET ALUMNA MAGNI PASTORIS. Nihil is iuris potestati politicæ dedisse legitur in regnum suum in terris Ecclesiam militantem! Vidimus quam male cesserit, dum primi statim principes, limites suos prætergressi, aliquid sibi usurparunt in rebus ecclesiasticis, præter tutelam illam ac præsidium,

dium, de quo S. Leo P. ad Leonem imperatorem „ ut ausus nefarios comprimendo, et quæ be- „ sunt statuta, defendas, et veram pacem i- „ quæ sunt turbata, restituas „. Quam in re- Facundus Hermianensis exemplum Marciani imp principibus proponens, qui Oziæ exemplo im pune sibi cedere non posse cognoverit; „ vel qu „ iam de fide rite fuerant discussa, discutere „ quod nullatenus licet; vel novos constituere ca- „ nones, quod nonnisi multis in unum congre- „ gatis primi ordinis sacerdotibus licet „.

Vidimus quam sacrosanctum hoc semper regibus Francorum tam Merovingicæ stirpis a Clodovæo inde, quam etiam Carolingicæ postea fuerit. Tutores se illi præstiterunt Ecclesiæ legumque ecclesiasticarum, non conditores, conservata concordia sacerdotium inter et regnum in suis conventibus ex utroque ordine, hierarcharum, et procerum imperii, ut mutuam operam ferrent et tutelam, foro et iuribus nullatenus permixtis: ut ecclesiastica seorsim hierarchæ tractarent, quibus in capitularia regum Francorum collectis vis etiam et robur ex præsidio ac tutela principum accederet, regum Francorum religionis christianæ ( dum in Hispania reges plures violenter Arianam perfidiam obtruderunt ) non solum tuendæ verum etiam propagandæ studiosissimorum, inde a Clodovæo: qui, neophytus, licet in devictam Germaniam seu Alemanniam lucem fidei intulit, ut postea Carolus M. in Saxoniam: dum iam sub eius antecessoribus in reliquas Germaniæ provincias a S. Bonifacio præprimis, aliisque ex Britannia apostolis ( ubi evangelii

evangelii lux dudum extincta a S. Augustino et sociis iterum accensa fuit) fides esset illata ac firmata in Bavaria, Thuringia, Hassia, Frisia; operam simul conferentibus in Occidente ipsis monasteriis ad paganicas evertendas reliquias, exemplo D. Benedicti, lucos succidentis: dum eius filii in silvis et nemoribus, montibus et vallibus monasteria exstruentes, solum etiam excolere præsertim in Germania totis viribus allaborarunt, insigni cumprimis S. Sturmii, eius rei gratia per Buchoniæ vastissimam solitudinem a S. Bonifacio missi exemplo lectu dignissimo in eius vita apud Mabillonium Act. SS. Ord. S. Bened. sec. III. P. II. p. 273. alia ad rem persecuti sumus passim in HISTORIA NIGRÆ SILVÆ coloniæ ord. S. B.

Sec. IX. lux evangelii ad septentrionalem plagam propagata fuit per S. Anscharium primum sub Ludovico pio in Dania apostolum; et dein in Suecia alibique ad septentrionem gentium, dum etiam ex orientali imperio ad Sclavos, et Russos, et Bulgaros evangelium Christi pervenit sub Theodora imperatrice; uti prius, Irene matris Leonis Constantini filii opera, orientalis Ecclesia, quam ob cultum imaginum Leo Isauricus, et Constantinus Copronymus turbaverant, unioni catholicæ Ecclesiæ fuit restituta: donec ab ea iterum sub Photio scissa fuit sec. IX. schismate firmato postea sub Michaele Cærulario patriarcha Cpolitano medio sec. XI. quo ineunte Hungaria ad fidem christianam fuit conversa, S. Stephano rege, per S. Adalbertum baptizato, ipso agente apostolum. Sic compensatum est, restitutumque Ecclesiæ catholicæ in Occi-

dente, quod ei decessit in Oriente iam inde a seculo VII. per sectam Mahumetanam seu Saracenos: contra quos a fine seculi XI. bella sacra seu cruciatæ sunt susceptæ, recuperata quidem a Godefrido Bullionio terra sancta ipsaque urbe Hierosolyma; deinceps vero repetitis illis sacris expeditionibus agente imprimis sec. XII. S. Bernardo, easque postea sec. XIII. ipso S. Ludovico rege Francorum cum Henrico II. Angliæ rege suscipiente, minus prospero successu, iam prius ab imperatoribus etiam Germanicis inter discordias illas sacerdotium inter et imperium sub Henrico IV. ob investituras primum exortas, atque variis deinceps utriusque potestatis, sacræ et profanæ, studiis ac contentione (ex translatione potissimum imperii Romani ad Germanos ab Ottonibus Saxonibus piis, felicibus, sec. X.) restauratas, fotas usque ad Rudolphum I. Habsburgicum pacis publicæ sacræ et profanæ statorem cum suis eiusdem stirpis in imperio successoribus, quidquid sequenti XIV. secus iterum Ludovicus Bavarus designasset. Ubi animadvertere licet, singulis tubis respondisse iuxta apocalypsin S. Ioannis phialas suas, ac in caput familiarum principum, incentorum malorum, Franconicæ atque Suevicæ, et Bavaricæ recidisse, in auspicium augustæ Habsburgicæ gentis, hactenus per secula Germanicum imperium (aliquando etiam cum sceptro Hispanico, quando illi sol nunquam occidere visus est, donec regnum illud initio huius seculi christianissimorum regum Galliæ stirpi cederet) tenentis consociata nostra ætate in Francisco I. et M. Theresia impp. paterna et materna

sanguinis

ſanguinis Habsburgici et Lotharingici nobilitate, quæ radice illa ſancta, ex Berswinda matertera S. Leodegarii ep. Auguſtodunenſis S. Odiliam protulit filiam, unamque olim agnoſcebat ſec. VII. ſtirpem in Ethicone I. Alſatiæ Duce.

Concordia ſacerdotium inter et imperium reſtituta ſec. XIV. una alterave tuba Eccleſiam militantem, regnum Chriſti in terris ad certamen in ipſis provocavit viſceribus, hæreſi, et ſchiſmate, quod ipſam Romanam ſedem diu divexavit, dum Clemens VII. oppoſitus eſt pontifex Urbano VI. qui cum errores quosdam Wicleffi doctoris academiæ Oxonienſis, concordantibus cum pontifice epiſcopis Angliæ, damnaſſet, illum in rabiem egit, ut inter cætera hierarchicum ordinem in capite et membris inceſſeret, pontificem caput eſſe Eccleſiæ, negans, nec epiſcopos eſſe ordine ſuperiores preſbyteris ſtatuens. Cum in Anglia hæreſis, deſtituta præſidio poteſtatis ſecularis, proficere non poſſet, ea Wenceslai imp. ignavia a Io. Huſs rectore academiæ Pragenſis progreſſum habens, regnum illud inteſtinis bellis poſtea infeſtavit, ob uſum calicis, cum iam cæteri errores eſſent damnati in concilio Conſtantienſi; ubi etiam diuturno ſchiſmati in Romana ſede finis impoſitus eſſe videbatur, niſi canones ſeſſionis IV. et V. ad tollendum ſchiſma inter pontifices compoſiti, anſam dediſſent ad turbandam communionem inter ſummos Eccleſiæ paſtores, pontificem et epiſcopos, et ad novum ſchiſma in concilio Baſileenſi, uſurpata ſibi in verum legitimumque pontificem Eugenium IV. poteſtate a Baſileenſibus, qui ſibi videbantur aucto-

 ritate

ritate concilii Constantiensis agere in hac re, eius auctoritatem tamen in alia contra Wicleffum damnata causa lacesserunt, de superioritate nimirum ordinis episcoporum præ presbyteris: quandoquidem non solum hos promiscue inter Patres admiserunt, verum etiam horum pene solorum suffragio pontificem sede moverunt, postquam episcopi pene omnes recessissent, indicta ab Eugenio synodo Ferrariensi ad unionem Græcorum, quæ etiam, translato Florentiam concilio, feliciter facta fuit; sed dum hæc unio (perinde ac illa an. 1279. in concilio Lugdunensi timore potius infestationis a latinis principibus facta) brevi dilabitur, post reditum Ecclesia illa, non multo post capta a Mahomete II. urbe regia Cpoli, Romæ æmula, in Turcarum servitutem redacta phialam suam experta est.

Sic proximo seculo XVI. Ecclesia occidentalis variis hæresibus infestata, continuis inter se bellis per secula conflictata magnam partem regno Christi in terris Ecclesia militante exclusa, ad hodiernum usque diem miserum in modum scissa discerpitur libertate sentiendi, cuique relicta, ac iudicio privato in rebus religionis, non solum lata omnibus erroribus aperta via, verum etiam occlusa ad unionem unquam sperandam, toties iam in vanum tentatam tam Protestantium cum catholicis, quam eorum secum ipsis, re comperta mox in primordiis inter Lutherum, Zwinglium et Calvinum: estque abscissa prorsus omnis consensionis spes, nisi legitima restituta potestate ecclesiastica ad infallibile, quale in Ecclesia catholica habetur

in

in rebus fidei, iudicium ferendum, cui omnino sit deferendum. At primi novatores freti tunc potestate seculari legitimum abiecerunt Ecclesiæ iudicium, quod aliquando expostulasse visi sunt synodi œcumenicæ, flocci habita pontificia Leonis X. contra Lutherum sententia: frustra etiam Leonis X. successore Hadriano VI. (cuius æquanimitas sedis quoque apostolicæ inimicis est commendata) principes Saxoniæ, a præsidio Lutheri revocare conato, terrore iudicii divini his ad Fridericum Saxoniæ ducem perscriptis verbis: „Hoc tibi denunciamus in virtute omnipotentis Dei, et Domini nostri Iesu Christi, cuius in terris vicarius sumus, nec te in præsenti seculo hoc laturum impune, et in futuro æterni te ignis exspectare incendium„. Fuit Hadrianus ante pontificatum præceptor Caroli V. imp. et regis Hispaniarum: unde post Ferdinandum et inter Philippos evangelii lucem per totum orbem terraqueum in America recens detecta auspicatius accendere allaboravit, quam in Germania cum suis successoribus impp. ex gente Habsburgica orthodoxam fidem (quæ hactenus in Hispania illibata fuit, et in Gallia a Ludovico XIV. restituta fuit) conservare: dum passim principes huius mundi, spoliorum ex bonis ecclesiasticis spe allecti, libentius audierunt a Luthero, dici pontificem Romanum Antichristum, quam vicarium Christi.

Pontificiam auctoritatem hodieque sub spectri nomine (phantome) delitescentes vilipendunt Iansenistæ, qui cum suo nomine in fronte prodire non audent (parva illa in Belgio, ut vocatur, Ec-

clesia, hæreticorum scilicet tuta præsidio, excepta) Ecclesiæque sinum latenter exulcerant, tanti se esse existimantes, ob quos totus orbis catholicus in concilium generale coactus (idque contendunt, qui gloriantur esse Augustini *a*) dicentis in suamet quam maxime causa contra Pelagianos: *Quid adhuc quæris examen, quod apud sedem apostolicam factum est?*) commoveatur, cum sint dudum iam iudicio summorum Ecclesiæ pastorum, pontificis et episcoporum, per orbem catholicum in communione legitimæ potestatis ecclesticæ damnati. Igitur incassum appellant ad concilium generale, facto anterioribus Ecclesiæ temporibus inaudito; sequiori autem ævo dum fuerat tentatum, semper caruit effectu, ipso Petro de Marca *b*) fatente cum aliis, nunquam in Ecclesia admissam fuisse provocationem a papa ad concilium: nec semel summi pontificis sententiam peremptoriam vocat S. Bernardus. Epist. 217. et 239. Dum vere scripta præcipuorum huius sectæ hyperaspitum Arnaldi et Nicolii (felle et acrimonia non minus in episcopos, quam pontificem referta) forte eos non magis illorum, quam concilii sententiæ delaturos fuisse suspicionem ingerant vel ex ipsa eorum obstinacia, qui illos hodieque (quando iam ipsum sacrosanctum concilium Tridentinum in ipso Ecclesiæ gremio posthaberi, et sacrilege proscindi cernimus) sectantur, et post seculum non verentur, sibi in animum inducere in communione potestatis ecclesiasticæ inter summos Ecclesiæ pastores, pontificem et episcopos, non nisi monstrum,

*a*) Oper. imp. perf. contra Iulian. lib. II. c. 11.
*b*) De concordia sacer. et imp. l. II. c. 17. n. 1.

ſtrum, ſpectrum, phantaſma, ut ipſi ſuam ſectam appellant, fuiſſe debellatum: dum palam eſt, in damnando Ianſeniſmo concordem cum pontifice eſſe, atque adeo etiam in concilio generali futuram eſſe ſententiam. Ad præſens usque ſeculum Gallia continebatur hæc ſecta, paucis ibidemque cum ea facientibus epiſcopis. Idem contigit, quando a Clemente XI. ineunte hoc ſeculo XVIII. edita eſt bulla UNIGENITUS, acceptata ab archiepiſcopis et epiſcopis Galliæ (cum alibi gentium nec diſceptatio de ea eſſet) paucis refractariis exceptis, qui iudicio et auctoritate tum Gallorum, cum etiam aliarum catholicarum gentium epiſcoporum unanimi ad ſilentium ſeu ad nihilum fuerunt redacti: robur quoque addente tutela Galliarum regis, atque in Belgio catholico Caroli VI. imp. cum illic gliſcere inciperet ſecta: prout hæc breviter narrata leguntur in remonſtratione archiepiſcopi Viennenſis cardinalis de Miggazzi an. 1781. ad Ioſephum II. imp. qui delatione quadam deceptus, ac ſi bulla UNIGENITUS poteſtatem papæ in temporalia principum ſtabiliret, eam vetito in Belgio iuramento epiſcoporum ſuper formulare Alexandri VII. proſcripſerat, revocata tamen paulo poſt ſententia, contentionibus ſcholarum tantum, ſalvo dogmate, prohibitis. Qua de re ipſe pontifex in ſuo reditu Vienna literis archiepiſcopum Mechlinienſem, cardinalem de Frankenberg (qui cæſarem an. 1781. in Belgio divertentem iam edocuerat, bullam UNIGENITUS continere deciſionem in materia fidei per omnes epiſcopos paucis exceptis refragariis acceptatam) certiorem fecit, quæ le-

guntur in collectione repræsentationum &c. Belgicarum *a*) unacum iis, quæ modo memoravimus præter epistolam card. Miggazzi etiam excerpta ad hanc rem ex remonstratione archiep. Strigoniensis primatis Hungariæ card. Bathiani, ea item, quæ iidem cardinales cum cæteris Hungarici regni episcopis a Pio VI. P. an. 1782. vivæ vocis oraculo quoad hoc et alia in responsis *b*) acceperunt: „ Oportere, tradi bullam in scholis, et quidem non historice sed dogmatice; „ qualis enim theologus, qui bullam Unigenitus nescit? Nec tamen necesse est, ut de hac „ fiant disputationes: proinde fieri posse, ut mandatum cæsareum publicetur cum declaratione, voluntatem regiam tendere ad impediendas „ omnes controversias „. Uterque porro Cardinalis, Bathiani perinde ac card. Miggazzi inconcussis demonstrant testimoniis, *c*) ubique gentium a summis Ecclesiæ pastoribus fuisse receptam bullam Unigenitus per orbem catholicum dispersis. Card. Miggazzi ad ditiones Austriacas se restringens rationem reddit, cur bulla Unigenitus in cæteris Austriaci imperii provinciis eadem, qua in Belgio, celebritate non fuerit publicata: quod turbæ nempe, turbarumque duces, et auctores, atque Iansenii et Quesnelli asseclæ in illis nulli extiterint: neque tamen, subdit, propterea bullæ acceptationem in dictis provinciis factam esse, negari posse, cum archiepiscoporum et episcoporum in iisdem provinciis existentium testimonia promta et parata sint: archiepiscoporum, nimirum Salisburgensis

*a*) Partie eccles. I. et III. partie du second recueil.
*b*) Ib. P. III. p. 255. *c*) P. I. p. 110 &c. et 131.

gensis primatis Germaniæ, Pragensis in Bohemia, cuius successor card. Bathiani latius exspaciatus receptionem bullæ factam demonstrat tum in Gallia, exceptis quibusdam episcopis, cum in Italiæ regnis extra ditiones pontificias, Siciliæ et Sardiniæ seu Pedemontii ac rebuspublicis Genuensi, et Veneta per patriarchas et primates, quos nominat, perinde ac Hispaniæ, Lusitaniæ et Poloniæ primates; Germaniæ porro singillatim recenset plures episcopos, archiepiscopos, et Electores ecclesiasticos. An non perinde hoc est, ac si sententiam dedissent in concilio generali congregati? *a*) Imo in

Z 5 maius

*a*) L'Eglise dispersée jouit certainement de la meme infallibilité, sunt verba C. de Frankenberg in laudato lib. l. c. P. III. p. 296. que lorsqu'elle se trouve rassemblée dans un concile general; sans cela il s'ensuivroit, que Iesus Christ ne l'auroit point suffisamment munie d'autorité, pour pouvoir reprimer, et condamner les heresies, qui s'eleveroient contre elle: puisque les heretiques (comme ils en ont usé de tout tems) chercheroient toujours a eluder ses anathemes, en appellant au futur concile, auquel ils se soumettroient aussi peu, qu' aux décisions du saint siége, ce que l'experience a constamment prouvé. Cette Bulle étant donc evidemment une decision formelle de l'Eglise en matiere de foi, les Evéques ne pourroient pas meme cesser d'y adherer sans se separer du chef supreme de l'Eglise, rompre l'unité de la paix, et se rendre prevaricateurs de leur devoirs en trahisant les interets les plus precieux de la religion, et le depot sacré de la Foi méme. Clemens archiep. Trevirensis imp. Elector ad eundem Ios. II. imp. in eandem sententiam sic scribit: La constitution UNIGENITUS est evidemment une constitution dogmatique du S. Siege, acceptée soit expressement, soit tacitement par tous les Evéques catholiques. C'est par conséquent un iugement en dernier resort, et infaillible de l'Eglise universelle. Tous les Princes catholiques, et notamment l'ayeul de V. M. Charles VI. . . se sont fait un devoir de s'y soumettre, et de la publier dans leurs états. En effet comment auroient ils pu refuser, d'adherer à un iugement doctrinal de l'Eglise

maius hoc cedit documentum divinæ præsentiæ a Christo usque ad consummationem seculi promissæ apostolis in eorum successoribus in communione potestatis ecclesiasticæ inter summos Ecclesiæ pastores, pontificem et episcopos: estque illustrissimum divinæ providentiæ argumentum inconcussæ fidei petræ illius, super quam ædificavit Christus Ecclesiam suam, quin portæ inferi unquam prævalituræ sint adversus eam; dum hic cernimus machinas omnes adversus bullas et decreta illius in vanum abiisse. Quare, quicunque sive laicorum sive clericorum detrectat suscipere bullam Unigenitus, sive iuramentum deponere, ac subscribere formulari Alexandri VII. contra mandatum summi pontificis et episcopi sui in communione legitimæ potestatis eccl. rebellis et refragarius Ecclesiæ hæreticus censeri potest; si episcopus sit, seorsim sibi cathedram constituens, adversus cathedram a Christo constitutam apud successores apostolorum in

universelle, sans encourir l'anatheme, que. I. C. lui même a prononcé contre ceux, qui n'eçoutoient pas son Eglise? L'autorité des Princes, quelque grande, quelque respectable, quelque souveraine qu'elle soit dans son resort, ne peut rien contre cet arrêt du Tout-Puissant. Les Papes, et les Evêques étant de droit divin les pasteurs et les docteurs des Fideles, aucune puissance humaine ne sauroit avoir le droit d'empêcher qu'ils ne leur fassent entendre leur voix pour les diriger dans l'ordre de relilgion &c. Paucis rem complexus est Pius VI. P. M. brevi ad episc. Brixinensem an. 1781 dato: Neque tuam, neque ullius catholici episcopi prudentiam fugere potest, bullam Unigenitus a summo pontifice Clemente XI. primum editam, ab eius in S. Sede successoribus sæpe confirmatam, universali ecclesiarum, cum plurimarum expresso, tum aliorum tacito saltem consensu receptam esse, eamque dogmaticum ac irreformabile S. Sedis iudicium continere, cui nemo queat obedientiam detrectare.

in communione potestatis eccl. inter summos Ecclesiæ pastores, pontificem et episcopos.

Ausus est hoc Scipio Riccius episcopus Pistoriensis (di Pistoia et Prato) iniuria ordinis sui episcopalis in contemtum suorum coepiscoporum ipsiusque summæ sedis Romanæ, in synodo diœcesana, contra morem omnis ævi, cum meris sacerdotibus secundi ordinis ea tractanda suscipere, quæ solum ad conventus et iudicium episcoporum in communione potestatis a Christo in suis apostolis eorum successoribus datæ, pertinent, eaque præsumsit decidenda, quæ iam suffragio summorum Ecclesiæ pastorum pontificis et episcoporum sunt repudiata; avitos porro pro suo lubitu ecclesiasticos ritus ac disciplinam immutandi, licentiam sibi sumsit, morumque censuram illam adoptandi, quæ ad desperationem et aversionem potius, quam amorem divini numinis ducat, secutus doctrinam eiusdem sectæ illius, quæ perinde alterum præceptum dilectionis, in quibus lex pendet et prophetæ, dum spirat ore, pervertit amaro corde, et calamo, felle tincto, dicente S. Ioanne, *si quis dixerit, quoniam, diligo Deum, et fratrem suum oderit, mendax est. a)* Iamdiu reluctatus est Riccius ad tam serias, paternasque Pii VI. P. M. reprehensiones, archiepiscoporum, et episcoporum collegarum, et presbyterorum parochorum, aliorumque amicorum, ac ipsarum ovium suarum censuras et monita, prolixe etiam in scriptis publicis typis evulgata, brevique temporis intervallo sæpius impressa, communique voto et calculo com-

probata.

a) I. Io.

probata. Quæ vero omnia necdum animum ad ſinceram, et veram reſipiſcentiam, de qua quidem fama eſt, inflexiſſe cenſeri queat; ſiquidem novum de rebus iam præiudicatis, inſtaurari iudicium contendat: dum potius ſeria confeſſio tot gravium errorum ab eo exſpectari debeat, atque ſcandalorum reparatio non ſolum apud ſuas oves, in priſtinum ſtatum reſtitutis, quæ temere inſtituit, revocatisque, quæ male docuit in ſuis inſtructionibus ac literis paſtoralibus, verum etiam apud illos omnes, quibus illæ ſuæ aberrationes typis vulgatæ offenſioni, maloque exemplo fuerunt, ſynodus præſertim diœceſana, in qua is ex clero minore ſeculari et regulari doctores ac iudices incompetentes ſibi aſcivit rerum, ad ſynodos epiſcoporum tantum attinentium, quos epiſcopi Ægypti in Synodo Epheſina *ſuperfluos foras* mitti voluerunt: *Synodus*, aiunt, EPISCOPORUM *eſt*, *non clericorum.* Et S. Cœleſtinus P. ad epiſcopos Galliarum ſcribit, ſcire debere presbyteros, *ſe vobis eſſe ſubiectos*, epiſcopis nempe, quos dum ſibi in cauſa Ianſenii et Queſnelli conciliare, atque in partes trahere deſperarunt Ianſeniſtæ, doctores ſecundi ordinis, Riccianæ factionis ſocii, ius illud ſuffragii (presbyteros quaſi epiſcopis æquiparando, ut noviſſime Petrus Tamburini in regione illa) ſibi contra conſtantem Eccleſiæ catholicæ morem arrogare contenderunt, quod in concilio Baſileenſi uſurpatum Patres Tridentini ita abhorruerunt, ut etiam de reiiciendis epiſcopis *in partibus*, quorum unus Eichſtadienſis epiſcopi ſuffraganeus aderat, inirent conſilia: qui ipſi hodie hic et illic imbuti

com-

comparuerant principiis illarum partium schismaticarum, in quibus eorum solent existere sedes in Oriente, semina schismatum spargentes in Occidente: quorum quod unus, qui tamen ductus poenitentia revocavit, egit opere edito ad reuniendos dissidentes, caulasque separatas habentes a catholica Ecclesia ovili Christi, alter desertam redintegrans pugnam novissime suam operam in conventu Emsensi conduxit ad dissidentes inter se reddendos ecclesiæ pastores. At gregarios hos in communione potestatis ecclesiasticæ inter summos Ecclesiæ pastores, vicarium Christi pontificem, et episcopos, oves propriæ non audiunt: *sed qui pastor est ovium, huic ostiarius aperit, et oves vocem eius audiunt, et proprias oves vocat nominatim, et educit eas. Et cum proprias oves emiserit, ante eas vadit: et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. Alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo, quia non noverunt vocem alienorum.* a)

Est hoc quod hodie vel maxime sollicitos tenet alicubi saltem gentium, ac tenere oportebat omnes, quibus Christus ovile suum commisit in tanta ovilium confusione, pastuque promiscuo, ne oves propriæ sequantur pastorem alienum, cui Christus non commisit ovile, quales ante se notavit Christus fures et latrones. *Ego*, inquit, *sum ostium. Per me si quis introierit, salvabitur: et ingredietur, et egredietur, et pascua inveniet. Fur non venit, nisi ut furetur, et mactet, et perdat.* Misit Christus apostolos suos sicut oves in medio luporum; alibi eos sibi attendere vult ab illis,

qui

a) Io. X. 3. &c.

*num mente corruptorum, et qui veritate privati ſunt, exiſtimantium, quæſtum eſſe pietatem.* Quod tum maxime fit, quando perverſo fine, religio in Deum in Eccleſia Dei, regno Chriſti in terris, in mundo, accomodatur commodis regni de hoc mundo, dum una eſt Eccleſia militans, regnum Chriſti in terris, cum Eccleſia triumphante, regno Chriſti in cœlis, unusque rerum omnium finis ultimus, gloria Dei intime coniuncta cum ſalute noſtra, quam operamur in Eccleſia militante regno Chriſti in terris, æterna fruituri felicitate in Eccleſia triumphante, regno Chriſti in cœlis, quem aſpiciebat Daniel VII. 13. *in viſione noctis, et ecce cum nubibus cœli quaſi filius hominis veniebat, et usque ad antiquum dierum pervenit: et in conſpectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei poteſtatem, et honorem, et regnum: et omnes populi, tribus, et linguæ ipſi ſervient: poteſtas eius poteſtas æterna, quæ non auferetur: et regnum eius, quod non corrumpetur.* Fruſtra igitur ſunt, qui Eccleſiam militantem, regnum Chriſti in terris, diviſum eſſe poſſe exiſtimant, aut contra ſe diviſum reddere conantur, *quod non corrumpetur;* dum Matth. XII. 25. Chriſti effato, *Omne regnum, diviſum contra ſe, deſolabitur: et omnis civitas, vel domus contra ſe non ſtabit.*

F I N I S.

INDEX

# INDEX RERUM MEMORABILIUM.

## PRIMI, ET SECUNDI TOMI.

### A



### B

præ-

mis

seq.

Offi-

## R



## S

# Errata Tom. I.

| | | | | | |
|---|---|---|---|---|---|
| Pag. 3. | lin. 10. | chiliaſtorum | leg. | chiliaſtarum | |
| p. 7. | lin. 16. | quo | leg. | quod | |
| p. 11. | lin. 1. | graviorum | leg. | gravior. | |
| p. 11. | lin. 12. | apocraphis | leg. | apocryphis | |
| p. 18 | lin. 27. | facta | leg. | fata | |
| p. 19. | lin 4. | Dei | leg. | Deus | |
| p. 21. | lin. 20. | qui | leg. | quæ | |
| p. 71. | lin. 1. | hi, | leg. | hæc | |
| ibid. | lin. 25. | erpmebant, | leg. | premebant | |
| p. 77. | lin. 23. | ſtatunt. | leg. | ſtatuunt. | |
| p. 78. | lin. ultim. | prœmio, | leg. | proœmio. | |
| p. 87. | lin. 15. | Pſalm. LXVI. 17. | leg. | LXVII. 16. | |
| p. 118. | lin. 11. | aniam | leg. | animam | |
| p. 122. | lin. 9. | a | leg. | de | |
| p. 135. | lin. 7. | caput. | leg. | capit. | |
| p. 164. | lin. penultima | Ecoſia | leg. | Eccleſia | |
| p. 183. | lin. 23. | voluntem | leg. | voluntatem | |
| p. 176. | lin. 27. | ectatus | leg. | ſectatus | |
| p. 197. | lin. 28. | pugaremus. | leg. | pugnaremus | |
| p. 280. | lin. 3. | mperio | leg. | imperio | |
| p. ibid. | lin. 4. | exponebanur | leg. | exponebantur | |
| p. 296. | lin. 12. | hi, | leg. | his. | |
| p. 306. | lin. 26. | odioſa | leg. | odioſo. | |

# Tom. II.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| pag. 89. | lin. 11. | partibus | leg. | patribus |
| p. ibid. | lin. 16. | eſſe | leg. | eſſet |
| p. 117. | lin. ult. | front | leg. | fronte |
| p. 134. | lin. 9. | | leg. | ἐπισκοπὴν |
| p. 146. | lin. 9. | capaces | leg. | capacia |
| p. 214. | lin. 3. | aute | leg. | ante |